



THVCYDIDES,

LAVRENTIO VALLA INTERPRETE.

Nunc postremò correctus, & ex Græco innumeris locis emendatus, quemadmodum ex Præfatione in proxima pagina uidere licet,

Cum Indice locupletissimo.

BASILEÆ.

CVM PRIVILEGIO CAES. MAIEST.

SEBASTIANI CASTALIONIS

SVPER HAC THVCYDIDÆ EDITIONE PRÆFATIO.

Scatebat hæc Thucydidæ translatio erroribus partim librariorũ, partim ipsius (si uerum dicere licet) interpretis. Nec ego hoc in probrum Laurentij Vallæ dictum uolo, hominis docti, & de literis benè meriti. Præstitit ille quod potuit, hoc nomine sanè laudandus: sed non omnia possumus omnes. Author est Thucydides perdifficilis. accedit eo, quòd Græcum quoq; exemplar est deprauatũ. quæ duæ res & Laurentio Vallæ, & mihi exhibuêre negociũ. Igitur utriusq; generis errata correxi sanè innumera, quemadmodum superiore anno feceram etiam in Herodoto. ac de typographicis quidem exempla adducere, non est (opinor) operæprecium. De ijs autem quæ ad fidem interpretationis pertinẽt, libet quædam in medium afferre: ex quibus quid nos præstiterimus, Lectores conijcere possint. Igitur in ipsa statim authoris Præfatione paulò post initium, ubi in margine hæc uerba sunt, Armorum ferendorũ mos. sic legebatur: Tanquam non inficiaturos opus ut turpe, quod scire studerent. Nos locum ex Græco sic correximus: Quæ res declarar nec interrogaros, operis pudere: nec eos qui scire studeanr, exprobrare. Græca uerba sunt hæc: ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι, οὐκ ὀνειδιζόντων. Et aliquanto pòst sic legebatur: Ex quibus mihi uidetur Agamemnon runc uiribus antecelluisse, nec tantum classem coegisse, qui duceret Helenæ procos iureiurãdo Tyndari adactos. Nos sic correximus: Ex quibus mihi uidetur Agamẽnon tunc uiribus magis, quibus antecellebat, quàm Tyndari iureiurando adactos duxisse coacta classe procos Helenæ. Græca sunt: ἀγαμέμνων τέ μοι δοκεῖ τῶν τότε δυνάμει προύχων, καὶ οὐ τοσοῦτον τοῖς τυνδάρεω ὅρκοις κατειλημμένους τοὺς ἑλένης μνηστῆρας ἄγων, τὸν στόλον ἀγεῖραι. Et paulò pòst, sub margine: Sceptrum Agamemnonis, sic legebatur. Quod coniectemus licet ex hoc quoq; exercitu quales prius extirerùnt, quodq; Mycenæ exiguũ oppidum fuit, aut si quid tunc oppidum pro magno habebatur, nunc tale uideatur: nec parum certo signo quis uratur ad non credendum rantam classem, &c. Quem locum quemadmodum nos emendauerimus, uideas licet ex collatione. Græca sic habent: Εἰκάζειν δὲ χρὴ καὶ ταύτῃ τῇ στρατιᾷ οἷα ἦν τὰ πρὸ αὐτῆς, καὶ ὅτι μὲν μυκῆναι μικρὸν ἦν, ἢ εἴ τι τῶν τότε πόλισμα νῦν μὴ ἀξιόχρεων δοκεῖ εἶναι, οὐκ ἀκριβεῖ ἄν τις σημείῳ χρώμενος ἀπιστοίη μὴ γενέσθαι τὸν στόλον τοσοῦτον. Huiusmodi nos locos emẽdauimus innumerabiles: & maximè in Orationibus: in ijs enim est Thucydides perobscurus: cuius emendationis exemplar, si quis requirit, conferat in primis ex fine Libri quinti Dialogum Meliorum & Atheniensium. Neque uerò nos sic emendationes nostras commendamus, ut sit hîc consistendum, ac non aliqua superfior corrigenda. Verùm interim habento Lectores hæc meliora, donec fortè alia porrò meliora tempus afferat.

IN ANTIQVISSIMAM THVCYDIDIS PELOPONNENSIVM HISTORIAM, RERVM AC VERBORVM MEMORABILIVM INDEX.

In quo prior numerus paginam, posterior lineam exprimit.

euenit

M

N

nicostratus

phalius

Q

R

S

stipendium

FINIS.

EX MARCELLINO GRAECO THVCYDIDIS ATHENIENSIS HISTORICI CLARISSIMI VITA.

Bartholomaeo Parthenio Benacensi interprete.



HVCYDIDAE Atheniensi Olori filio, Threicium genus fuit: nam pater eius Olorus, ex Thracia nomen accepit. Fuit autem ex affinibus Miltiadae. Itaque ubi Miltiades apud Caelam, ibi & Thucydides sepultus est. Miltiades Hegesipylen Thracum regis filiam uxorem duxit, fuitq; discipulus Antiphontis Rhamusii, qui in dicendo grauis, in iudicijs suspectus habitus est: quam ob rem cùm ipsum orantem non facile iudicia tolerarent, orationes scribere aggressus est: & quibus eo opus erat, exhibuit. De quo Thucydides discipulus, testimonium perhibuit, quod cuicunq; consilium dedisset, ille in iudicio uictor euadebat. Sed Antiphon improbus est existimatus, & circa finem belli Peloponnesiaci proditionis accusatus est, quippe qui Lacedaemonijs optima legationis tempore, Atheniensibus uerò inutilissima cõsuluisse deprehensus est: simulq; cum eo Archeptolemus & Onomacles corrupti fuere, quorum domus funditùs euersae sunt, & eorum genus partim abolitum, partim honore priuatum. Cùm autem Thucydides in imperatoria dignitate cõstitutus, acceptaq; fide de metallis quę circa Thasum erant, diues & potens factus esset, bello Pelopõnesiaco proditionis accusatus est, ob tarditatem & negligentiam. Cepit enim Brasidas urbes Atheniensiũ in Thracia, & ab Atheniensibus transtulit ad Lacedęmonios, & hic cùm oporteret celeriter nauigare, & seruare Eiona prope positam, & uẽdicare Amphipolim Atheniensibus praecipuam, Eiona quidem praeueniens seruare potuit, sed Amphipolim perdidit. Et Cleon quidem suppetias ferens urbibus Thraciae, nauigauit ad Amphipolim, sed tamen commissa pugna à Brasida Lacedaemonio uictus est, perijtq; à Marcinio peltato uulneratus. Veruntamẽ & Brasidas uictoriam adeptus, mortuus est, & Amphipolis ab Atheniensibus ad Lacedaemonios desciuit: ubi & Agnonia aedificia cùm diruissent Amphipolitę, Brasida appellauerunt, coloniam Atticam odio habentes, & Laconũ partes etiam in hoc fouentes, atque honorem in Lacedaemona transferentes. Thucydides uerò cùm exularet, belli Peloponnesiaci historiam scripsit. & propter hoc Lacedaemonijs plurimum gratificari uidetur. Atheniensium autem tyrannidem & auaritiã accusare, cùm alia contra eos scribendi non praestaretur opportunitas. Corinthijs accusantibus, Lacedaemonijs succensentibus, & Mitylenijs culpantibus, grãdis in Atheniensiũ crimina insurrexit, Laconicasq; uictorias oratione extollens. Atticas calamitates auxit eas praecipuè, quae in Sicilia acceptae fuerunt. Historiã autem clausit in bello nauali, quod gestum est circa Cynossema, hoc est circa Hellespõtum: ubi uidẽtur & Athenienses uictoriã obtinuisse. Quae uerò secuta fuerunt, alijs scribenda reliquit, Xenophonti uidelicet & Theopompo. Nam plura praelia postea commissa sunt. Neque enim complexus est secundã pugnam naualem circa Cynossema, quam Theopompus scripsit: neq; eam quae circa Cyzicum commissa est, in qua Thrasybulus, Theramenes, & Alcibiades uictoriam retulerũt: neq; quae in Arginusis facta est, ubi Athenienses

Olorus. Antiphon. Archeptolemus. Onomacles. Cleon. Brasidas. Thucydidis exilium & historia. Canis sepulchrum. Xenophon. Theopompus.

Triginta uirorum tyrannis.

Lacedæmonios superarunt:neque quæ caput Atticorum malorum fuit, gesta in fluuijs Capræ,ubi & naues & spem deinceps perdiderunt Athenienses. Tunc enim murus eorum euersus est,& tyrannis triginta uirorum constituta,& in multas calamitates incidit ciuitas,quas diligentiùs scripsit Theopompus. Thucydides autem inter Athenieñses clarissimos unus fuit, cumq; grauis in dicendo uideretur,priusquàm scriberet, rebus præfuit. Primam autem grauitatis in dicendo demonstrationem hanc fecit: Pyrilampes quidam , ex ciuibus uirum amicum eundemq; amasium suum, præ zelotypia interfecit.Hac autem causa in Areopago mota,quàm longè sapiens esset,ostendit.Nam cùm pro Pyrilampe causam ageret,& Pericles accusaret,obtinuit:unde imperator ab Atheniensibus delectus, princeps populi fuit.Cùm autem magnificus in rebus gerẽdis esset,id ei auaritiæ tributũ est.Itaque non licuit ei diutius præesse populo.Primùm enim à Xenocrito ad Sybarim peregrè profectus,cùm Athenas reuersus esset, accusatus est cõfusionis senatus,atque damnatus:postea relegatus in decennium.Ita exulans Æginæ commoratus est,& illic dicitur historias composuisse,ac tum eius auaritiam maximè patuisse.Omnes enim Æginetas fœnore opprimens,exhausit.Post absolutam historiam proœmium ab autore compositũ fuisse referũt,quoniam de his quæ in bello gesta sunt,in eo meminit:ut de Deli purgatione,quam circa septimum annum ab Euthyno præfecto factam fuisse dicunt.Mentionem quoq; in eo fecit de fine belli, dicens:In finem huius belli. Sed & initio dicit: Motus enim hic maximus Græcis fuit,& parti cuidam Barbarorum,& ut ita dicam,maximeq; parti hominum. Cùm autem octauam historiam absoluisset,morbo extinctus est. Falluntur enim qui dicunt non Thucydidæ esse octauam,sed alterius historici. Mortuus autem Athenis,sepultus est iuxta portas Miltiadarum,in loco Atticæ regionis qui appellatur Cæla:seu cùm rediisset Athenas ab exilio,completo tempore præscripto,& in propria patria occubuisset seu translatis eius ossibus ex Thracia,cùm illic decessisset: in utranque enim partem dicitur, & columna quædam in Cæla erecta est, hoc monosticho insignita:

Proœmiũ Thucydidis.

Cæla.

Epitaphium Thucydidis.

Thucydides Olori iacet hoc Alimusius antro.

THVCYDIDIS VITÆ FINIS.

THVCYDIDIS ATHENIENSIS HISTORICI GRAVISSIMI, HISTORIARVM PELOPONNENSIVM LIBER PRIMVS.

Præfatio.



HVCYDIDES Atheniensis bellum Peloponensium Atheniẽsiumq́, quod inter se gesserunt, conscripsit, exorsus statim ab eo moto: sperans etiam fore tum magnũ, tum superioribus memorabilius, certis hinc signis, quòd & utriq; florebant omni ad bellum apparatu, & cætera Græcia è suis finibus ad alterutros accessit, alij quidem protinus, alij uerò post cõsultationem. Etenim maximus hic Græcorum motus extitit, & quadam ex parte Barbarorum, ac propè dixerim, plurimorum hominum. Siquidem quæ ante nos natos, quæq́ uetustiora adhuc fuerunt, planè comperta esse propter longitudinem æui non quiuerunt, sed ex coniecturis (per quas longissimè repetenti mihi cõtingit credere) non magna sanè extitisse existimo, neque bellicis neq; cæteris in rebus. Nam constat eam quæ nunc Græcia uocatur, haudquaquam stabiliter olim fuisse habitatam, crebroq́ illinc migratũ, quòd facilè sua quisq; relinquebant, ab aliquorum maiore numero coacti. Quippe nulla dum negociatione, nullo inter se citra formidinem commercio, uel terra uel mari sua quisque eatenus colentes, quatenus suppeteret uictui: non pecuniæ copiam habentes, nec humum arboribus conserentes, utpote incertum quando quis alius superueniẽs auferret ab ijs, præsertim qui muris carerent, & existimãtes se necessarium quotidiè uictum ubique adepturos, haud ægrè pellebantur. Ideoq; neque magnitudine urbi ualidi erant, neque alio bellico apparatu. Maximè uerò optima quæq; tellus præcipuè patiebatur assiduas incolarum migrationes, ueluti ea quæ nunc Thessalica uocatur, & Bœotia, & pleraque Peloponnesus, præter Arcadiam, quæ'que alia terrarum uberrima erant. Nam propter bonitatem soli, maiores aliquorum iam uires effectæ, tum seditiones excitabant, tum uel magis alienigenarum insidijs obnoxij erant. Itaq; Atticam, ob sterilitatem segetis lõgo æuo pacatã, ijdem semper incoluêre homines. Cuius rei non minimum indicium est, quòd non peræquè aucta fuit ductis aliô colonijs. Nam ex reliqua Græcia, qui aut bel-

Bellum Peloponnesiacum.

Græcia instabiliter olim habitata.

lo aut seditione exciderãt ad Athenienses, tanquam ad stabiles potentissimi quique se recepere, confestimq́ ciues affecti, iam inde à uetustate maiorem etiam hominum frequentia ciuitatem fecêre, ita, ut postea non sufficiente iam Attica, colonias in Ioniam quoque dimiserint. Facit autem apud me fidem priscę imbecillitatis hoc quoque non minimam, quòd ante Troianum bellum constat Græciam Helladem nihil cõmuniter egisse, ne ipsum quidem hoc nomen tota utique mihi uidetur habuisse: sed quædam loca ante Hellenem Deucalionis filium, nec usquequaque hoc fuisse cognomen, sed tum suum cuiusq́ gentis proprium, tum Pelasgicum à seipsis cognomen impositũ. Hellene autem eiusq́ liberis in Phthiotia rerum potitis, & eas gentes emolumẽti gratia in alias ciuitates adducẽtibus, singulos iam maximè propter linguæ commercium, Hellenes, id est Græcos, esse uocitatos. Quæ res longo tempore non potuit obtineri, quod indicat præcipuè Homerus, qui diu post Troianum bellum natus, nequaquam cunctos sic uocauit, nec alios, quàm qui cum Achille ex Phthiotide, qui & primi Hellenes fuerũt, Danaos uerò & Argiuos & Achęos in carminibus prædicat, nec tamen appellat Barbaros, ea re, quòd necdum Hellenes, id est Græci, in unum nomen (ut mihi uidetur) barbaro oppositum concessissent. Si igitur tanquã Græci essent omnes, & inter quorum ciuitates cõmercium eiusdem linguę erat, postea uno uocati nomine, nihil ante Troiana tempora propter inopiam & impermixtum uitæ genus frequentes egerunt, sed in hanc expeditionem quòd mari iam plerunque usi essent, exierunt. Nam Minos eorum quos auditu cognouimus antiquissimus classem comparauit, maximamq́ partem maris, quod Græcum nunc dicitur, tenuit: & insularum Cycladum dominus, primus in earũ plerisq́ colonias posuit, Caribus eiectis, filiosq́ suos constituit principes. Insuper quoad potuit, latrones è mari (ut credibile est) sustulit, quo facilius sibi redditus obuenirent. Nam & Græci olim, & Barbarorum quicunq́ in continente maritimi erant, quiq́ insulas incolebant, ubi cœperũt crebrius alij ad alios nauibus transire, ad latrocinium conuersi sunt ducibus non tenuissimis, tum sui quæstus, tum infirmorũ uictus gratia. Atque adorti urbes muro uacantes, uicatimq́ habitantes diripiebãt, ac maximam uictus partem hinc comparabãt, quod illud opus nondum pudori esset, quinimò gloriam quandam afferret. Quod declarãt tum quidam etiam nunc in continẽte, quibus decori est hoc benè exercere, tum uetustissimi poëtæ, apud quos illi ultrò citroq́ nauigantes interrogantur, num latrones sint: quæ res declarat nec interrogatos operis pudere, nec eos qui scire studeant, exprobrare. Et in mediterraneis etiam homines mutuò prædantur, & adhuc pleraque in

Hellas.

Hellenes unde dicti.

Latrocinia Græcorum.

Græcia

Græcia uetuſtus mos colitur, uti apud Locros, qui uocãtur Ozolæ, & Ætolos & Acarnanas & hanc ipſam continentē. Quinetiam arma ferre apud hos ex uetere latrocinio permanſit. Omnis enim Græcia arma geſtabat, quod uidelicet nec penates munitionibus cincti, nec difficiles mutuo incurſiones eſſent, uitamq́ aſsiduè ſub armis agebant ritu Barbarorum. Atque ex gentibus Græciæ adhuc ita uiuentibus, publicam hanc inter omnes aliquando uiuendi conſuetudinem fuiſſe cōijcitur. Inter eos primi Athenienſes ferrum depoſuerunt, & ex illo ſoluto uitæ genere, in lautius tranſierunt. Nec multum tempus eſt, ex quo ſeniores eorum, ſcilicet beati, ferre deſierūt lineas tunicas, cicadasq́ in ſeriem aureas, ac cincinnos in plexilem modum concinnatos. Vnde apud Ionum quoq́ ſeniores propter cognationem uiguit hic cultus. Modica autem ueſte ad præſentes uſque mores uſi ſunt primi Lacedæmonij, & cum cæteris rebus tum præcipuè in uictu, locupletiores uulgò ſunt ſimiles. Iidem primi corpora certaturi nudauerūt, propalam ſe exuentes, oleoq́ unxerunt, cùm olim etiam Olympiaco certamine athletæ ſubligacula circum uerenda habentes pugnarent. Nec ita multi anni ex quo illa haberi ſunt deſita, quæ adhuc uiſuntur apud Barbaros cùm alios, tum uerò Aſianos, à quibus prœmia pugilibus ac luctatoribus proponuntur, bracatis hoc agentibus. Multis præterea ex alijs oſtendi poteſt, Græcam antiquitatē cum Barbarorū qui nūc ſunt moribus congruentē. A ciuitatibus autē quæ nouiſsimè ſunt cōtractę, præſertim quæ pecunijs abūdarent, hominibus iam rei maritimæ ſcientioribus ad ipſa littora urbes conditæ ſunt, occupatis iſthmis (id eſt terrarum inter diuerſa maria anguſtijs) tum negociationis cauſa, tum tutelæ aduerſus ſuos quæque finitimos. At uetuſtæ urbes propter aſsiduā latronū infeſtationem procul à mari ſunt ſitæ, ſiue in inſulis, ſiue in cōtinente. Quia quæ deorſum ad mare urbes erãt ignaræ rei maritimæ, mutuo ſeſe ſpoliabãt, & adhuc muris carēt. Nec minus latrocinabantur qui ex inſulis erant Cares, Phœnicesq́. Nam hi inſularū plurimas incolebant. Quod probatur teſtimonio: Siquidem cùm expiaretur ab Athenienſibus hoc bello Delos, deſtructis ſepulchris eorum quicunque in ea inſula deceſsiſſent, ſupra dimidium Cares agniti ſunt, tum genere armorum cum quibus ſepulti erant, tum ipſo more quo nunc quoque ſepeliuntur. Minoe autem re nautica potito, liberius ultrò citroq́ nauigatum eſt, ſublatis ab eo inſularum prædonibus, in earumq́ pleraſque deductis ab eodem colonijs, maritimi homines iam magis conficiendæ pecuniæ dediti tutius habitauerunt, & inter eos quidam, ut ditiores effecti, muris urbem circundederunt. Etenim cupiditate lucrandi, & qui tenuiores erant, ſuſtinuerunt ſeruire potioribus: & qui potentio-

Armorum ferendorum mos.

Athenienſium cultus.

Iones.

Aſianorum pugiles.

Iſthmi.

res, cùm facultates haberent, minores urbes sibi obsequentes reddiderunt. Atque hunc in modum, magis cùm processissent, insecutis temporibus ad Troiam cum exercitu profecti sunt. Ex quibus mihi uidetur Agamemnon tunc uiribus magis, quibus antecellebat, quàm Tyndari iureiurãdo adactos duxisse coacta classe

Pelops. procos Helenę. Etenim ferũt qui exploratissimè Peloponnesium gesta à maioribus natu per manus tradita cognouerũt, Pelopem primùm ui pecuniarũ, quam portãs ex Asia ad parandam sibi inter inopes potentiam uenit, & si peregrinus erat, tamen cognomen regionis obtinuisse, & postea ab ipsius posteris Atreo Aga-

Eurystheus cedes. memnone plus pecuniæ fuisse cumulatum, Eurystheo per Æacidas in Attica interfecto, cuius Atreus erat auunculus. Huic Eurystheus patrem fugienti propter Chrysippi necem, cùm ipse in ex-

Mycenæ. peditione ageret Mycenarum, regni curam propter propinquitatem delegauerat: ubi non redijt Eurystheus, amplius Atreum uolentibus Mycenæis Æacidarum metu, simulq; quòd strenuus uideretur esse & multitudinis studiosus, cùm adesset regno potitũ esse Mycenarum, & quibuscunq; sororis filius imperitauerat, maioresq; Pelopidas quàm Persidas extitisse. Qua Agamemnon (ut mea fert opinio) accepta, & pręterea re nautica longè cæteris præstans, exercitum comparauit non pluribus gratia quàm metu adductis. Constat enim eum & pluribus cum nauibus profectum esse, quàm quenquam aliorũ, & eas Arcadibus præbuisse, ut Ho-

Sceptrum Agamemnonis. Lib. 1. Iliad. merus testatus est, si quis uelit ductam ab eo coniecturam admittere. In sceptri enim traditione, ait illum compluribus insulis & omni Argo imperitare. Quas insulas pręter uicinas (hæ autẽ non multæ fuissent) nemo qui foret in cõtinente tenuisset, nisi aliquid

Mycenæ. classis habuisset. Licet autem ex hoc quoque exercitu conijcere qualis fuerit ante eum, rerum status: quoniamq; Mycenæ paruũ erat oppidum (sicut & alia quædam illius temporis, quæ nunc exigua uidentur) nisi quis acri coniectura utatur, non credet tantam classem fuisse, quantam & poëtæ memorarunt, & sermo obtinuit. Nam si urbs Lacedæmoniorum desoletur, relictis sacris & publicorum operum pauimentis, minimè (ut opinor) erit apud posteros credibilis eorum potentia, si cum eorum gloria conferatur. Atqui ex quinque Peloponensi partibus duas colunt, & totius ditionem tenent, multorumq; extra eam sociorum: & tamen si ea urbs non frequens populo esset, neq; templis atq; sumptuosis operibus prædita, pagatimq; uetusto more Græciæ habitaretur, manifestum est inferiorem uisum iri. At si Atheniẽsibus hoc idem contingeret, coniectare liceret ex euidenti urbis aspectu duplum uirium esse quàm sit. Itaq; non est incredibile, nec magis urbium speciem considerare oportet, quàm uires, existimareq; illum exer-

citum

citum maiorem quidem superioribus fuisse, sed ijs qui nunc sunt inferiorem, si quid hîc Homeri poësi credere conuenit, quem uerisimile est, utpote poëtam, in maius eum ornando extulisse, quanquam sic quoque inferiorem esse manifestum est. Ex mille nanque ac ducẽtis nauibus, fecit Bœotiorum quidem singulas centenûm ac uicenûm uirorum, Philoctetæ autem quinquagenûm, demonstrans (ut mihi uidetur) maximas minimasque, cùm magnitudinis cæterarum nauium in recensione non meminerit. Nam quòd omnes essent in nauibus Philoctetæ, remiges, & ijdem bellatores, aperuit. Quippe sagittarios fecit cunctos & remigantes. Neque credibile est multos superasse in nauigando, exceptis regibus ac præfectis, cùm præsertim traiecturi essent cum bellico apparatu, nec cataphractas (id est tectas naues) haberent, sed ueteri ac magis prædonum more constructas. Itaque inter maximas ac minimas medium intuenti non multi conuenisse uidentur, ut à cuncta Græcia communiter missi. Cuius rei causa non tam extitit hominum, quàm pecuniarum penuria. Commeatus enim defectu minorem duxêre exercitum, tantumque modò quantum sperabãt ibidem belligerãdo alitum iri. Postquàm autem appulerunt, prælio uictos fuisse clarum est. Non enim muris exercitum ac castra cinxissent. Ne hîc quidẽ copijs omnibus usos esse constat, sed ad agriculturam Cheronnesi se conuertisse, adque latrocinium, commeatu non suppetente, quo magis Troiani dispersis eis decem annos ui restiterunt, certantes assiduè cum ijs demum qui reliqui essent atque eis pares. Quòd si suppeditante illi commeatu Troiam adissent, & conferti citra latrocinium agriculturamque continenter bellum gessissent, facilè in prælio superiores eam euertissent, euersuri minori & tempore & labore, si non infrequentes ea tantùm quæ aderat parte repugnassent, sed omnes in obsidione mãsissent. Verùm ob exiguitatem pecuniæ, & quæ ante Troianum bellum gesta sunt, ualida fuêre: & hoc ipsum quod illis celebratius fuit, datur intelligi ex operibus minus fuisse fama ac sermone, qui de eo propter poëtas inualuit. Quãdoquidem etiam post Troiana tempora Græci & è sedibus suis expulsi sunt, & aliò se habitatum contulerũt, ut per ocium eis non licuerit augescere. Nam ipsorum ab Ilio reditu tam sero, & multæ res nouæ, & in plerisque urbibus seditiones extiterunt. Vnde qui exciderant, urbes condiderũt. Siquidem Bœotij qui nunc sunt, sexagesimo ab euersione Ilij anno, ex Arna eiecti à Thessalis, incoluerũt terram, quæ nũc Bœotia, prius Cadmeia uocabatur, in qua pars eorũ quondam fuerat, unde profecti sunt in Ilium cum exercitu. Dores quoque septuagesimo & ipsi anno Peloponnesum tenuêre. Ægrè autem longo tempore planè pacata Græcia, nec ultra sedibus suis eiecta coloniam emisit, & Io-

Bœotiorum naues.

Cataphractæ naues.

Nauigia ueterum.

ἐκρατήσαν non ἐκράτησαν, legẽdum puto.

Corinthiorum inuentum. Nauium primi excogitatores apud Græcos. Aminocles naupegus.

Corinthiorum nobile emporium.

nas quidem ac plerosq; ex insulis Athenienses collocarũt: Italiam uerò Siciliamq; maxima ex parte Peloponnenses & quædam reliquæ Græciæ oppida. Omnia hæc post bellum Troianũ sunt condita. Robustiore autem Græcia effecta, & ui pecuniarũ indies maiore, paßim tyrannides in ciuitatibus sunt constitutæ, auctis iam prouentibus. Regna enim prius hæreditaria erant certis cum uiribus, & nauticæ rei incumbebat, ac tantũ mari Græcia operam dabat. Corinthij primi feruntur excogitasse naues, quæ ad eam quæ nunc in usu est formam proximè accederent. Et Corinthi primùm ex omni Græcia triremes ædificatæ sunt. Constat autem Aminoclem Corinthiũ naupegum Samijs etiam quatuor naues compegisse. Suntq; ex quo hic eò se contulit, anni ad perfectũ hoc bellum fermè trecenti, uetustißimumq; omniũ quæ nouimus nauale prælium extitit Corinthiorum cum Corcyrensibus, & ipsum ducentos ad summũ ac sexaginta ad hoc tempus annos. Etenim cùm urbem incolant Corinthij ad Isthmum sitam, emporium ferè semper habuerunt, Græcis quondam terra magis quàm mari negociantibus, & qui intra quiq; extra Peloponnesum incolunt per illorum terram inter se cõmercium habentibus. Pecunia quoq; prępotentes erant, ut etiã ab antiquis poëtis demonstratur, locuples oppidum cognominantibus. Postea uerò quàm à Græcis studiosius nauigari cœptum, comparatisq; nauibus latrociniũ summotum est, utrobiq; emporium præbentes, ualidam pecuniarũ prouentu urbem habuerunt. Ac multò pòst penes Iones res naualis fuit, ætate Cyri primi Persarum regis, eiusq; filij Cambysis, qui aliquandiu cum Cyro pugnantes, suo mari potiti sunt. Polycrates quoq;, qui Sami tyrannidẽ tenuit, sub Cambyse classe præpotens, cùm alias insulas in suam potestatẽ redegit, tum Rheniam, quam subactam Apollini Delio cõsecrauit. Iam uerò Phocenses hi, qui Maßiliam incolunt, Carthaginenses pugna nauali uicerũt. Nam ualidißimęq; omniũ hæ res fuerũt, quas constat multis post Troica tempora ætatibus extitisse, exiguo triremium usu, sed adhuc illo uetusto more quinquagenûm remigum, nauiumq; longarũ. Pauloq; ante Medicum bellum & Darij mortem, qui secundũ Cambysem regnauit in Persis, triremium copia fuit tum penes tyrãnos circa Siciliam, tum penes Corcyrenses. Hæ nanq; postremæ ante Xerxis regis exercitũ dignæ memoratu res nauticæ in Græcia extiterunt. Æginetæ enim Athenienſesq;, & si qui alij, paruã uim nauium habuerunt, & harum ex magna parte quinquagenûm remigum, ac sero utiq; ex quo Themistocles Atheniensibus cum Æginetis bellum gerentibus, simulq; aduentum Barbari expectantes persuasit ut facerent naues, quibus & pugnauerunt, quæ nec ipsæ tabulata totæ habuerunt. Et tales quidem Græcorum res nauales

fuerunt,

fuerunt,tum uetustæ,tum sequentiū temporum.Non minimam tamen qui illis studuerunt,sibi uim comparuerunt uel pecuniarum reditu,uel aliorum dominatione.Quippe nauigando insulas subegerunt,& ij præcipuè qui regionem non omnia suppeditantem habebant.Nam in terra bellum,unde potentia aliqua procederet,nullum excitatum est:sed quæcunq; fuerunt,ea contra suos quibusq; finitimos gesta sunt,Græcis in peregrinas expeditiones longè à domo ad alios subigendos non exeuntibus. Neque enim aduersus ciuitates maximas subditi consurgebant,neque ipsi ex æquo cōmuniter exercitū comparabant:sed inter se potius finitimi (ut semper fit)belligerabāt,præcipuè usq; ad uetus illud quod inter Chalcidēses & Eretricos gestum est bellum,reliqua Græcia alterutris adiuuādis diuisa.Mox alijs aliunde,ne augescerēt impedimenta contigerūt. Nam Ionibus in magnitudinē rerum proficientibus, Cyrus & Persicum regnū Crœso profligato,omnia flu. uio Haly tenus ad mare usque circunferens arma,cœpit,& urbes quæ in continente sunt,in seruitutē redegit.Darius dehinc Phœnicum classe insulam subegit.Tyranni autem quicunq; in Græcis urbibus erant, suis tantū rebus prospicientes,& corpori domuiq; suæ augendæ operàm dantes,quàm tutissimè poterant,in ipsis urbibus plurimum se tenebant. A quibus nullum opus memoria dignū actum est,nisi si quid aduersus suos quibusq; uicinos.Nam qui apud Siciliam erant,ad multam potentiam euaserunt.Ita undique Græcia longo sanè tempore prohibita est,tum cōmuniter quippiā agere illustre,tum per singulas urbes audacia uti.Postea uero tyrāni & Atheniensium,& cæteræ ferè Græciæ,& ante hanc tyrannis subditam plerique ac postremi,prҽterquàm Siculorum, deiecti sunt à Lacedæmonijs.Nam Lacedæmon post accessionē Doricorum,qui nunc eam incolunt,perdiu (quantū accepimus) seditionibus agitata,tamen iam inde ex ultima uetustate,& bonis legibus prædita,& libera tyrannis fuit.Sunt enim anni circiter trecentos & paulò plures ad finitum hoc bellum,ex quo Lacedҽmonij eadem Reipublicҽ administratione utuntur.Eaq; repellentes, aliarum quoque urbium res constituerunt. Ab exactis autem è Græcia tyrannis,non ita post multos annos in Marathone Medi cum Atheniensibus pugnauerunt.Decimoq; post hanc pugnam anno,rursus ad subigendam Grҽciam cum immensa classe Barbarus uenit:& rebus in summum discrimen adductis,Lacedæmonij Græciæ cōmuniter bellum gerentis,duces extiterūt,ut qui essent præcipui in uiribus. Et Athenienses aduentantibus Medis cùm decreuissent deserere urbē,conscensis quas instruxerant nauibus effecti sunt nautici.Neq; multò post quàm pariter Barbarū repulerunt,diuisi sunt ad Athenienses ac Lacedæmonios,tam illi qui ab rege

Lacedæmoniorum libertas.

Medicum bellum.

ab rege desciuerãt Græci, quàm qui contra illum cum cæteris pugnauerant. Enimuerò constabat maximas illis duobus adesse uires, alteris terra, alteris classe præualentibus, & exiguo quidẽ tempore cõcordia bellandi mansit. Postea uerò dissociati Lacedæmonij Athenienses'q; bellũ cœperunt cum suis utrinq; socijs: cæteriq; Græci, si quispiã dissidebat, ad alterutros profecti sunt. Itaq; à Medico ad hoc bellũ assiduè nunc pactionibus pacificati, nũc bellum gerentes, aut inter se, aut aduersus socios ab eis deficientes, probè quæ ad bellũ opus sunt instruxerunt, & expertiores euaserũt, usu in periculis facto. Et Lacedæmonij quidẽ non habebant imperij sui socios tributarios, atq; hoc solũ studebãt, ut illi pariter sub paucorum principatu, quæ oligarchia dicitur, res publicas administrarent. Athenienses autẽ, quas ipso tempore ex hostibus cœperant, nauibus præerant, præter Chiorũ Lesbiorumq;, iussis socijs certas pecunias pendere, extititq; eorum separatim ad bellum apparatus maior, quàm quantus unquã maximus uiguit, dum syncera societas fuit. Equidem uetera talia esse comperi, difficilia ad credendũ per omnia gradatim indicia.

Hipparchi cædes.

Homines enim famam rerum ante ipsos gestarũ, etsi domesticę sint, nulla prorsus examinatione alij ab alijs accipiunt. Siquidẽ Athenienses uulgò opinantur Hipparchũ ab Harmodio & Aristogitone, quòd tyrãnus esset, interfectum, nescientes Hippiam Pisistrati filiorũ natu maximum tunc imperasse, cuius fratres erãt Hipparchus & Thessalus, atq; eo die Harmodium & Aristogitonem aliquid suspicantes à suis conscijs esse patefactũ Hippiæ, ab hoc quidem tanquam præsciente abstinuisse. Verùm priusquã comprehenderentur uolentes quippiam uel cum periculo facere, nactos Hipparchũ ad fanũ quod Leocorium uocatur, in Panathenaica pompa ornanda occupatũ, obtruncasse. Alia quoq; multa quæ adhuc extant, necdum propter tempus memoria exciderũt, cæteri Græci non rectè opinantur, ut Lacedæmoniorum reges, non singulos quenq; calculos immittere, sed binos. Et Pitanatem cohortem esse apud eos, quod reor nunquam fuit. ita segnis apud multos est ueritatis uestigatio, ad ea se potius quæ in promptu sunt cõuertentes. Verùm ex his quæ dixi necessarijs signis talia quis existimans, & potissimùm quę narraui,

Poëtæ. *Scriptores.*

non errauerit, neq; credet magis aut Poëtis qui de his prędicant in maius extollẽtes, aut scriptoribus qui magis ad aurium uoluptatẽ quàm ad ueritatẽ ea dixerũt quæ nec examinata fuerũt, & pleraq; spacio temporis fabulosa incredibiliaq; facta sunt, sentietq; cõpertum esse manifestissimis signis ita se uetera habuisse. Et licet homines præsens bellum in quo uersantur semper maximum iudicent, eoq; finito, uetera ex ipsis operibus uehementius admirentur, tamen hoc bellũ ostendetur animaduertentibus extitisse maius illis.

Atq; omnia quæ dixerint singuli uel ante gestum bellum, uel iam gerentes, difficile fuerit exactè referre, siue à meipso audita, siue aliunde ab alijs mihi enarrata. Verùm ut quisque semper de rebus præsentibus maximè consentanea dicere mihi uidebatur, & communi opinione proximè ad ueritatem accedere, sic à me commemorata sunt. At uerò res in bello gestas, non quas à quocunq; audiui, dignas duxi quas scriberem, neq; ut mihi uidebantur, sed eas, quibus ipse interfui, quasq; sigillatim ab alijs quàm potui diligentissimè inuestigaui. Quod tamen difficillimè eruere potui, quoniã qui singulis gerendis rebus affuerant, non eadem de ipsis dicebant, sed prout quis aut in alterutros amore propensior erat, aut reminiscebatur. Verùm quia non fabulosæ sunt, minus erunt fortassis auditu suaues: tamen quicunq; uolent rerum gestarũ synceritatem intueri, & cùm aliquando talia iterum similiaq; (ut sunt res humanæ) uentura sint, iudicare utilia, abundè poterit. Nam emolumentũ potius in perpetuũ, quàm ludicrum ad tempus audiendum cõponitur. Et superiorum quidem operũ maximum gestum est cum Medis, & id tamen duobus naualibus prælijs, & totidẽ pedestribus celeriter finitũ est. At uerò huius belli tum longitudo in immensum processit, tum detrimenta cunctæ Græciæ contigerunt, qualia dũtaxat intra tantũdem temporis aliàs nulla. Nam neque tot urbes uacuæ factæ sunt, aliæ à Barbaris, aliæ ab ipsis Græcis mutuò expugnatæ, aliæ fugatis oppidanis nouis incolis cessere, neque tot fugæ hominum ac mortes, partim ex ipso bello, partim ex seditionibus. Atque superiora illa quæ fama memorat, re ipsa minus solida fidem acceperunt, uel terræmotuum, qui hoc bello in plerisq; orbis terrarum partibus & ijdem uehementissimi extiterunt, uel solis defectionũ, quæ crebriores quàm unquam fando cognitæ fuerant contigerunt, uel æstus immensi, ex quibus fames ingens, & qui non minimè grassatus partẽ quandam assumpsit pestilens morbus. Omnia enim ista unà cum bello hoc acciderunt. Cuius autores fuerunt Athenienses Peloponnensesq;, ruptis quę post Eubœã captam inierãt fœderibus tricennalibus. Cur autem ruperint, causas primùm ac dissensiones scribendas statui: ne qui requirãt aliquando unde conflatũ fuerit tantum inter Græcos bellum. Nam uerissimam quidem, sed minimè sermone celebratam, arbitror extitisse causam, Athenienses magnos effectos, & Lacedæmonijs formidolosos, necessitatem imposuisse bellandi. Quæ autem propalàm ferebantur utrinque causæ, propter quas ruptis fœderibus itum est in bellum, istæ fuerunt,

Belli Peloponnesiaci longitudo & detrimenta.

Atheniẽses & Peloponenses causæ bellorũ.

Narratio

NARRATIO.

Epidamnus. Tablantij. Phalius.



Pidamnus est urbs ad dextram sita nauigantibus Ionium sinum uersus, cui finitimi sunt Tablantij Barbari, gens Illirica. Hanc habitatum uenerunt Corcyrenses coloni, à Phalio Corinthio deducti, qui erat ab Hercule oriundus Eratoclidæ filius, ex metropoli secundum ueterem legem accersito. Nõnulli etiam Corinthij, & alij præterea Doricæ gentis ex colonis fuerunt. Progressu temporis res Epidamnensis maiorem in modũ profecit & fortunis & populo. Sed cùm multos iam annos seditionibus laborarent (ut fertur) ex bello quodam cum finitimis Barbaris & se & uires ex magna parte attriuerunt. Nouissima uerò ante hoc bellum seditione plebs eorum principes eiecit. At illi cum Barbaris, ad quos confugerant, eos qui in urbe erant, terra mariq; prædabantur. Hi autem qui intus erant cùm sic uexarentur, legatos Corcyram (ut ad metropolim) mittunt, orantes ne se perdi sinerent, sed reconciliarent profugos secum, & bellum Barbarorum componerent. Hæc supplices in Iunonis templo sedentes precabãtur. Corcyrenses non admissis precibus, illos infecto negocio remiserunt, Epidamnenses nullam sibi uidentes à Corcyrẽsibus iniuriæ propulsationem, ambigebant quid re præsenti agerent. Miserunt itaq; Delphos, deumq; consuluerunt, num Corinthijs dedere deberent urbem, ut coloniæ deductoribus, & aliquod conari ab ijs exigere præsidium. Ille respondit ut dederent, ducesq; facerent. Profecti Corinthum ex oraculo Epidamnensis dedũt coloniam, demonstrantes tum deductorem coloniæ fuisse Corinthum, tum Dei oraculum, precanturq; ne se perdi sinerent, sed tutarentur. Corinthij tum quia iustum esset, ultionem promiserũt, existimantes non minus esse suam coloniam quàm Corcyrẽsium, tum odio in ipsos Corcyrenses à quibus contemnerentur. Nam cùm essent Corinthiorum colonia, tamen neq; in publicis solennitatibus legitimos honores reddebant, neq; in suis sacris uirum Corinthium præficiebant, ut cæteræ coloniæ. Contemnebant autem illos & ui pecuniarũ, quam tunc habebant quantam ditissimi quiq; Græcorum, & ualidiore belli apparatu freti. Etenim elati erãt & propter rem naualem, qua aliquando admodũ præstantes fuerant, & propter Pheacum, qui prius Corcyram incoluerant, nauticã gloriam. Quo magis parandæ classi incumbebant, nec erant parum ualidi. Quippe centum eis ac uiginti naues fuerunt, cùm bellum incepere. Ob hæc omnia Corinthij Corcyrensibus succensentes, Epidamnum præsidia miserunt, prẽter sua, Ambraciotarũ Leucadiorumq;, facta qui uellent, illuc habitatum eundi potestate. Profectum est autem præsidium Apoloniam, quæ erat Corinthiorum colonia

Pheaces.

Apolonia Corinthiorum colonia.

colonia, pedeſtri itinere, Corcyrenſium metu, ne ab illis mare tranſeuntes prohiberentur. Corcyrenſes ubi colonos ac præſidia Epidamnum perueniſſe nouerunt, coloniamq; Corinthijs dedi-

Corcyren. & Corinth. conflictus initium.

tam, ægrè acceperunt, ſtatimq; illuc quinque & uiginti cum nauibus profecti, deinde reliqua cum claſſe, iubent pro ſua autoritate ſimul recipere exules. Venerant enim exules Epidamnenſes Corcyram, ac ſepulchra cognationemq; demonſtrantes atq; allegantes, obſecrauerant ut & ipſi reſtituerentur, & præſidia coloniq; à Corinthijs miſsi expellerentur. Illos haudquaquam imperata facientes infeſto exercitu aggrediuntur quadraginta nauium, cum exulibus, tanquam eos reſtituturi, Illyrijs in ſocietatem acceptis, obſidentes urbem denunciant licere cuilibet Epidamnenſium hoſpitum ue impunè abire, alioqui illum pro hoſte ſe habituros. Vbi non paretur, urbem Corcyrenſes (eſt autem locus ille iſthmos) oppugnant. Corinthij poſtquàm eis allatum eſt ex ijs qui intus erant Epidamnum oppugnari, exercitum comparant, ſimulque

Epidamnus oppugnatur.

deducendam Epidamnum coloniam edicūt, æquas ſimilesq; partes fore ire uolentibus, ſi quis protinus cum cæteris nauigare uelit. Sin aliquis non protinus nauigare uelit, & tamen particeps fieri coloniæ, numeratis quinquagenis drachmis Corinthijs licere manere. Fuerunt autem permulti & qui nauigarunt & qui pecuniam numerauerunt. Ad hæc rogarunt Megarenſes ut ſuis nauibus comitatum præſtarent, ſi fortè à Corcyrenſibus interpellarentur. Illi inſtructas commodarunt octo, & Pales urbs Cephaleniorum quatuor. Rogati quoq; Epidaurij præbuerunt quinq;, Hermiones unā, Trœzenij duas, Leucadij decem, Ambraciotæ octo. A Thebanis pecunias petierunt, & à Phliaſiis, ab Eleis naues uacuas, pecuniasq;. Ipſorum uerò Corinthiorum fuerunt inſtructæ naues triginta, & tria millia peditum. Hunc apparatum Corcyrenſes ubi acceperunt, Corinthum profecti cum Lacedæmonijs Sicyonijsq; legatis, quos adhibitos uolebant, iuſſerunt Corinthios deducere præſidia colonosq; Epidamno, tanquam ad eos nihil pertinente. Quòd ſi quid aduerſus eos facerent, uelle ſe ſubire iudiciū in Peloponneſo apud illas ciuitates, de quibus inter utroſq; conueniſſet, & utris adiudicata colonia foret, eos obtinere: quinetiam rem ad Delphicum relegare oraculū, nec bellum fieri permittere: alioqui neceſſarium fore aiebant, ſi ſibi uis fieret, amicos facere quos nollent ex alterutris eorum, qui nunc præpotentes eſſent, præſidij gratia. Corinthij reſpondent, ſi naues & Barbaros Epidamno abducant, ſe cōſultaturos. Nam prius non bene habere cùm illi oppugnentur, ipſos iudicio contendere. E contrario Corcyrenſes dicere, ſi & illi eos, qui intra Epidamnum eſſent, abducerent, ſe iſta facturos, paratosq; eſſe & ſanctè promittere, dum

id per utrosq; fiat, secedere, donec de causa foret pronunciatum: Corinthij nihil horum audientes, quando iam & naues eis plenæ, & socij præstò erant, caduceatore præmisso, qui Corcyrensibus bellum indiceret, soluentes è portu cum quinque & septuaginta nauibus, duobusq; millibus militum, Epidamnum uersus nauigauerunt, cum Corcyrensibus pugnaturi. Præerat nauibus Aristeus Pellichæ, Callicrates Calliæ, Timanor Timanthis filius, peditibus autē Archetimus Eurytimi, & Isarchidas Isarchi filius. Vt uentum in Actium terræ Anactoriæ, ubi templum Apollinis est, in faucibus sinus Ambrachij, Corcyrenses caduceatorem eis præmittunt nauigio actuario, qui aduersus se uetaret illos nauigare, simulq; naues complent: uetustas, ut nauigationi sint utiles, innectunt, alias expediunt. Postquàm caduceator nihil à Corinthijs pacatum renunciat, & naues ipsorum expletæ sunt numero octoginta (nam Epidamnū quadraginta oppugnabant) obuiam itur,

Corcyrensium uictoria.

pugnaq; nauali commissa, Corcyrenses egregiè uincunt, ac quindecim Corinthiorum naues corrumpunt. Eodem die contigit, ut

Epidamnus deditur.

ij qui intra Epidamnū oppugnabantur, deditionem facerent, hac lege, ut externi quidem uenderentur, Corinthij autem in uinculis haberētur, dum aliud quippiam uictoribus uideretur. Secundum

Leucimna.

pugnam, Corcyrenses trophæū in Leucimna Corcyræ promontorio statuerunt, cæterisq; captiuis necatis, Corinthios uinctos asseruarunt. Post hæc cùm Corinthij socijq; nauali prælio uicti domum redissent, Corcyrenses omni circa mari potiti sunt, nauigan-

Leucas.

tesq; in Leucada Corinthiorum coloniam, agrum eius populati

Cyllene.

sunt: & Cyllenem, ubi erant naualia Eliensium, incenderūt, quòd naues pecuniasq; Corinthijs præbuissent. Ac plurimo à pugna nauali tempore mare tenuerunt. Corinthiorumq; socijs adnauigando calamitates inferebāt, donec circumacta iam æstate Corinthij, cùm socij ipsorum laborarent, nauibus atq; exercitu misso, castra

Chimerium.

in Actio posuerunt, & circa Chimerium Thesprotidos, Leucadis tutandæ causa, aliarumq; urbium quæcunque suarum partium erant. Castrametati sunt autem è regione Corcyrenses in Leucimna nauibus peditatuq;, ac neutris in alteros nauigantibus, sed altrinsecus sedentibus, hæc æstas extracta est, appetēteq; iam hyeme, domum uterque reuertunt. Toto eo post pugnam & in se-

Corinthij bellum instaurāt.

quenti anno Corinthij indignè ferentes id bellum cum Corcyrensibus, naues compegerunt, & robustissimas quasque ad classem instruxerunt, cogentes ex Peloponneso remiges, ex reliqua Græcia solicitātes mercede. Quem apparatum audiente Corcyrenses, extimescebant, quippe qui non essent cum aliquo Græcorum confœderati, quòd se non ascripsissent neque Atheniensium, neque Lacedæmoniorum fœderibus. Visum itaque eis est, ut Athenas

irent

irent ad contrahendam societatem, tentandúmque aliquid ab illis impetrare subsidij. His compertis, Corinthij mittunt & ipsi Athenas legationem, quæ diceret, ne sibi clasis Attica ad Corcyrensem adiecta impedimento esset, quo minus bellum gererent arbitrio suo. Itaque coacta concione in disceptationem uenerunt, & Corcyrenses quidem in hunc modum dixêre,

Oratio Corcyrensium.

PAr est, uiri Athenienses, ut qui externos adeunt, quemadmodum nunc nos, imploratum auxilia, si neque magna ipsorum beneficentia, neque societas intercedat, demonstrent primùm, quod maximum est, ea quæ poscũt fore illis utilia, à quibus poscunt: sin minus, certè non damnosa: deinde firmam se eis gratiam habituros. Horum si nihil demonstrauerint, ne irascantur si non impetrauerint. Hæc probaturos se sperantes uobis, Corcyrenses ad poscendam nos societatem miserunt. Consilium nostrum, uiri Athenienses, antehac inconsultum, in præsentia est uobis fructuosum, nobis ipsis damnosum. Quippe nunquam hactenus cuiuspiam socij uoluntarij cùm fuerimus, nunc ea de causa soli in bello, quod cum Corinthijs gerimus, ad orandam aliorum societatem uenimus. Ex quo accidit, ut quod uidebatur prius esse prudentiæ, nolle cum exteris societate inita periclitari, id nunc imprudentiæ & infirmitati detur. Itaque Corinthiorum classem nobis bellum inferentem ipsi per nosmet compescuimus. At ubi maiori apparatu & à Peloponneso & à reliqua Græcia statuit hostis in nos uenire, cernentes esse nostras tantùm uires illi impares, & simul magnum periculum fore, si ei subijciamur, necesse habemus nos quoque aliunde auxilia undecunque implorare, utique uenia digni si quod antea non prauitate, sed opinionis errore potius ineptè non fecimus, id nunc contrariò audeamus. Quòd si audieritis, honesta & bona uobis existet hæc societas nostræ necesitatis multis de causis. Primùm, quòd iniuriam accipientibus, non facientibus, opem feretis: deinde, quòd eos qui in maximarum rerum discrimen adducuntur, recipiendo optimè beneficium collocabitis, æterno apud nos testimonio. Et cùm classem secundum uestram posideamus maximam, considerate quænam rarior occasio uestræ prosperitatis, quæue hostibus tristior esse posit, quàm hæc: quòd potentia quam uos magnæ pecuniæ ac gratiæ loco æstimaretis, ea ultrò uobis adest atque offertur citra pericula citraꝗ sumptus: affert præterea tum apud plerosꝗ laudem, tum apud eos quos protexeritis gratiam, tum ipsis uobis uires, quæ cuncta perpaucis ex omni memoria pariter contigerunt. Paucíꝗ extiterunt qui à quibus societatem

alium classe pollere: sin minus, tutissimum quenque uobis pro socio habere. Quòd si cui hæc quæ dicimus uidentur utilia quidem esse, sed timendum ne ea sectantes, rumpatis fœdera, hic intelligat metum hac in re magis terrori fore aduersarijs, uiros societatis admittendo: confidentiam uerò, non admittendo, infirmam esse aduersus ualentes hostes, quippe quæ sit futura securior. Præterea cùm non magis de Corcyra quàm de Athenis consultetur, non prospicit hic quæ præcipuè sunt è dignitate atq; ex utilitate Athenarum, & cùm cernat bellum non futurum, sed tantùm non iam præsens esse, de recipienda in societatem nostra ciuitate hæsitat, quæ siue socia siue hostis fiat, maximi momenti est. Sita est enim opportunè sanè ad traiectum in Italiam atque in Siciliam, uel ad prohibendam illinc ire classem in Peloponnesum, uel ad eandem illuc aliáue in loca transmittendam. Atque ut uniuersa & singula breuissimè in summam contraham, sic habere, ut sciatis non debere nos deseri, tres apud Græcos classes esse magnifaciendas, uestram, nostram, & Corinthiorum. Harum duas si in unum coire contempseritis, & Corinthij nos occuparint, bellum nauale cum Corcyrensibus pariter ac Peloponnensibus geretis. At nobis receptis plus nauium habebitis, quibus cum hoste dimicetis. Hæc quidem Corcyrenses dixerunt. Post eos autem Corinthij hæc: *Corcyræ situs.*

Oratio Corinthiorum.

QVoniam Corcyrenses isti non solùm de se recipiendis uerba fecerunt, sed etiam de nobis tanquam iniustè bellum sibi intulerimus, necessarium nobis est ut nos quoq; de utrisq; mentionem faciamus, sic ad reliquam orationem deuēturi, ut & nostram postulationem syncerius perspiciatis, & istorum utilitatem non sine ratione repudietis. Aiunt modestiæ studio nullius unquam societatem se recepisse: id uerò non uirtutis sed maleficij studio fecerunt, quòd uidelicet nollent ullum malefactorum suorum aut socium habere, aut testem, à quo uerecundiæ admonerentur. Et sanè urbs sua ipso situ apposita ad istorum consilium, reddit eos magis iniuriarum quas faciunt arbitros, quàm subijcit æquo iudicio, propter infrequētem ipsorum ad exteros commeationem, & frequentem aliorum illuc ui appulsorum receptionem. Atque decorum quod prætendunt, noluisse se esse cuipiam confœderatos, non eò spectabat ne alienæ iniustitiæ socij forent, sed ut sine arbitris iniuriam facerent, uiq; ubique præualerent, alijsq; uim afferrent: & cùm latuissent, plus emolumenti adipiscerentur, & quod adepti essent, eius erepti pudere non posset. Quòd si (quemadmodum prædicant) forent uiri boni, quò minus culpabiles erant exteris, eo magis uirtutem suam licebat ostendere, iusta dando & accipiendo. Verùm neque erga nos tales existunt, qui cùm sint

coloni noſtri, tamen quum ſemper antea ſeceſſerunt à nobis, tum uerò nunc bellum nobiſcum gerunt, allegantes non ideo ſe à nobis miſſos colonos, ut acciperent iniuriam: quibus inuicem reſpondemus, ne nos quidem idcirco collocaſſe eos ut ab ipſis iniuriam acciperemus & contumeliam, ſed ut præſides eorum eſſemus, & quibus in rebus conuenit honore afficeremur, quem nobis aliæ coloniæ præſtant, præcipua nos charitate complectentes. Ex quo palàm eſt, ſi cæteris qui plures ſunt, placemus, iniuria iſtis ſolis eſſe inuiſos, nec eis honeſtè bellum inferre, niſi ſingulari aliqua accepta iniuria: quod etiam ſi ab re intuliſſemus, decuerat eos noſtræ iracundiæ cedere, ſicut nos uiciſsim dedecuiſſet modeſtiæ ipſorum uim afferre. Sed freti diuitijs cùm alia multa indignè peccauerunt in nos, tum uerò hoc, quod Epidamnum, quæ noſtræ ditionis eſt, cùm uexaretur bello, non uindicauerunt, ſed cùm uindicatum nos ueniſſemus, tunc eam occuparunt, uiq; tenent. Et aiunt, ſe priuſquàm id facerent, uoluiſſe diſceptare iudicio, cùm iudicium ſeruare uideri debeat, non is qui ex ſuperiore loco atque tuto prouocat ad diſceptandum: ſed is qui ex æquo & antequàm dimicetur, res & uerba in medium affert. At iſti non priuſquam oppidum obſiderent, ſed poſteaquàm rebantur nos illud non neglecturos, tunc æquitatem iuris allegauerunt, atque huc uenerunt, non contenti peccaſſe illic, poſtulantes etiam à uobis non belli, ſed iniuſticiæ ſocietatem, ut ſe recipiatis hoſtes noſtros. Qui tunc potius adire debebant uos cùm procul à periculo aberant, non quando & nobis iniuria illata eſt, & ipſi periclitantur, nec quando uos, qui nullius eorum tunc potentiæ participes fuiſtis, nunc ipſis ueſtram utilitatem impertiatis, & qui à peccatis eorum abfuiſtis, tantundem erga nos culpæ contrahatis. Nam qui olim cum alijs uires ſuas communicauerint, eos conſentaneum eſt etiam euentum habere communem: qui uerò criminum ſocij non fuerint, ne eorum quidem ſocios eſſe quæ ſequantur iſtorum facta. Et planum quidem fecimus eo quo oportet æquitatis ingreſſu nos ueniſſe, & iſtos uiolenter in nos auareq; feciſſe. Nunc autem uos haud iuſtè recepturos eſſe horum ſocietatem, planum faciendum eſt. Nam in fœderibus quum dicitur licere cuilibet non aſcriptarum ciuitatum ad utros uelit ſe conferre, non ita dicitur, ut id fiat in perniciem patris alterius, nec de ea quæ tutelam imploret aduerſus eos à quibus ſecedit, quæque ijs à quibus recipitur (non recepturis ſi ſaperent) bellum pro pace afferat, id quod uobis nunc, niſi nos audiatis, eueniet. Nam non tantùm iſtis auxiliares, uerùm etiam nobis pro fœderatis hoſtes efficiemini. Neceſſe enim eſt ſi ab eis ſteteritis, ut dum ipſos, tunc uos unà ulciſcamur. Qui profectò

iuſtè

iuſtè feceritis, præcipuè ſi non fueritis in partibus: Sin minus, econtrario atque iſti petunt, ſi nobiſcum ſteteritis, quibus cum fœderati eſtis aduerſus hos, quibus cum ne induciæ quidem unquam uobis extiterunt, neque legem ferre debetis, eos qui ab altera parte defecerunt recipiendi. Quoniam neque nos cùm à uobis Samij defeciſſent, & an illis ſuccurrere oporteret, in diuerſum traherent cæteri Peloponnenſes, contra uos ſententiam diximus. Itaque apertè negamus aliquem à puniendis ſuis eſſe prohibendum. Nam ſi eos qui aliquid facinoris admiſerint, receptando defenderitis, palàm eſt ueſtros, qui non pauciores ſunt, ad nos eſſe uenturos, legemꝗ condetis quæ in uos magis quàm in nos recidat. Hactenus quæ dicere habuimus apud uos de iure noſtro, quod ſatis eſt ſecundum Græciæ leges: reliqua exhortandi & flagitandi muneris gratia. Hoc quod petimus, non petimus ut hoſtes, quo noceamus, neque amici quo abutamur, ſed quo utamur, quòdque uos reddere nobis debere affirmamus. Nam cùm aduerſus Æginetas Medico bello penuria Liburnicarū nauium laboraretis, uiginti naues commodato à Corinthijs accepiſtis. Quod noſtrum beneficium, & item alterum bello Samio, quod propter nos non tulêre Samijs auxilia Peloponnenſes, præſtitit uobis de Æginetis quidem uictoriam, de Samijs autem ultionem. Atque ijs temporibus hoc factum eſt, quibus homines ſtudio uincendi hoſtis, in quem eunt, cætera curare omittunt, habentes pro amico quemcunque operam ſibi nauantem, etiam ſi antea fuiſſet inimicus: rurſus pro hoſte quemcunꝗ ex aduerſo ſtantem, etiamſi amicus ſit: qui domeſticis quoꝗ rebus malè conſulūt præſentis cōtentionis peruicacia. Hæc uos beneficia memoria tenentes, & qui inter uos ſunt iuniores, à ſenioribus edocti, ſentite ſimilibus officijs eſſe remuneranda, neꝗ iſta quidem quæ dicuntur à nobis eſſe iuſta, ſed ſi bellum fiat, alia fore utilia. Vt quiſque enim aliqua in re minimè peccat, ita maxima ex ea utilitas ſequitur. Et bellum cuius metu uos terrentes ad iniuſtè agendum hortantur Corcyrenſes, adhuc non conſtat futurum ſit nec'ne, nec dignum uobis eſt, ut propter incerta belli, certa iam & præſentanea Corinthiorum ſuſcipiatis odia. Nam quod ad ſuſpicionem pertinet, quæ prius propter Megarenſes ſupererat, prudentiæ fuerit eam extenuare potius. Poſterius nanꝗ beneficium opportunè collatum, etiam ſi minus fuerit, tamen maius crimen diluere poteſt. Neque uerò quòd magnam ad ſocietatem offerunt claſſem, ob hoc polliceamini, quoniam non afficere iniuria pares, firmior eſt potentia, quàm præſenti rerum ſpecie elatos cum periculis plura acquirere. Itaque nunc aduerſi nos uſi fortuna, tamen poſtulamus, id quod apud Lacedæmonem ipſi prædiximus, licere ſuos

quenque ſocios plectere, ut idem nunc à uobis impetremus, néue ſubleuati uos noſtro decreto, nos ueſtro lædatis, ſed æquam uicem rependatis, memores hoc illud eſſe tempus, quo maximè & qui inſeruit amicus eſt, & qui aduerſatur inimicus. Et Corcyrenſes hos neq; in ſocietatem recipiatis inuitis nobis, neque de nobis malè meritos defendatis: quod facientes, tum ex officio ueſtro egeritis, tum uobis ipſis optimè conſulueritis. Talia Corinthij dixêre.

Athenienſes utriſq; auditis, cùm bis concionem coëgiſſent, in priori quidem non minus probauerunt rationes Corinthiorum, in poſteriori uerò mutato conſilio decreuerunt ſe confœderationem cum Corcyrenſibus non ita facere, ut eoſdem hoſtes ducerent, eoſdem amicos. Si enim aduerſus Corinthios iuberentur à Corcyrenſibus ſimul nauigare, ruptum iri fœdera, quæ ſibi eſſent cum Peloponnenſibus: ſubſidiorum tamen inire ſocietatem, ut utriq; forent alteris auxilio, ſi quis aduerſus Corcyram eat, Athenáſue autorũ ſocios. Nam & citra hoc rebantur bellum ſibi cum Peloponnenſibus fore, nec Corcyram Corinthijs prodi uolebant tantum nauium habentẽ, ſed eos quàm maximè collidi inuicem, ut inualidioribus effectis, ſi quid opus eſſet, Corinthijs alijſq; claſſem habentibus, bellum capeſſerent: ſimulq; quia Italiam uerſus Siciliamq; nauigantibus, commodè ſita inſula uidebatur. Hoc Athenienſes conſilio Corcyrenſes in ſocietatem acceperunt, nec multò poſt Corinthiorum diſceſſum decem naues illis auxilio miſerunt, ducibus Lacedęmonio Cimmonis, Diotimo Strombichi, & Protea Epiclis filio. Quibus præceperunt, ne cum Corinthijs pugnarent, niſi aduerſus Corcyram nauigantibus, in terramq; deſcendere uolentibus, aut aduerſus aliquot ex illorum oppidis, ita demum pro uiribus prohiberent prouidentes hoc præcepto, ne fœdera rumperentur. Et naues quidem in Corcyram profectæ ſunt. Corinthij uerò poſtquàm quæ opus erant inſtruxerunt, aduerſus eandem uela fecerũt cum centum quinquaginta nauibus: quarum erant Eliorum & Leucadiorũ denæ, Megarenſium duodecim, Ambraciotarum uigintiſeptem, Anactoriorum una, ipſorum Corinthiorum nonaginta. Præfecti autem ſui ſingularum urbium, & ex Corinthijs Xenoclides Euthydis filius cum quatuor collegis. Hi poſtquàm coierunt ad continentem, quæ ſpectat Corcyram, uelificantes à Leucade, tendunt in Chimmerium, quod eſt oræ Theſprotidis. Eſt autem portus, & ſuper eum urbs à mari diſtans in paluſtribus Theſprotidos ſita, nomine Ephyre. Iuxta hãc exit in mare palus Acheruſia, cognomẽ nacta à flumine Acheronte, quod per Theſprotidem lapſum in eam effunditur. Fluit & Thyamis amnis, Theſprotidem Ceſtrinemq; diſterminans, intra quos

Athenienſium & Corcyrenſium confœderatio.

Corinthiorum in Corcyrã naualí expeditio.

quos Chimerium promontorium coërcetur. Ad hanc itaq; continentem Corinthij cum classe subeūtes castra posuerunt. Quorum aduentu in se cognito, Corcyrenses expletis centum & decem nauibus, quibus præerant Miciades, Æsimides, & Eurybatus, castrametati sunt in una insularum quæ uocatur Sybota. Aderant eis & Atticæ decem, peditatusq; in Leucimna promontorio cum mille armatis Zacynthiorum auxiliaribus. Præstò erant & Corinthijs auxilio futuri multi ex barbaris in proxima continente, ex qua semper omnes amici sunt illis. Re instructa Corinthij, sumptisq; trium dierum cibarijs, noctè à Chimerio soluunt tanquam pugnaturi, nauigātesq; prima luce, Corcyrensiū naues conspicantur altum tenentes, ex aduersoq; uenientes. Vt mutuo se conspexerunt ad confligendum, omnia instruunt, Corcyrensium dextro in cornu Atticæ naues fuerūt, alterum ipsi tenuerunt, factis tribus nauium agminibus, quorum singulis singuli præerant. Hunc in modum dispositi erant Corcyrenses. Apud Corinthios dextrum cornu tenebant Megarenses naues & Ambracienses, medium locum alij socij, ut quibusque commodum erat: læuum cornu ipsi Corinthij cum nauibus quæ uelocissimæ erant, è regione Atheniensium & dextri Corcyrensium cornu. Postquàm utrinq; sublata sunt signa, concurrentes prælium commiserunt, multos utriq; habentes super tabulata milites, multosq; sagittarios ac iaculatores, uetusto adhuc more inscienter instructi. Erat autem pugna naualis aspera, sed non perinde ex arte, pedestri prælio similior. Nam ubi commixti fuerunt, non facilè eximebantur præ turba & multitudine nauium, plus aliquanto de uictoria confidentes armatis qui super tabulata erant. Pugnabantq; statariam pugnam nauibus quietis, quibus irrumpere, perrumpere, erumpere non licebat, uerùm animo magis & robore quàm scientia pugnabatur. Multus ubiq; erat tumultus, & turbulentum certamen, in quo naues Atticæ Corcyrensibus sicubi premerentur, præstò erant, metum quidem incutientes hostibus, pugnam tamen nequaquam capessentes. Quippe uerebantur præfecti, Atheniensium præceptum. Maximè autem dextrum Corinthiorum cornu laborabat. Nam eos in fugam uersos dispersosq; uiginti nauibus persecuti Corcyrenses in continentem usq; ad eorum castra, egressiq; in terram, deserta tentoria incenderunt, pecuniasq; diripuerunt. Hac in parte Corinthij superati, Corcyrenses superiores fuerunt. At in sinistro ubi ipsi Corinthij erant, facilè uicerunt, absentibus è minori numero Corcyrensium uiginti nauibus in persequendo occupatis. Athenienses cùm cernerent Corcyrenses laborātes, iam minus dissimulanter suppetias eunt, primùm quidem temperātes ab inuadendo. At ubi fuga apertè facta est, & Corinthij ingruebant,

Corinthium et Corcyrensium naualis pugna.

tunc

tunc unuſquiſque operi uacat, nullo iam hominum diſcrimine. Cùm eo neceſsitatis uentum eſſet, ut inuicem Corinthij Athenienſesꝗ confererent manus, in fugam uerſis hoſtibus, Corinthij non religarunt ſcaphas nauium quas demerſerant, traxeruntꝗ remulco, ſed inter nauigandum conuerterunt animum ad trucidandos homines potius, quàm ad uiuos capiendos, & amicos ſuos, neſcij illos in dextro cornu ſuperatos, per imprudentiam occidebant. Nam cùm permultæ forent utrorunꝗ naues, & latè mare occuparent, ubi promiſcui fuerunt, non facilè internoſcebãt, qui quos uiciſſent. Siquidem pugnæ naualis hæc Græcorum cum Græcis maxima omnium extitit, quæ ad hunc diem fuêre, nauiũ numero. Corinthij poſteaquã Corcyrẽſes ad terram uſꝗ ſunt perſequuti, ad naufragia ſua cæſosꝗ reuerſi ſunt, ac plurimis potiti, ad Sybota comportarũt, ubi Barbarorum exercitus, qui erat in terra, ipſis auxilia tulerat. Eſt autem Sybota deſertus portus Theſprotidis. His actis congregati rurſus tendunt in Corcyrenſes. Illi ſuis nauibu, quæ agi poterant, & quæcunque reliquæ erant, unà cum Atticis & ipſi contrà dirigunt, timentes ne in ſuam oram deſcendere conarentur. Et iam ſerum diei erat, ac pæana cecinerant tanquam congreſſuri, cùm Corinthij repentè remos inhibere cœperunt, cõſpectis uiginti nauibus Athenienſium uenientibus, quas poſt decem priores ſubſidio miſerant Athenienſes, ueriti id quod acciderat, ne Corcyrenſes ſuperarentur, néue decem naues ſuæ pauciores eſſent, quàm ut eos tutarentur. His igitur proſpectis Corinthij, ſuſpicatiꝗ Athenis uenire, non quot cernebãt, ſed plures, ſenſim retrò abierunt. Porrò Corcyrenſes cùm Atticas naues non uiderent (minus enim ipſis erat apertus illarum aduentus) mirabantur Corinthios ire retrò, donec quidam cernentes dixerunt: naues illæ huc tendunt. Tunc & ipſi abierunt. Iam enim noctis tenebræ erant, & Corinthij abeuntes digreſsionem fecerunt. Ita utriꝗ dirempti, pugnaꝗ uſque ad noctem extracta, Corcyrenſibus apud Leucimnã caſtra habentibus. Ipſæ uiginti naues Athenis profectæ, quibus præerant Glaucon Legarai, & Andocides Leogori filius, per occiſos & naufragia ductæ ſubierunt caſtra, non multò pòſt, quàm conſpectæ ſunt, Cocyrenſibus (erat enim nox) metuentibus ne hoſtiles eſſent, poſtea cognitæ, admiſſæ ſunt. Poſterò die egreſſæ triginta Atticæ naues, & Corcyrenſium quæcunque nauigationi idoneæ erant, uela faciunt in portum, qui eſt in Sybotis, ubi ſtationem Corinthij habebant, animo cognoſcendi an nauali prælio certaturi eſſent. Illi à terra cùm ſoluiſſent altumꝗ tenerent, inſtructi quieſcebant, non incepturi ſua ſponte certamen, cùm uiderent & acceſsiſſe naues Athenienſium integras, & ſibi multa dura accidiſſe, tum circa captiuorum cuſtodiam,

diam,

diam,quos in nauibus haberent,tum penuriam inſtruendarũ nauium in loco deſerto.Itaq; magis ſpectabant,quà ſe domum reciperent,timentes ne rupta Athenienſes fœdera exiſtimantes, quoniam ad manũ ueniſſent,ſe illinc nauigare non ſinerẽt.Igitur placitum eſt eis impoſitos in actuarium nauigiũ,ſine caduceo ad Athenienſes præmittere tentandi gratia,per quos talia dixêre:

Peloponnenſium cõcio ad Athenienſes.

Iniurij,Athenienſes,eſtis,bellum incipiẽtes,fœderaq; rumpentes,qui nobis hoſtes noſtros ulciſcẽtibus impedimento eſtis,contra ferentes arma.Quòd ſi uobis conſtitutum eſt nos prohibere, quominus in Corcyrenſes,alióue ſi quò libeat nauigemus,& fœdera rumpitis,nos capite primos,pro hoſtibusq; utimini.Et Corinthij quidem talia dixerunt:

Corcyrenſium uerò quicunque audierunt, exclamant, ut protinus capiantur trucidenturq;. Athenienſes autem hunc in modum reſponderunt:

Neque bellum incipimus,uiri Peloponnenſes, neque fœdera rũpimus,ſed his ſocijs Corcyrenſibus auxilio uenimus.Quòd ſi uſquam aliò nauigare libet, nauigetis licet:Sin aduerſus Corcyrenſes aliquémue illorum locum nauigabitis , non negligemus quo ad poterimus.Hæc cùm Athenienſes reſpondiſſent,Corinthij ſe ad diſcedendum domum accinxerunt, ſimulq; trophæum apud Sybota in cõtinente ſtatuerunt.Corcyrenſes naufragia mortuosq;,quæ æſtus ac uentus nocte exortus paſsim diſpulerant,ad ipſos delata,ut quodq; eiectum erat,ſuſtulerunt,ac trophæum in inſula Sybotis è regione ſtatuerunt,ueluti uictores:hac utrinque ratione uictoriam ſibi uindicãtes:Corinthij quidem,quod ad noctem uſque ſuperaſſent,ita ut naufragia plurima mortuosq; receperint,captiuorum non minus mille habentes,depreſsis nauibus circiter ſeptuaginta, trophæum ſtatuerunt. Corcyrenſes autem, quòd triginta fermè naues illorum corrupiſſent,& poſtquàm ſuperueniſſent Athenienſes naufragia circa ſe,mortuosq; legiſſent, quodq; pridie Corinthij retrò euntes,pugnam detrectaſſent,conſpectis Atticis nauibus,neque uenientibus occurriſſent ex Sybotis,ob hæc ſtatuerunt trophæum. Ita utriq; ſe interpretabantur uiciſſe. Corinthij illinc domum nauigantes, Anactorium , quod eſt in ore ſinus Ambracij,ceperunt fraude (erat enim illis cõmune cum Corcyrenſibus)poſitiſq; in eo Corinthijs incolis,domum reuerterunt.Et Corcyrenſium octingentos qui ſerui erant,uendiderunt,ducentos quinquaginta aſſeruarũt uinctos,magna adhibita cura,ut per illos repetita Corcyra potirentur,quorum pleriq; erant potentiſsimi ciuitatis.Sic igitur Corcyra bello defuncta eſt aduerſus Corinthios,& ab ea naues Athenienſium receſſerunt. Hæc prima Corinthijs extitit belli cauſa aduerſus Athenienſes,

quòd

quòd contra se fœderatos pro Corcyrensibus dimicassent.

Post hæc statim contigit, has fieri Atheniensibus Peloponnensibusq; simultates ad bellum mouendũ. Nam Corinthijs ut Athenienses ulciscerentur elaborantibus, suspicantes ipsi Athenienses eorum inimicitias, Potidæenses, qui ad isthmũ Palenes incolunt, Corinthiorum colonos, sociosq; suos uectigales, iubent murum Palenen uersus demoliri, obsidesq; dare atque opifices obijcere, nec in posterum admittere, quos Corinthij quotannis mittebant, ueriti ne à Perdicca Corinthijsq; solicitati deficerent, & alios in

Perdicca Alexandri filius.

Thracia socios ad defectionem traherent. Hæc Atheniẽses statim post nauale ad Corcyram prælium apud Potidæenses præpararunt. Nam & Corinthij odium præ se ferebant, & Perdiccas Alexandri filius, Macedonum rex, erat hostis, cùm socius antea atque amicus fuisset. Ideo autem hostis, quòd cum Philippo fratre suo, & Derda, aduersus se communiter bellum gerẽtibus, societatem fecissent. Eoq; timens misit Lacedæmona, atq; egit ut illis bellum esset cum Peloponnensibus. Corinthiosq; sibi conciliauit, Potidææ abalienandæ gratia. Ad hæc, sermones habuit cum Chalcidensibus Thraciæ & Bottæis de rebellando, existimans si has finitimas ciuitates haberet socias, fore ut facilè cum illis gereret bellum. Quæ intelligẽtes Athenienses, ciuitatumq; defectionem uolentes anticipare (miserant enim in illius terram triginta naues, ac mille pedites, Archestrato Lycomedis filio cum decem alijs præfecto) mandant ipsis præfectis obsides à Potidæensibus sumant, murum demoliantur, proximarum urbium custodiam gerant, ne deficiant. At Potidæenses missis ad Athenienses legatis, si fortè persuadeant, ne quid apud se noui agatur, profecti etiam cum Corinthijs Lacedæmona, egerunt ut illi pararent, si opus foret, defensionem. Vbi uerò ab Atheniensibus diu opera cõsumpta, nihil impetrant, sed naues quæ in Macedoniam, itemq; in ipsos mittebantur, profectæ sunt, simulq; quæstores Lacedæmoniorum polliciti, si Athenienses aduersus Potidæam irent, se Atticam inuasuros,

Potidæenses ab Atheniensibus deficiunt.

tunc demum defecerunt, cum Chalcidẽsibus ac Bottæis communiter coniurati. Perdiccas quoq; Chalcidensibus persuasit, ut relictis maritimis urbibus atque excisis, migrarent Olynthum, unaq; hanc urbem ualidam facerent. Atque his qui suam terram relinquebant, Mygdoniam, quæ circa Bolben paludem est, dedit incolendam, quoad foret cum Atheniensibus debellatũ. Et illi quidem suas urbes demoliti migrauerũt, ad bellumq; se parauerunt. At ubi triginta Atheniensium naues in Thraciam uenientes, acceperunt Potidæam aliasq; ciuitates defecisse, duces non existimantes se præsentibus cum copijs posse gerere bellum aduersus Perdiccã, & ciuitates quæ defecissent, in Macedoniam quo prius mitteban-

mittebantur, cōuertuntur, & eo appulsi belligerare cœperūt cum Philippo & fratribus Derdę, qui ex mōtanis cum exercitu superuenerāt. Interea Corinthij cum Potidęa desciuissent, & Atticæ naues circa Macedoniā agerent, timētes illi oppido, ac domesticum existimantes periculum, mittūt ex suis uolūtarios, & ex alijs Peloponnensibus mercede adductos mille sexcētos, cum iustis omnes armis, & quadringentos leuiter armatos, duce Aristeo Adimanti filio, cuius propter gratiam non parū multi ex Corintho milites ultrò comitatum præstiterunt. Fuerat enim semper Potidæensium studiosus. Peruenerūtq; in Thraciā septuagesimo die quàm Potidæa defecerat. Affertur autem repentè Atheniensibus nuncius de ciuitatum defectione, qui ut cognouerunt etiam alios cum Aristeo accessisse, mittunt eò ex suis duo milia peditum, ac naues quadraginta, duce Callia Calliadæ filio, cum quatuor collegis. Qui profecti in Macedoniam, offendunt mille priores iam Therma potitos, Pydnamq; oppugnātes. Eam & ipsi obsidentes oppugnauerunt, sed postea pacificati cum Perdicca, & necessaria societate inita, quòd eos urgeret Potidæa & Aristei aduentus, soluerunt ex Macedonia: cumq; Berrœam uenissent, & id oppidum conati prius expugnare nequiuissent, illinc itinere terrestri Potidæā perrexerunt, tria milia peditum sui corporis, præter multos sociorum, equitesq; Macedonum sexcētos, cum Philippo Pausaniaq;, ac nauibus septuaginta terram legentibus, paulumq; præeuntibus, tertio die Gigonum peruenerunt, castraq; posuerunt. Potidæenses & qui cum Aristeo erant Peloponnenses aduentū Atheniensium expectātes, castra habebant ante Olynthum in Isthmo, mercatumq; extra urbem agebant. Itaq; socij Aristeum cuncti peditatus ducem delegerunt, Perdiccam equitatus, nam protinus defecit iterum ab Atheniensibus, atque à Potidæensibus stetit, Iolao pro se duce substituto. Erat autem Aristei consiliū cum exercitu, quem secum habebat, excipere Atheniēses si aggrederentur. Chalcidenses uerò & socios qui extra Isthmum, equitesq; ducentos, qui cum Perdicca erant, intra Olynthum manere: & cùm in eum tenderent Athenienses, auxilio uenire à tergo hostis, eum in medio clausuros. Callias Atheniensium dux, ac collegæ. Macedonum equites, paucosq; sociorum Olynthum mittunt, illinc auxilium ferri prohibituros. Ipsi motis castris Potidęam tendunt, progressiq; usque ad Isthmum, ubi uident hostem sese ad bellum parantem, ex aduerso aciem & ipsi instruunt, nec multò pòst confligunt: & ipsum quidem Aristei cornu, & quicunque circa illum erant, ex Corinthijs cæterisq; bellatores, auerterunt oppositū cornu: perrumpentesq; longè persecuti sunt. Reliquus exercitus Potidæensium Peloponnēsiumq; ab Atheniēsibus superatus est, &

Aristeus.

Callias.

usque ad muros fugatus. Rediens Aristeus à persecutione, ut uidit alterum exercitum uictum, hæsitabat uerò tendens periclitari deberet Olynthúmne, an Potidæam. Visum est igitur, coactis qui secum erant, Potidæã, ut in propinquisimũ oppidum, cursu contendere, perq; mare inter muros & saxa, quæ ad arcendas undas mari obiecta erãt, multis misilibus iactis ægrè euasit, paucis amissis, plerisque saluis. At qui ex Olyntho auxiliares Potidæensium

Olynthi situs.

erant (abest autem Olynthus sexaginta fermè stadijs, sita edito in loco) ubi pugna commissa est, & signa sublata, paululũ progresi sunt, ut opem laturi, & Macedones equites aciem opposuêre tanquam prohibituri. At postquàm repẽtè uictoria penes Athenienses fuit, signaq; reuulsa, rursus ad muros sese receperunt, & Macedones ad Athenienses, ita equites neutris affuerũt. Post pugnam Athenienses trophæum statuerunt, mortuosq; ex iure Potidæensibus reddiderunt. Ceciderunt ex Potidæensibus socijsq; paulò minus trecenti: ex Atheniẽsibus centum quinquaginta, & Callias dux. Moxq; Athenienses murum qui spectat Isthmum, uallo cinxerunt, ubi & præsidium imposuerunt. Nam Palenen uersus murus non erat. Non enim se suffecturos arbitrabãtur tueri Isthmũ, & ad Palenen transgressos murum ducere, uerẽtes ne se diductos inuaderent Potidæenses ac socij. Cumq; accepissent, qui Athenis erant, Palenen non esse muris circundatam, post aliquantum temporis mittunt ex suis mille sexcentos pedites, duce Phormione Asopij filio, qui Palenen petẽs, ex Aphite egressus admouit exercitum Potidææ, paulatim procedens, simulq; agros uastans, tandem nemine prodeunte in pugnam, muro Palenen cinxit. Atque ita Potidæa iam utrinque uehementer oppugnabatur, necnon à mari infestabatur nauibus, urbe uallata. Aristeus nullam spem salutis habens, nisi quòd ex Pelopõneso aut aliud inopinatum subsidium contingeret, suadebat ut præter quinquaginta, quorum ipse unus uolebat esse, cæteri obseruato uento nauibus abirent, quò diutius suppeteret res frumẽtaria. Vbi non persuadet, ut quæ in rem erant appararet, utq; exterius negocia optimè haberent, enauigauit, deceptis Atheniensium custodibus: Manensq; apud Chalcidenses, illis socijs cùm alia prælia fecit, tum permultos Sermiliorum, locatis ante urbem insidijs, occidit. Etiam cum Peloponnensibus egit, ut aliquid subsidij mitteretur. Post Potidæam muro circundatam, Phormio mille sexcentos habens, Chalcidicam plagam Botticamq; depopulatur: quædam etiam castella cepit. Erant autem hæ causæ mutuò succensendi Atheniensibus & Pelopõnensibus, Corinthijs quidem, quòd Potidæam ipsorũ coloniam, Corinthiosq; homines ac Peloponnenses, qui in ea erant, oppugnarent; Atheniensibus autem, quòd urbem sociam, sibiq; uectigalem,

Calliæ interitus.

Belli Peloponnesium causa.

uectigalem,ad defectionem induxissent,& ex prouiso uenientes, pro Potidæensibus cum ipsis dimicassent.Nondū tamen bellum usquequaque conflatum erat,sed habebat aliquid laxamenti, separatim enim hęc Corinthij egerāt.Iidem cùm oppugnaretur Potidæa nunquam quieuerunt,cùm de ciuibus suis,tum de oppido soliciti, orarunt socios,ut Lacedæmonem irent,& ipsi uenientes contra Athenienses uociferabantur,quod fœderum ruptores, & in Peloponnesum iniurij essent.Æginetę quoque non illi quidem palàm legatione missa,sed clàm non minimū cum illis ad mouendum bellum incumbebant,dicentes non esse sui se iuris ex fœdere.Lacedæmonij coacto concilio, cohortati si quis sociorum aliûs ue quis accepisset ab Atheniensibus iniuriam,ex more dicere iusserunt.Et procedentes,alij ferè omnes,itemq́ Megarenses accusationibus usi sunt,demonstrātes cùm alia non pauca,ob quæ suc censerent,tum uerò quòd sibi præter fœdera interdictū esset sub Atheniensium imperio,portubus & terræ Atticæ mercatu.Nouissimi Corinthij permissis alijs prius exacerbare Lacedæmonios,processerunt,atque ita uerba fecerunt:

Oratio Corinthiorum ad Lacedæmonios.

Fides uestra,Lacedæmonij,quam inter uos publicè priuatimq́ seruatis,facit ut nobis alij,si quid dixerimus, fidem non habeant.Et in quo uobis sapitis, in eo circa externos magis desipitis:quippe qui nobis sæpenumero prædicentibus apud uos quid mali uobis immineret ab Atheniensibus, nunquam tamen auscultare uoluistis,quæ docebamus,sed potius ea dici suspicabamini propter priuatas,quæ nobiscū erant cum illis,simultates. Ideoq́ non priusquam læderemur,sed postquàm læsi sumus,socios hos uocandos putastis,apud quos æquum est,ut quo plus criminum habemus, quæ obijciamus, & ab Atheniensibus læsi,& à uobis neglecti,eo plus uerborum faciamus.Quòd si fortè non manifestè facerent iniuriam Græciæ,opus esset ut id planum faceremus apud nescientes.Nunc quid attinet longa uti oratione:cùm cernatis ab Atheniensibus alios in seruitutem redactos,alijs insidias tendi,& præcipuè ijs,qui nostri sunt socij,& olim iam ad bellum, si quando bellum sibi inferretur,illos se instruere. Nam alioquin non Corcyram præreptam nobis tenerent,neq́ Potidæam oppugnarent:quarum urbium altera accommodatissima est ad prouinciam Thraciam obtinendam,altera maximam Peloponnensibus classem præstabat.Cuius rei culpa penes uos est,qui tunc primū permisistis eos post bellum Medicum reficere urbem,mox etiam longos muros extruere,iam inde ad hanc diem assiduè priuantes libertate non modò socios suos,sed iam etiā nostros. tametsi non tam is,qui redigit alium in seruitutē,quàm is,qui cùm possit hoc

prohibere,contemnit,id facere existimandus est,utique si præclarum præ se ferat titulum,Græciæ in libertatem asserēdæ.At nunc uix tandem congregati sumus,ac ne sic quidem ista pro manifestis habentes,quos oportebat,non an iniuriam acceperimus, discutere amplius,sed quo pacto illam ulcisceremur.Nam qui faciunt iniuriam,non inconsulto,aduersus nos nondum hæc intelligentes,nec cunctabundi ueniunt.Nec nos fallit,qua uia Athenienses, uidelicet paulatim,progrediantur aduersus alios,ac se latere arbitrantes,propter stuporem uestrum,minus audent:enixius ausuri, ubi uos hoc sentientes,tamen negligere cognouerint. Soli enim uos Græcorū Lacedæmonij tenetis ocium,non uim ui ab aliquo, sed tarditate repellentes,soliq; uires hostium non cùm incipiunt, sed cùm duplicatæ sunt,perditum itis.Et tamen dicebatis uos esse in tuto,fortius loquentes,quàm pro rei ueritate.Nam & ipsi scimus Medum ab extremo terrarū prius in Peloponnesum peruenisse,quàm à uobis pro dignitate occurreretur,& nūc Athenienses,non longinquos ut ille erat,sed uicinos negligitis.& inuadentibus resistere mauultis,quàm inuadere,& cùm multò quàm antea fortioribus dimicando,incerta fortunæ subire:cùm sciatis & Barbarum ipsum magis aduersis casibus,& Athenienses dum nobiscū belligerarunt,potius crebris erroribus suis,quàm nostra ultione,fuisse superatos,eoq; nonnullos aliquādo quod imparati essent,spe uestri fretos in exitiū deuenisse.Neq; aliquis uestrûm hæc
Querela. dici à nobis existimet odio magis, quàm querela.Nam querela quidem est amicorū,de amicis officio non fungentibus.Accusatio
Accusatio. autem est de hostibus,qui iniuria affecerūt.Et sanè si qui alij sunt, qui uobis dedecori sunt indefensi,nos (ut arbitramur) ij sumus, qui præsertim de magnis adeò rebus dimicemus,quarum nullum uos sensum nobis habere uidemini,nec unquam considerare,quibúsnam cum hominibus res futura sit,& quàm omnino uestri dissimilius,uidelicet Atheniēsibus. Sunt enim nouarū rerum studiosi,& tum ad excogitandū,tum ad ea quæ sentiunt,exequenda,ueloces.At uos ea quæ possidetis cōseruare cōtenti,nihil admodum ad excogitādum,ac ne ad necessaria quidem exequenda sufficitis. Ad hæc illis quidem adest maior quàm pro uiribus audacia,præter hominum opinionem pericula subeunt,etiam inter asperrima quæq; benè sperant. Vos autem & ad agendū infra uires animosi, tutis etiam consilijs diffidentes,& difficultatibus nunquā uos ereptum iri arbitrātes.Præterea illi impigri,uos pigri:illi peregrè degentes,uos domi desides.Opinantur enim se lucrifacere absentia sua.Vos dum alios inuaditis,etiā parta absumi putatis.Illi superato hoste,longius progrediuntur:superati,minimū animo consternantur.Quinetiam in defendēda urbe ministerio alienissimorum utuntur,

utuntur, sed consilio intimorum. Nisi cogitata confecerint, de rebus domesticis deperire, & quæ inuadendo obtinuerunt, parua præ illis esse, quæ animo agitant, existimãt: & si quid irrita spe tentauerint, noua rursus spe amissa reparant. Soli enim omnium pariter habent ac sperant ea, quæ destinauerũt. Tanta est eorum in aggrediendis quæ animo constituerũt, celeritas. Atque in omnibus his per labores atque pericula æuum omne conterunt, rebus partis minimum fruentes, studio assiduè acquirendi, non dies festos esse aliud quippiam putantes, nisi conficere quæ expediunt, nec minus damnosam esse quietem desidem, quàm operam laboriosam. Vsque adeò (ut breui complectar) si quis dicat illos hoc ingenio natos esse, ut neque ipsi queant, neque alios sinant quiescere, is rectè dixerit. Hac tali ciuitate uobis aduersaria Lacedæmonij cunctamini, censetisq; quietem non ijs hominibus diutissimè permanere, qui apparatu quidem iusta faciunt: animis uerò, si læduntur, non se permissuros esse præ se ferunt: sed in eo collocatis æquitatem si nec alios læditis, & ipsi uim propulsantes non lædamini. Quod uix consequeremini, uel si similis uobis uicina ciuitas esset. Nunc autem id quod iam etiam ostẽdimus, priscis moribus agitis aduersus Athenienses. At qui necessarium est ut semper tanquam artis alicuius recentissima quæque euincant, & ciuitati tranquillæ optimum, non immutari instituta. At ea quæ ab alia cogitur, ad multa se conferre, debet & multa artificia machinari. Ideoq; Atheniẽses propter multam experientiã, multò quàm nos magis student rebus innouãdis. Hactenus uestra tarditas progressa finẽ faciat, & iam cùm alijs, tum uerò Potidæatis, quemadmodum recepistis, opem feratis, maturrimè Atticam inuadẽtes, ne homines uobis amicos atque cognatos inimicissimis prodatis, néue nos cæteros cogatis præ desperatione, ad aliam nos aliquam societatem concurrere, nihil profectò iniustè acturos, aut erga deos quos iurauimus, aut erga homines qui rem tenẽt. Non enim qui destituti ad alios se conferunt, fœdifragi sunt, sed qui coniuratis suis auxilia denegant, ad quæ auxilia præbenda, si prompto fueritis animo, permanebimus. Alioqui scelestè faceremus, si sententiam mutaremus: nec alios, quàm uos estis, familiariores inueniremus. De his uos probè cõsulatis, detisq; operam ne Peloponneso minori præsideatis, quàm quantam patres eam uobis tradiderunt. Et hæc quidem Corinthij dixerunt.

Atheniensium ingenia.

Aderat autem Lacedæmone iam antea Atheniensium legatio, aliorum negociorum causa. Qui cùm hæc uerba cognouissent, uisum est eis è dignitate sua esse Lacedæmonios adire, nihil purgaturos eorum quæ ciuitates crimini darent, sed ostensuros in uniuersum non esse illis festinato decernendum, sed impensius consi-

derandum. Necnon uolebant, quãtum sua ciuitas polleret, significare & redigere in memoriam senibus quæ nossent, & commemorare iunioribus, quorum inexperti essent, sperãtes fore ut cùm audissent, propensiores essent ad quiescendum, quàm ad bellum mouendum. Aditis igitur Lacedæmonijs dixerũt, uelle se ad multitudinem eorum habere orationem, nisi quid prohiberet. Illis iubentibus, Athenienses processerunt, atque in hunc modum locuti sunt:

Oratio Atheniensium ad Lacedæmonios.

EQuidem non ad disceptandum nos cum socijs nostris legati uenimus, sed ad alia trãsigenda à ciuitate missi. Verùm cognita non exigua aduersus nostram, aliarũ ciuitatũ querela, processimus: non criminibus responsuri (neq; enim iudices uos aut nostri aut istorum estis, apud quos habeatur oratio) sed ne uos ad socijs credendũ faciles, de rebus magnis deterius consulatis, simul quia uolumus de rationibus nostris omnibus quo pacto se habeant, uos facere certiores, neq; ea quæ tenemus, improbè obtenta, & nostram ciuitatem magni precij esse. Et peruetusta quidem illa quid attinet repetere, quorum magis fama testis est apud audientes, quàm aspectus? At gesta bello Medico, & quæcunque ipsi nouistis, & si propter uulgus magis sunt assiduè prædicanda, tamen commemorari necesse est. Quæ dum gessimus, si cum periculo, & ex utilitate communi gessimus, cuius uos participes extitistis, non est ab eorum prorsus mentione cessandum. Quæ non magis purgandi nos gratia dicentur, quàm testificandi demonstrandiq; aduersus qualem ciuitatem non bene uobis consulendo uos bellum suscipiatis. Etenim prædicimus nos solos in Marathone aduersus Barbarum periculis obuiam isse. Cui rursus reuerso, cùm impares terrestri certamine essemus, conscensis uniuersi nauibus ad Salaminem pugna nauali confliximus: quæ res præstitit, ne ille Peloponnesum præter nauigando oppidatim expugnaret, cùm non possent urbes uestræ contra ingentem classem sibi mutuò auxilio esse. Atque huius rei Barbarus ipse maximum testimonium perhibuit, qui classe uictus, tãquam nunquam amplius futura sibi pari potẽtia, properato cum maiore copiarũ parte abscessit. Ex quo tali facto cùm patuisset planè res Græciæ classe constare, tria nos in id utilissima contulimus, plurium nauium numerum, ducem solertissimum uirum, exertissimam animi alacritatem. Naues quidem ad quadringẽtas, paulominus duas totius classis partes. Ducem uerò Themistoclem, qui præcipuus autor extitit ut pugna naualis fieret inter angustias, res proculdubio statui Græciæ salutifera, quo nomine uos eum singulari honore prosecuti estis, præ externis omnibus, qui ad uos uenissent. Alacritatẽ autem, eamq;

præstan-

præſtantiſsimam, declarauimus, qui cùm terra iuuaremur à nemine, iam cæteris ad nos uſque redactis in ſeruitutem, ſtatuimus urbem eſſe deſerendam, rem familiarem deſtruendam, nõ ſicut cæteri ſocij ſocietatem deſerentes, neq; diſperſi, nullo ĳs uſui eſſe: ſed conſcenſis nauibus, diſcrimina adeuntes, nec uobis quod antea non tuliſſetis opem ſuccenſentes. Itaque dicimus non minus eſſe de uobis nos bene meritos, quàm ut hoc à uobis impetremus. Nam uos quidem & ex habitatis urbibus & ea ſpe ut eas in poſterum habitaretis, quia uobis magis quàm nobis timuiſtis, auxilio ueniſtis: id quod ex eo patet quod antea cùm adhuc ſalui eſſemus, non adfuiſtis. At nos, ab urbe ubi nulla iam ciuitas erat profecti, pro hac ipſa quæ exigua ſpe erat, periculis nos cõmittentes, & uobis ex parte, & nobis ipſis ſaluti fuimus. Qui ſi ad Medũ tranſiſſemus, metu ſubacti, quemadmodum alĳ, terræ noſtræ timentes, aut non auſi poſtea fuiſſemus claſſem cõſcendere, tãquam deplorati, nihil ſanè oportuiſſet iam nos non ſatis nauiũ habentes, claſſe pugnare, resq; ſine certamine ad uotum hoſti ceſsiſſet. Quapropter digni ſumus, Lacedæmonĳ, illius noſtræ generoſitatis, & prudentiæ gratia, qui principatu quem habemus potiamur, non ita multum Græcis inuidioſo: quippe quem non ui ſumus adepti, ſed tum uobis reliquias Barbari perſequi recuſantibus: tum ſocĳs, qui nos adierunt, precantibus ut ſibi præeſſemus. Quo ex facto coacti primùm ſumus illum hucuſque propagare, præcipuè timoris, deinde honoris, poſtremò utilitatis gratia. Neque amplius uidetur tutum nobis eſſe, ut cùm multis ſimus inuiſi, nonnullosq; qui iam defecerant, ſubegerimus: uobis quoque non perinde amicis, ſed in ſuſpicionem adductis ac diſcordãtibus, intermiſſa induſtria periclitemur: nanq; qui à nobis, ĳ ad uos deficerent, Nec inuidioſum eſt, aliquem qui in ſummum periculum deducatur, conſulere utilitatibus ſuis: quoniam uos quoque, Lacedæmonĳ, ciuitatibus, quæ ſunt in Peloponneſo, ad ueſtram utilitatem conſtitutis præeſtis. Quòd ſi cùm tunc perpetuò perſeueraueritis, in imperio offenderemini, profectò non minus quàm nos ſocĳs eſſetis moleſti, cogereminiq; aut imperioſè dominari, aut ueſtri periculum adire. Ita nec nos indignam fecimus rem, neque à moribus humanis abhorrentem, ſi traditũ nobis imperium ſuſcepimus, nec id deponimus maximis rebus coacti, dignitate, metu, & utilitate. Neq; uerò talis facti primi ſumus autores: quin ſemper factitatũ eſt, ut imbecillior à potentiore coërceretur, quod ut nos faciamus, & noſtra opinione digni ſumus, & uobis uidemur quatenus utilitatẽ perpendẽtes, iuſta ratione utimini. Quam rationem nemo unquam ita utilitati præpoſuit, ut oblatam ſibi occaſionem plus aliquid ui adipiſcendi, prætermitteret. Digniq; illi

Suis quenque commodis studere par esse.

ſunt laude qui humana natura uſi ad alijs imperandũ, benigniores extiterũt, quàm ipſum imperium tulit. In quo quàm modeſtè nos geramus, illi ut arbitramur, maximè oſtenderēt, ſi qui hoc imperium acciperent. Quanquã ex noſtra lenitate (quod indignum eſt) plus dedecoris aſſequimur, quàm laudis, ſiquidem quod in rebus contrahendis & in iudicijs æquo iure nos atq; illi utuntur, quod nobis contumelioſum eſt, tamen litigioſi putamur: neq; eorum quiſpiam conſiderat, cur alijs imperium alibi tenentibus, & minus erga ſubditos moderatis quàm nos ſumus, hoc non exprobretur. Vi enim agere quibus licet, hos iudicio experiri nihil opus eſt. At noſtri ſocij cõſuetudine nobiſcum ex æquo agendi, ſi quid uel quantulumcunq; ſibi detractum eſt, uerbo factóue propter rationem imperij, quod opinione ipſorum detractũ non oportuit, non habent gratiam de pluri non erepto ſibi, ſed illud modicum deeſſe grauius ferunt, quàm ſi ab initio ſecum non iure, ſed apertè rapaciter egiſſemus. Tunc enim iſti hiſcere quidem cõtrà non auſi fuiſſent, tanquam fas non foret imbecilliori detrectare imperia ſuperioris. Atq; ij homines indignari potius ſolent, quibus iniuria infertur, ut uidetur, quàm quibus uis. Nam fraudare quidē alium, ſignificat illic eſſe iuris æquabilitatem: cogere uerò, illic eſſe ſuperiorem. Eoq; cùm atrociora ſub Medo paterentur, tolerabant: eiſdem nunc noſtrum imperium durum uidetur, neq; immeritò. Semper enim ſubditi præſenti grauãtur imperio. Quin uos ſi euerſo dominatu noſtro ipſi dominaremini, iam beneuolentia quam metu noſtri contraxiſtis, in maleuolentiã mutaretur. Et quæ tunc ad breue tempus, cùm aduerſus Medos præfuiſtis, declaraſtis, eiſdem ſimilia decerneretis. Veſtra enim inſtituta ac leges, cum alijs non cõmunicatis: præterea quiſquis à uobis dux mittitur, is neq; eiſdem quibus antea moribus, neq; quibus reliqua Græcia utitur. Quapropter tanquam de rebus non exiguis diu deliberate, neq; alienis conſilijs criminationibuſq; fidem habentes, domeſticum laborem præeligatis, atq; huius belli incertum quantum ſit priuſquam ingrediamini conſiderate. Belli enim diuturnitas ſolet pleraſq; res fortuitis obijcere. A quibus fortuitis utriq; æqualiter abſumus, incertum utri magis in periculo futuri. Qui cupidè bella ineunt, prius in negocijs uerſantur, quæ poſteriora conſilijs eſſe debebãt. Iidem cùm aduenit calamitas, tunc ad rationem ſeſe conferunt. Cui culpæ, cùm neque nos ullo pacto affines ſimus, neque uos eſſe uideamus, prædicimus cùm integrũ utriſq; eſt bene conſultare, ne fœdera rumpatis, neq; iuſiurandum uioletis, ſed controuerſias noſtras ex cõuentis dirimamus. Alioqui deos, quos iurauimus, teſtamur, nos bellum propulſaturos eatenus, quatenus uos eius autores prouocaueritis. Hæc Athenienſes.

Poſtquam

Poſtquam audierunt Lacedæmonij ſociorum querelas aduerſus Athenienſes, & quæ Athenienſes dixerunt, ſubmotis omnibus, apud ſeipſos de rebus præſentibus conſultauerunt, & plurimum in idem conuenēre ſententiæ, iam iniuſtè agere Atheniēſes, & quàm primùm bello ulciſcendos. Procedens autem Archidamus eorum rex, & ſolers habitus & modeſtus, ita uerba facit:

Oratio Archidami regis ad Lacedæmonios.

MVltorum iam bellorum, Lacedæmonij, & ipſe ſum expertus, & tales eſſe ſcio ex uobis, qui ętatis eiuſdem ſunt, ut neq; per imperitiam quis (id quod multis contingit) bellum concupiſcat, neq; ipſum expedire ac tutum eſſe exiſtimet. Hoc autem quo de nunc agimus, ſi quis ſagaciter ratiocinetur, non inter minima habendum eſſe comperietis. Nam aduerſus quidem Peloponnenſes atque finitimos, noſtræ uires pares ſunt, cùm poſſumus contra ſingulos arma circumferre: aduerſus autem uiros qui procul incolunt, quiq; rei maritimæ ſunt expertiſsimi, ac cæteris rebus omnibus præclariſsimè muniti, diuitijs & priuatis & publicis, claſſe, equitatu, armis, hominum copia, quanta in Græcia nuſquam eſt alibi, duntaxat uno in loco: præterea ſocijs multis tributarijs, quo tãdem modo bellum debemus ſumere? & qua freti re, cùm ſimus imparati, illos inuadere? An claſſe? at ea inferiores ſumus, cui inſtruendæ ſi operam impendamus, ut pares ſimus, tempore opus eſt. An pecunia? at iſta multò etiam ſumus inferiores. Quam neq; in publico habemus, neq; unde promptè ex priuato conferamus. Confidat forſitan aliquis, quod & armis eos, & hominum multitudine antecellimus, ut terrã eorum peragrãtes, uaſtare poſsimus. Atqui reliquum terrę quod habent, permultum eſt, & quibus indigebunt, ea mari importabũt. Quòd ſi eorum ſocios ad defectionem ſolicitabimus, oportebit nos illis claſſe ferre auxilium, maiore ex parte inſulanis. Itaq; quódnam erit noſtrũ bellum, qui niſi aut nauibus ſuperauerimus, aut prouentus, unde claſſem alunt, pręripuerimus, plura de noſtris ſimus deſtructuri. Quanquam ne deponere quidem bellum poſtea fuerit decorũ, præſertim ſi illius nos mouendi potius autores fuiſſe uideamur. Neq; uerò ſpe illa ſubleuemur citò debellandi, ſi agrum eorum peruaſtemus, cùm timeam magis ne bellum liberis noſtris relinquamus. Neque credibile eſt, Athenienſes eós ſpiritus habere, ut aut propter agrum uaſtatum inducantur ad ſeruiendum, aut bello perterreantur, tanquam inexperti bellandi. Neque rurſus ita deſipio, ut uos iubeam ſinere ab illis lædi ſocios ueſtros, nec caſtigare inſidiãtes, ſed nondum ad arma prorumpere, uerùm mittere ad eos expoſtulatum, neq; bellum ualde oſtendentes, neq; tanquam ſine bello talia permiſſuri. Et interea noſtra ipſorum apparare ſociorum prouentu,

tum

tum Græcorum tum Barbarorum,sicunde uirium aliquid uel ad classem uel ad rem pecuniariã asciscemus.Extra inuidiam est,quibuscunq; tenduntur insidiæ,quemadmodum nobis ab Atheniensibus,eos asciscendis non Græcis modò,uerumetiam Barbaris,saluti suæ consulere,tamen è nostris rebus copiæ suppeditabuntur. Quòd si legatos nostros exaudierint,optimum fuerit:Sin minus, duorum triúmue annorum spatio nos iam melius muniti,bellum illis inferemus.Qui cernentes iam nostrum apparatũ,cumq; congruere cum uerbis,quibus ista significauerimus,magis cõcedent, utiq; illæsum adhuc agrũ habẽtes,& de bonis pręsentibus nondũ ab hoste corruptis deliberãtes.Nihil enim aliud ipsorum agrum putetis esse,quàm obsidem,cùm eum obtinẽt,atq; eo magis,quo melius excolitur,cui quàm plurimũ parcere debemus,nec ad desperationem compulsos illos,inexpugnabiles reddere.Si enim imparati,sociorum accusationibus inducti,eum uastabimus,uidete ne deformius atque damnosius Peloponneso cõsulamus.Etenim accusationes & publicæ & priuatæ extingui possunt: at bellum quod priuatorum causa sumitur ab uniuersis,incertum quònam sit euasurum,non facilè deponitur cum decore.Ac ne cui uideatur ignauiæ dandum,multas urbes aduersus unam non continuò bellum suscipere,sunt & illis sui socij, non pauciores quàm nobis,& hi stipendiarij,& bellum ferè non magis stat ope armorum quàm sumptibus,per quos utilia sunt arma,pręsertim hominibus mediterraneis aduersus maritimos.Quare demus operã prius,ut suppetant sumptus,non sociorum uerbis efferamur,qui certè ut plus causę,in utram partem res cadet,habebimus,ita per quietem utro sit res casura prouidebimus.Nec uos tarditatis atq; cunctationis, quam in nobis maximè reprehendunt,pudeat.Nam & properando ad bellum,serius illud finietis,quod imparati adieritis:& quia nostra ciuitas semper extitit libera & gloriosissima,potest hęc cunctatio præcipuè uideri germana nostræ grauitatis. Propter hanc enim soli nos,neq; uictores insolescimus,& aduersis minus quàm cæteri consternamur.Neq; laudibus nos incitãtium ad difficiliora,quam nobis uideantur capessenda,erigimur uoluptate.Neque si quis accusationibus exacuit,idcircò magis ad assentiendum inducimur,propter modestiam bellaces,& ijdem circumspecti:Bellaces quidem,quia modestiæ uerecundia particeps est:uerecundiæ rursus, præstantia animi:Circumspecti uerò,quod edocti sumus,indoctiorum esse leges cõtemnere,modestiúsq; uel cum difficultate illis obtemperare.Neque in hoc sumus ualde solertes,ut apparatũ hostilem speciosa,sed inutili oratione uituperemus: & bellum mox non perinde ex ipso opere ineamus,sed sentiamus cogitationes aliorum similes esse nostris,nec fortuitos casus sub ora-

tionem

tionem uenire. Tanquam aduersus hostem recto cõsilio utentem, nos factis semper instruamur, nequaquam spem habentes ex illo tanquam peccaturo, sed quemadmodũ ipsi nos, diligẽter sibi prouisuro. Neq; debemus arbitrari, inter hominem & hominem magnopere differre, sed illum esse præstantissimum, qui in rebus maxime necessarijs eruditur. Hæc igitur instituta, quæ nobis nostri maiores tradiderunt, quæq; ipsi tenentes, perpetuò profecimus, ne omittamus: néue breui parte diei adducamur ad cõsultandum de multorum capitibus, de multis pecunijs, de multis urbibus, de gloria, sed per ocium id agamus, quod nobis propter potentiam, præter cæteros agere licet. Mittite ad Atheniẽses de Potidæa, mittite de alijs expostulatum, quibus illatam iniuriam socij aiunt, eo quidem magis, quod iudicio se offerunt: quod qui faciunt, aduersus eos, tanquam iniuriam inferentes, ire legitimum non est: & nihilominus bellum apparate. Hæc facientes & præclarissimè consulueritis, & hostem maximè terrueritis. Et Archidamus quidem ita locutus est. Procedens autem ultimo loco Sthenelaidas, qui tunc unus erat ex Ephoris (hoc est, tribunis plebis) sic ad Lacedæmonios inquit:

Oratio Sthenelaidæ Ephori ad Lacedæmonios.

Verba quæ Athenienses multa fecerunt, equidem non intelligo. Nam seipsos maiorem in modum iactauerunt, nihil sanè refellentes, se non intulisse iniuriam socijs nostris atque Peloponneso. Qui etsi contra Medos tunc boni fuerunt, nunc quod erga nos mali sunt, duplici sunt digni supplicio, mali ex bonis effecti. Nos autem nostri similes, quales tunc, tales nunc sumus. Qui si sapimus, socios nostros non habebimus contemptui affectos iniuria, nec eos ultum ire differemus, cùm ipsorum non differatur iniuria. Nam alijs quidem suppeditat multitudo pecuniarũ, nauium, equorum, at nobis strenui socij, haud digni quos Atheniensibus prodamus, nec quorum causa iudicijs discutiatur, & uerbis, cùm non sint ipsi uerbis læsi, sed uindicetur maturè atque omni conatu. Neq; uos quisquam lacessitos iniuria, doceat quónam modo consultare conueniat. Eis conuenit potius diu consultare, qui sunt illaturi iniuriam. Qua de re Lacedæmonij è dignitate Spartana bellum decernite. Nec Athenienses sinatis effici maiores, nec socios à nobis proditos esse, sed is ducibus bellum inferamus iniuriam inferentibus.

Hæc locutus cùm esset Ephorus, rem ad suffragia retulit in concionem Lacedæmoniorum, ac negauit (clamore enim, non calculis, dant Lacedæmonij suffragia) dignoscerè se, clamor uter maior esset, sed uolens eos apertè sententiam declarantes, ad sumendum bellum proniores esse, inquit: Cui uestrûm uidetur, Lacedæmonij, rupta

Lacedæmonij bellũ decernũt aduersus Athenienses.

nij, rupta

nij, rupta fœdera, & Atheniēses iniurij esse, surgat in locum illum, ostendens ei certum locum: cui non uidentur, in alterum. Illi trans euntes cùm altrinsecus steterunt, multò plures fuêre, quibus fœdera rupta uiderentur, accitisq; socijs dixerunt, sibi quidem uideri iniustè agere Athenienses, uelle tamen hortari socios omnes ad danda suffragia, ut communi consilio bellum, si uideatur, geratur. Et illi quidem confectis ijs domum abiêre, & post eos legati Athenienses, cùm respōsum retulissent de ijs, quorum gratia uenerant. Hoc autem plebiscitum fœdera esse rupta, factum est quatuordecimo anno quàm tricēnalia sunt inita fœdera, Euboicū bellum secuta. Enimuero decreuerunt Lacedæmonij fœdera rupta esse & bello uindicanda, non tam inducti sociorum uerbis, quàm metu ne Athenienses potentiores fierent, quibus cernerent iam plurimum Græciæ subiectum esse. Nam Athenienses hunc in modum ad eas res uenerunt, in quibus aucti sunt.

Atheniēses quo pacto opes adepti fuerint.

Posteaquam Medi ex Europa decesserūt, nauali pariter ac pedestri pugna à Græcis uicti, & eorū qui mari effugerunt, apud Mycalen absumpti sunt, Leotychides Lacedæmoniorum rex, Græcorum qui apud Mycalen erant, dux, abijt domum, habens qui ex Peloponneso erant socios. Athenienses uerò socijq; ex Ionia & Hellesponto, qui iam ab rege defecerant, perstando Sestum Medis infessam oppugnarunt, ibiq; hybernantes ceperunt, Barbaris dilapsis. Post quod omnes ferè in urbes redierunt, nauigantes ex Hellesponto. Athenienses simulac eis Barbari ex regione cesserunt, publicè ubi deposuerant, recipiunt liberos, uxores, & quæ supererāt, rem familiarem urbemq; excitare ædificijs parant, ac muris. Ambitus enim parum extabat, domus pleræq; conciderant, paucæ in quibus manserant primores Persarum, incolumes erant. Quod futurum intelligentes, Lacedæmonij uenêre legati, partim quòd ipsi libentius uidissent nec illos nec aliū quenquam habere mœnia, partim quòd eos exacerbabant socij quod timerent, tum nauium copiam quanta non antea fuisset, tum auctam in bello Medico audaciam. Postularunt itaque ab eis, ne muros reficerent, sed potius omnium extra Pelopōnesum urbium quarumcunq; starent ambitus, demolirentur: quid uellent ac suspicarentur, non patefacientes illi quidem Atheniensibus, prætendentes tamen ne Barbarus, si rursus rediret, haberet unde ex tuto, sicut modò ex Thebis, procederet, Peloponnesum omnibus receptaculum idoneum ac tutamen esse. Athenienses talia locutos Lacedæmonios confestim dimittunt, cùm se missuros illuc de hac re legatos respondissent, Themistoclis consilio. Is iussit ut se quàm primùm Lacedæmona mitterent legatum: socios, qui eligendi essent non subitò, sed eos tandiu retinerent, usq; dum muros ad iustam altitudinem

Themistoclis prudens consilium de reficiē dis Athenarum muris.

altitudinem excitassent, unde cõmodè saltem pugnari posset, omnibus prorsus qui in urbe essent adiuuãtibus & ipsis & uxoribus & liberis, nulli parcentes, neq; priuato, neq; publico ædificio, unde aliqua in id opus utilitas foret, sed omnia diruentes. Hæc cùm docuisset, significassetq; alia quę illic esset acturus, discessit. Cumq; Lacedæmona uenisset, non adijt magistratus, sed multa prætendebat, ac causabatur, quotiesq; aliquis quæstorum interrogaret, cur in senatum non procederet, expectationem sociorum excusabat: occupatione enim eos aliqua distineri, sperare se tamen propediem uenturos, & mirari nondũ adesse. Quæ audientes, ei propter amicitiam credebant. Cùm autem alij uentitarent, aperteq; coarguerẽt muros fieri, atq; adeò iam sublimes esse, non habebant unde non crederent. Quod sentiens Themistocles, iubet eos potius quàm uerbis seducantur, certos ex ipsis mittere, qui rem fideliter exploratam renuncient. Illis mittentibus quosdam è suis, & ipse clàm per nuncium Atheniẽses admonet, ut eos qui mitterentur à Lacedæmonijs retineãt, idq; quàm minimè apertè, nec prius dimittant, quàm se iterũ recepe rint. Et iam collegæ eius uenerant, Abronychus Lysiclis, & Aristides Lysimachi filius, nunciãtes iam iustam habere altitudinem murum. Timuerat enim ne à Lacedæmonijs, ubi rem planè rescissent, iam non dimitterẽtur. Athenienses ut iussi erant, legatos retinent. Et Themistocles tum demum adit Lacedæmonios, palamq; dicit urbem suam iam muris cinctã esse, ita ut idonea sit ad eos qui incolunt tutandos. Quòd si illuc uelint Lacedæmonij socij'ue legationem mittere, missuros in posterum tanquam ad eos qui dignoscãt quæ sibi conducant, quæq; è republica sint. Nam cùm melius uisum fuit ipsis urbem deserere, nauesq; conscendere, ostendisse se sine eis hoc scire audere, & quæcunq; cum eisdem cõsultarint, in eis nulli dicendis sententijs inferiores fuisse. Igitur nũc quoq; ipsis uideri melius urbem suam muros habere, idq; & priuatim ciuibus, & uniuersis socijs conducibilius fore. Neq; enim fieri posse, ut ab inæquali facultate æqualiter ac similiter in medium consulatur. Itaq; oportere aut omnes ciuitates confœderatas carere muris, aut eos sentire hos quoque rectè factos esse.

His auditis Lacedæmonij indignationem in Athenienses, non illi quidem præse tulerũt. Non enim ut uetarent, sed ut quodã modo in commune cõsilium darent, legationem miserant, præsertim ad hunc propensi in amorem Atheniensium, propter singulare illorum aduersus Medos studium: tamen quòd hæc eos spes frustrata esset, tacitè infensi erant. Ita utrorunq; legati citra incusationem domũ reuerterunt. Atq; hunc in modum Atheniẽses urbem exiguum intra tempus muro cinxerunt. Et indicio est etiam nunc *Atheniensium murus.*

D

ipsa structura, properato fuisse factam. Nam fundamenta omnifariorum lapidum, & alicubi non fabrefactorum, iacta sunt, ut quiꝗ afferebantur, multa etiam ex monumentis laborataꝗ sunt congesta: maior enim murus, quàm pro magnitudine urbis ducebatur, ideóque omnia mouentes labori pariter incumbebant. Persuasit præterea Themistocles ut reliqua Piræi ambirẽtur, iam antea inchoata, quo anno ipse Atheniensibus præfuerat, existimans tum ipsum locum cõmodiorem fore, tres suapte natura portus habentem, tum ciues fieri nauticos magnopere proficere ad potentiam amplificãdam. Quippe primus ausus est dicere, mari resisti posse, statimꝗ moliri cœpit. Cuius cõsilio Athenienses extruxêre murũ circũ Piræa, qui nunc quoꝗ extat, eius latitudinis, ut per eum duo plaustra lapides comportantia è regione præterirent. Interneꝗ cementa inerant, neꝗ lutum, sed saxa grandia ad normam incisa coagmentataꝗ, & extrinsecus ferro inuicem plumboꝗ ferruminata. Altitudo ferè dimidio tenus absoluta est, eius quod ille destinauerat. Destinauerat enim ut celsitudo ipsa latitudoꝗ arceret hostiles incursus, paucorum hominũ eorumꝗ imbecillimorum suffectura custodia, cæteri autẽ naues conscenderent. Nam in rem nauticam præcipuè incumbebat, intelligens (ut mea fert opinio) regiarum copiarum aduentum mari, quàm terra uehemẽtiorem futurum, ac Piræa magis quàm superiorem urbem utilem esse. Adeò sæpenumero Athenienses est adhortatus, si quando à terra urgerentur, in hunc descenderent, omnibusꝗ re nauali resisterent. Et Athenienses quidem ad hunc modum cùm alia munierunt, tum muros extruxerunt, statim à discessu Medorum.

Pausanias. Pausanias uerò Lacedæmonius Cleombroti filius, Græcorum dux, cum uiginti nauibus ex Peloponneso dimissus, quem comitatæ sunt triginta Atheniensium naues, & aliæ sociorum permultæ, ingressiꝗ hostiliter Cyprum, multa eius oppida subegerunt. Deinde profecti Byzantium à Medis occupatum obsederunt hoc duce. Quo iam facto imperiosiore, cùm alij Græci, tum præcipuè Iones, ac quicunꝗ recens regio dominatu liberati erant, offendebantur. Itaꝗ aditis Atheniensibus postulauerunt, ut pro necessitudine quæ inter eos esset, se duces ipsis præberent, nec Pausaniam uiolenter agere finerent. Athenienses hæc uerba approbantes, prospiciebant, tanquam uoluntatem eorum non neglecturi, ubi cætera constituissent, quemadmodum sibi optimè uideretur. Interea Lacedæmonij Pausaniam accersunt, de ijs cognituri quæ audissent. Etenim multa eius iniusticia à Græcis aduenientibus deferebatur, potius eum uideri tyrannum agere, quàm ducem. Euenit ut eodem tempore ille accerseretur, & ipsius odio socij ad Athenienses transirent, præterquàm ex Peloponneso milites.

Reuersus

Reuersus Lacedæmona nonnullarum priuatim iniuriarum conuincebatur, maximis autem criminibus absoluebatur. Insimulatus est autem non in postremis, quod cum Medis sentiret, & uidebatur manifestissimum esse, & ob id cum amplius ducem non miserunt, sed Doreen, cumꝗ eo alios quosdam non magnũ exercitum habentes, quibus cùm socij iam non permitterent imperiũ, illi hæc animaduertẽtes abierunt. Post eos, Lacedæmonij nullos sibi mittendos esse censuerunt, ueriti ne ij quos mitterent, sibi deteriores fierent, id quod in Pausania perspexerant. Eo quidem magis, quod & defungi Medico bello cuperẽt, & existimarent Atheniẽses tum satis idoneos duces esse, tum sibi illo tempore idòneos. Accepto hac ratione Athenienses principatu, libentibus propter odium Pausaniæ socijs, statuerunt quas pecunias quasꝗ naues æquum esset præbere ciuitates ad regium bellum, per speciem ulciscendæ quam passi erant calamitatis, uexandis inuicem bello regijs prouincijs. Tunc primùm Græciæ ærarij præfecti sunt instituti ab Atheniensibus, qui tributum reciperent. Sic enim appellata est pecuniarũ collatio. Primumꝗ tributum constitutum quadringentorum sexaginta talentorum: ærarium eorum fuit Delos, & in templo cœtus fiebant, ac socijs imperãtes qui inter initia suis legibus uiuerent, & ex publicis concilijs consultarent, ea bello & rerum adminatione gesserunt, quæ ipsis intercesserunt cum Barbaro, cumꝗ socijs nouas res molientibus, & ijs Peloponnẽsium, qui in omni re semper intercedebãt. Scripsi autem ea ab instituto sermone egressus, ob id, quod ab omnibus, qui ante me fuerunt, locus hic prætermissus est, scribẽtibus aut res ante Medicum bellum gestas, aut ipsum bellum Medicum. Quorũ Hellanicus, qui hæc attigit in Attica historia, & breuiter meminit, neꝗ digestis sanè temporibus. Præterea quod principatus Atheniensium quemadmodum sit constitutus demonstratur.

Primùm quidem Eionem, quæ est ad Strymonem, Medis tenentibus expugnauerunt diripueruntꝗ duce Cimone Miltiadis filio. Dehinc Scyrum in Ægeo insulam, quam incolebant Dolopes, diripuerunt, ipsiꝗ coluerũt. Fuit eis & cum Caristijs sine alijs Euboijs bellum, tandemꝗ in deditionem redegerunt. Post hæc cum Naxijs, qui defecerãt, bellum gesserunt, oppugnandoꝗ eos subegerunt. Prima hæc sociarum ciuitatum præter constitutum, in seruitutem redacta est, mox & aliæ, ut quæꝗ contingebat. Defectionis autem causæ, cùm aliæ fuerunt, tum uel præcipuè tributorum, ut causabantur, penuria, nauiumꝗ: & si quis in militia desertor extitisset. Nam exactè agebãt Athenienses, erantꝗ acerbi in adigendis hominibus, ærumnarum insuetis, eaꝗ recusantibus, & alioqui non iam ea qua consueuerant, comitate imperabant,

Atheniensium gesta ante Medicum bellum.

neq; ex æquo militabant, facileq; poterant eos subigere, qui defecissent. Cuius rei causa illi ipsi extiterant socij. Nam propter hanc militandi pigritiam, plerique ne domo abessent, constituerunt nauium loco pro portione pecuniã soluere. Ex qua solutione Atheniẽsium quidem res naualis aucta est. Ipsi uerò cùm desciscebant, bellum & imparati & inopes suscipiebant. Commiserũt post hæc Athenienses socijq; cum Medis prælium, & pedestre ad flumen Eurymedontem in Pamphylia, & nauale, atque in utroque & eodem die uicerunt, duce Cimone Miltiadis filio, captis corruptisq; omnibus ad ducentas Phenicum triremibus. Aliquantoq; pòst tempore contigit, ut ab eis deficerent Thasii, indignatione contracta, ob emporia, quæ in aduersa Thracia, cùm aliarum rerum, tum metalli ab illis fiebant. Athenienses eò nauibus profecti Thasios pugna nauali uicerunt, in terramq; descenderunt. Missis quoque sub idem tempus ad Strymona decem milibus colonorũ tum suorum, tum socialium, tanquam uolẽtes habitare oppidũ, quod Edoni tenebant, tunc, Decem uias, nunc Amphipolim appellatum, illo quidem potiti sunt. Sed progressi in mediterranea Thraciæ, ab ipsis Thracibus, quibus infestum erat id oppidum si incoleretur, apud Drabescũ Edonicam omnes sunt interempti. Thasii uerò prælio uicti & obsessi, Lacedæmonios in auxilium uocauerunt, hortantes ut ad se tutandos Atticam inuaderẽt. Quod se facturos illi clàm Atheniensibus receperunt, ac fecissent, nisi prohibiti fuissent terræmotu. Quo tempore & mancipia ex finitimis Thuriatæ Ætheesq; Ithomẽ aufugerũt. Erant autem mancipiorũ pleraque ab antiquis illis Messenijs tunc in captiuitatem ductis oriunda, eoq; Messenij omnes uocabantur. Itaq; aduersus eos, qui Ithomæ, erãt bellum suscepêre Lacedæmonij. Thasii tertio quàm oppugnari cœpti sunt anno, Atheniẽsibus sese dediderunt, muris dirutis, nauibus traditis, pecunijs in præsentia quidẽ quantæ pendi debebant, solui iussis, in posterum reliquis, relicta eis continente ac metallo. Lacedæmonij bello quod gerebãt cum ijs qui erant Ithomæ in longum eunte, euocauerunt cùm alios socios, tum uerò Athenienses, qui & ierunt, Cimone duce non exiguis cum copijs: ob id autem maximè euocati, quod præcipui uidebantur in pugna murali, qua opus esse uidebatur diutina in obsidione, atq; ita ui oppidum capi posse. Atq; ex hac primùm expeditione inter Lacedæmonios Athenienlesq; dissensio palàm facta est. Lacedæmonij enim cùm oppidum ui non caperetur, reformidarunt Atheniensium tum audaciam, tum ad res nouandas animum, simulq; suspicantes ne quid peregrini, si permanerent, ab ijs, qui Ithomæ erant, solicitati, molirentur noui, solos omnium sociorum dimiserunt suspicione dissimulata, tantùm negãtes se illorum opera amplius

plius

plius egere. Atheniēses haud nescientes non se meliore causa missos fieri, sed suspicione aliqua, grauiter acceperunt: nec ita de Lacedæmoniis meritos se esse existimantes, ut ista paterentur, cùm primùm reuersi sunt, societatem soluerunt cum Lacedæmoniis Medico bello contractam: inieruntq; eam cum Argiuis illorum hostibus, & inter utrosq; aduersus Thessalos quoq; ictum est fœdus. Porrò ij qui Ithomæ erant, decimo demum anno cùm iam impares essent oppugnantibus, acceperunt à Lacedæmoniis oblatam conditionem, ut ex Peloponneso fide publica excederent, & in ipsam nunquā ipsis deinceps regressus esset: quòd si quis deprehenderetur, seruus fieret capientis. Fuerat autem antea redditum Lacedæmoniis oraculum quoddam Pythium, quo iubebantur supplicem Iouis Ithomitæ dimittere. Exeūtes eos unà cum liberis & uxoribus, Atheniēses odio iam Lacedæmoniorū exceperunt, & in Naupacto quam nuper insessam à Locris Ozolis ceperant, collocauerunt. Megarenses quoq; à Lacedæmoniis ad Athenienses defecerunt, quod à Corinthiis de terminis contēdentes, bello uicti essent. Tenueruntq; Athenienses Megara & fontes, ingentesq; extruxerunt Megarēsibus muros ab urbe ad Nisæam, eosq; ipsi tuebantur. Vnde primùm Corinthiis non mediocre in Athenienses odium conflatum est. Inarus autem Libyus Psammetichi filius Libyorū rex, qui sunt Ægypto finitimi, ex urbe Maria (quæ est super Pharum) profectus, effecit ut ad se pleraq; Ægyptus ab rege Artaxerxe deficeret. Moxq; Athenienses ad belli societatem asciuit, tunc fortè apud Cyprum in expeditione agentes ducentis cum nauibus, tum suis tum sociorum. Illi relicta Cypro, se illuc contulerunt: & à mari in Nilum nauigantes, flumine ipso & duabus Memphidis partibus potiti sunt, & ad tertiam, quæ uocatur Albus murus, cum iis bellare cœperunt qui intus erant, Medis Persisq; qui eò fugerant, & Ægyptiis qui cum aliis non rebellauerant. Item egressi nauibus Atheniēses in Haliam, cum Corinthiis Epidauriisq; cōmissa pugna, à Corinthiis uicti sunt. Posteaq; Cecryphaleam nauali cum Peloponnensibus prælio uicerunt. Moto autē post hac aduersus Æginetas bello, ingens inter hos ad Æginam extitit pugna naualis cum suis utrosq; sociis: uictoriarum penes Atheniēses fuit, captis hostiū septuaginta nauibus: qui egressi in terram, urbem oppugnare cœperunt, duce Leocrate Strœbi filio. Peloponnenses dehinc Æginetas asserere uolentes, trecētis primùm armatis Corinthiorum Epidauriorumq; Æginam auxilio transmissis, promontoria Geraneæ occupant. Necnon Corinthij cum sociis in agrū Megari cùm descendunt, existimantes non futuros pares Athenienses tutandis Megarensibus, absente tum apud Æginam, tum apud Ægyptum exercitu: & si hos tutari ue-

sint,ab Ægina decessuros, Athenienses uerò exercitum quidem ab Ægina abduxerũt,sed qui reliqui erant ex urbe,uel prouectioris,uel ineuntis ætatis, duce Myronida Megaram profecti sunt: pugnaq́ commissa cum Corinthijs, æquo Marte discessum est, utrisq́ in ea re non peius actum esse secum existimantibus. Athenienses tamen ut qui uicissent magis, digressis Corinthijs, trophæum statuerunt. Corinthij male accepti à senioribus suis qui in urbe erant,post duodecim fermè dies instructi uenerunt,è regioneq́ trophæum & ipsi statuerunt tanquã uictores.At uerò Athenienses è Megara cum uociferatione procurrẽtes,eos quidem qui trophæum statuebant,interemerunt:cum cæteris autem congressi,superarunt:illi superati abierunt.Quorum pars quædam non exigua rapidè fugiens,cùm à uia deerrasset,incidit in priuati cuiusdam prędium,magna fossa intercedente imperuiũ.Quo cognito, Atheniẽses oppositis à fronte armatis,eos abire prohibuerunt,circundataq́ leui armatura,omnes qui introierãt,lapidauerũt.Quæ plaga Corinthijs ingens fuit,cætera turba eius exercitus domum reuersa est.Circa illa tempora & Athenienses orsi erant longos ad mare muros extruere,alterum Phalerum, alterum Piræa uersus. Et Phocenses in expeditione agebant contra Dorias Lacedæmoniorum metropolim,Bœon,Cytinion,Erineon.Cumq́ unum ex his oppidis cepissent,Lacedæmonij duce Nicomede Cleombroti filio, pro Plistonacte Pausaniæ regis filio adhuc puero,auxilium Doribus tulerunt cum mille quingentis armatis sui corpoporis,sociorumq́ decem milibus,urbeq́ in deditionẽ à Phocensibus recepta,reuertebantur,quos mari, si consilium eis esset per sinum Crissæum transmittere,Atheniẽses circumnauigantes prohibituri erant.Nam per Geraniam haud tutum sibi transitum putabant,tenentibus Megara & fontes Atheniensibus,difficilẽ alioqui ad transeundum,& semper Atheniensium præsidio infessam, & qua senserant se ab illis prohibitum iri.Visum est itaq́ eis apud Bœotios subsistẽdo dispicere quónam modo tutissimi transirent, nonnullis Atheniensium ipsos clàm inducentibus,qui sperabant democratiam,id est,statum popularem tolli posse,& muros qui ædificabantur.Aduersus hos prodierunt omnes cuiuscunq́ ætatis Athenienses, & Argiuorum mille, exq́ omnibus ferè alijs socijs numero quatuordecim millia, tum rati hostem nescire quà abiret,tum suspicati illum tendere ad subuersionem democratiæ. Accesserũt quoq́ ad Athenienses ex iure cõmilitij equites Thessalorum,qui tamen in re gerẽda ad Lacedęmonios trãsierunt.Commisso apud Tanagram Bœotiæ prælio,Lacedæmonij socijq́ uicerunt,& utrinq́ ingens facta est strages.Et Lacedæmonij agrum Megarensem ingressi, cæsisq́ arboribus, retrò per Geraniam &

Isthmum

Isthmum domum redierunt. Athenienses altero & sexagesimo à pugna die exercitum in Bœotios duxerunt, duce Myronida, & prælio in arbustis inito, Bœotios uicerũt, Bœotiaq; plaga, ac Phocide potiti sunt, murosq; Tanagrẽsium demoliti, & Locrensium: Opuntiorum locupletissimos centum uiros obsides acceperunt, suosq; ipsorum longos muros absoluerunt. Post hęc Æginetæ ad Athenienses deditionem fecerũt, deiectis muris, traditis nauibus, imposito in posterũ tributo. Ad hæc circumuecti Peloponnesum Athenienses, duce Tolmida Tolmæi filio, Lacedæmoniorum naualia incenderũt, Chalcidem Corinthiorum oppidum ceperunt, Sicyonios in ipso in terram egressu congressi, uicerũt, adhuc apud Ægyptum manentibus Atheniensibus illis atque socijs, quibus & ipsis multifaria bella contigerant.

Atheniensiũ gesta in Ægypto.

Iam primùm ubi potiti sunt Ægypto Athenienses, misit rex Lacedæmona cum pecunijs Megabazum genere Persam, ut Peloponnensibus pecunia persuasis, Atticam inuadentibus submoueret ab Ægypto Athenienses. Quod ubi parum procedit, frustraq; pecunia absumpta, quod reliquum erat, Megabazus rursus in Asiam retulit, & Megabazum Zopyti filium, Persam cum ingenti exercitu misit, qui terrestri profectus itinere, Ægyptios ac socios prælio uincit, ex Memphide Græcos eijcit, ad extremum in Prosopitide insula cõclusit, ibiq; annum solidum ac dimidiatum obsidet, donec auersa alia aqua, siccatisq; alueis naues in sicco sederent, & ex magna parte insulam faceret continentem, quam cum peditatu transgressus cepit. Ita res Græcorum sex annis bello gesto perierunt: paucíq; ex multis peragrata Libya Cyrenen cùm peruenissent, incolumes fuêre, plerisq; absumptis. Atque iterum Ægyptus regis ditioni concessit, præter Amyrtæum in palustribus regnantem. Hunc propter uastitatem saltus palustris expugnare nequiuerunt, cùm præsertim Ægyptiorum pugnacissimi sint saltum illum incolentes. Inarus tamen Libyorum rex harum omnium in Ægypto rerum autor, per proditionem captus, in crucem actus est, Atheniẽsiumq; atq; aliorum sociorum quinquaginta triremes, quæ successuræ in Ægyptum nauigabant, appulsæ sunt ad Mẽdesium, unum è Nili cornibus, ignaræ prorsus rerum gestarum. Quas à terras aggressus peditatus, & à mari Phœnicũ classis plerasque absumpserunt, paucioribus fuga retrò elapsis. Hunc habuit exitum ingens illa Atheniensiũ sociorumq; in Ægyptum expeditio.

Ex Thessalia ab Oreste Echecratidæ filio Thessalum regis profugo persuasi Athenienses, ut ipsum reducerent, assumptis Bœotijs Phocensibusq; socijs in expeditionem aduersus Pharsalum Thessaliæ ierunt: & terra quidem potiti, eatenus tenebant, quate-

nus non multum procedendo ſub armis erant. Nam ab equitatu Theſſalorum prohibebãtur, urbem tamen non expugnauerunt. Et cùm nihil ex ijs quorum gratia expeditionem ſumpſerant, ſucceſsiſſet eis, infecto negocio reuerſi ſunt, Oreſtem ſecum habẽtes. Nec diu poſt hæc mille Athenienſes conſcenſis nauibus quæ ad fontes erant (tenebant autem ipſi fontes) in Sicyonem nauigauerunt, duce Pericle Xanthippi filio: egreſsiꝙ in terram, eos qui congreſsi ſunt Sicyonum pugna ſuperauerunt. Statimꝙ aſſumptis Achęis, tranſmiſſa Acarnania ad Oeniadas in expeditionẽ ierunt. Obſeſſoꝙ, ſed non expugnato oppido, domum redierunt. Poſtea cùm triennalia fœdera tranſiſſent, inita ſunt inter Peloponnenſes Athenienſesꝙ quinquẽnalia, & à Græco quidem bello abſtinuerunt Athenienſes, Cypro tamen arma intulerunt, cum ducentis ſuorum, tum ſociorum nauibus, duce Cimone. Ex quibus in Ægyptum ſexaginta profectæ ſunt, uocatu Amyrtæi ſaltuũ regis. Cæteræ Citium obſidebant. Verùm Cimone uita defuncto, fameꝙ exorta profectæ à Citio, tenentesꝙ curſum ſuper Salaminem, quę eſt in Cypro, cum Phœnicibus ac Cilicibus, & nauali & pedeſtri pugna certarunt, & utrobique uictores domum ſunt reuerſi, unà cum ijs quæ ex hac claſſe ab Ægypto redierãt. Lacedæmonij poſt hæc, bellum quod Sacrum appellatur ſumpſerũt, potitiꝙ templo quod eſt apud Delphos, Delphis tradiderunt. Poſt quorum diſceſſum Athenienſes iterum cum exercitu profecti Delphos, potitiꝙ tradidêre Phocẽſibus. Interiecto deinde tempore cùm Bœotij deſciuiſſent, bellum Athenienſes Orchomeno Chæroneæꝙ & alijs quibuſdam in Bœotia oppidis, quod rebellaſſent, intulerunt cum mille ex ſuo numero armatis, alijsꝙ ſingulorum ſociorum, duce Tolmida Tolmæi filio, captaꝙ Chæronea, & impoſito in ea præſidio, cùm reuerterentur, fecerunt in eos impetum ex Orchomeno Bœotiorum, cumꝙ his Eubœorum exules ac Locri, & quicunꝙ earundem partium erant: uictoresꝙ Athenienſium alios interfecerunt, alios uiuos ceperunt. Cum ijs Athenienſes tranſegerunt, recuperatis captiuis omnem Bœotiã miſſam fecêre, in quam remigrantes Bœotiorum profugi, cęteriꝙ omnes, ſui iterum iuris effecti ſunt. Neꝙ multò poſt hæc Eubœa ab Athenienſibus defecit. Ad quam Pericli cum Athenienſium copijs iam tranſgreſſo nunciatur Megaram defeciſſe, Peloponnenſes quoꝙ Atticam inuaſuros, pręſidia Athenienſium à Megarenſibus eſſe cæſa, præter eos qui in Niſæam confugiſſent. Defecerant autem Megarenſes aſcitis Corinthijs, Sicyonijsꝙ & Epidaurijs. Ille confeſtim ex Eubœa copias reduxit, & Peloponẽſes Atticam ingreſsi, Eleuſinam uſꝙ, ac Trioze, depopulati ſunt, duce Pliſtonacte Pauſaniæ regis filio, Lacedæmoniorum duce: nec ulterius progreſsi, domum re-

diêre,

diêre, & Athenienses iterum Pericle duce transgressi Eubœam omnē subegerunt, eamq; pactionibus cōposuerunt, præterquàm Hestiæas, unde eiectis incolis, ipsi eam sibi terram habuerunt. Reuersi in Eubœa non multò post fœdera cum Lacedæmonijs socijsq; tricennalia percusserūt redditis Nisæa, fontibus, Trœzene, Achaia: Hæc enim de Peloponnensibus tenebant Athenienses. Sexto autem anno cùm excitatum esset inter Samios ob Prienem & Milesios bellum, cùm iam forēt impares bello Milesii, Athenas profecti, in Samios inuecti sunt, cum assensu quorundā ex ipsa Samo priuatorū hominum, nouarū rerum in republica cupidorum. Ex quo profecti Samum Athenienses cum quadraginta nauibus, statum popularem constituerunt, sumptis obsidibus quinquaginta Samiorum liberis, totidemq; uiris, quos apud Lemnum deposuerunt, & præsidio imposito abierunt. Ex Samijs autem aliquot fuerunt qui non perstiterant, sed in continentem profugerant ex composito cum potentissimis ciuitatis, & societate inita cum Pissuthne Histaspi filio, qui Sardibus tunc præerat, coactis septingētis auxiliarijs noctu in Samum transmiserunt. Et primùm aggressi populum, multitudinis uictores extiterūt: deinde obsidibus suis ex Lemno subtractis, rebellarunt: Atheniensium præsidium ac principes, quos penes se habebant, Pissuthnæ donauerunt, expeditionem etiam in Miletum confestim parantes, Byzantijs quoq; rebellionis socijs. Quod ubi acceperunt Athenienses, cum sexaginta nauibus aduersus Samum nauigarunt. Quarum sexdecim usi non sunt: partim in Cariam ad impediēdas Phœnicum naues, partim in Chium ac Lesbum ad euocanda auxilia iter habētibus, sed quatuor & quadraginta nauibus, Pericle duce, cum nouē collegis, ad Tragiam insulam cum Samiorū septuaginta nauibus (in quarum uiginti milites uehebantur, & quæ cunctæ proficiscebantur à Mileto) pugnarunt uiceruntq;. Et cùm postea eis uenissent auxilio Athenis quadraginta, ex Chio & Lesbo uigintiquinq; naues, egressi in terram, pugnaq; pedestri uictores, urbem obsederunt triplici muro, etiam à mari. Pericles sumptis ex ijs qui superuenerant sexaginta nauibus, quàm celerrimè in Caunum & Cariam contēdit, accepto illinc nuncio, naues Phœnicum in ipsos cursum tenere. Abierant enim ex Samo quoque Stesagoras cum quinque nauibus: & alij aduersus Phœnicum classem. Interea Sami repentina eruptione nauigantes, castra nullis munitionibus prædita inuadunt, speculatorias naues corrumpunt, cæteras quæ obuiam uenêre superant, totoq; circa mari potiuntur quatuordecim fermè diebus, ac quęcunq; libuit importarunt exportaruntq;. Reuerso Pericle, nauibus iterum conclusi sunt. Ex Athenis post hæc subsidio naues aduenêre, cum Thucydide, Agnone, & Phor-

mione,

mione, quadraginta, cum Tlepolemo quoq; & Anticle uiginti, ex Chio etiã & Lesbo triginta. Cum quibus Samij breue quoddam prælium nauale fecerunt, cumq; oppugnantibus impares eſſent, nono ſeſe menſe dediderunt, deiectis muris, datis obſidibus, traditis nauibus, pecunias quæ impenſæ eſſent, certis temporibus ſoluturi. Cōuenerunt & Byzantij, ut, ſicut prius, imperata facerent. Non multis iam hinc annis poſterius geſta, quæ ſuperius commemorata ſunt, Corcyrenſia, Potidæenſiaq;, & quæcunque belli huius extitêre materia, uniuerſa hæc quæ Græci uel inter ſe, uel aduerſus Barbarum geſſerunt, intra quinquaginta fermè annos geſta ſunt, à diſceſſu Xerxis ad huius initium belli. Intra quos ſuum Athenienſes imperium propagarunt, & in multum potentię proceſſerunt. Quod intelligentes Lacedæmonij, non tamen impedimento fuerunt, niſi ad breue tempus: & iterum plerunq; quieuerunt, nequaquam celeres etiam antehac ad bellum capeſſendum, nec niſi coacti: nōnihil etiam inteſtinis prohibiti bellis priuſquam Athenienſium potentia apertè augeſceret, & eorum ſocietatem experti fuiſſent. Tum non ulterius tolerandum duxerunt, ſed omni incumbendũ ſtudio in hoc bellum, quòd ſumerent ad illorum, ſi poſſent, potentiam euertendam. Igitur ubi ſtatuerunt fœdifragos atq; iniurios eſſe Athenieſes, Delphos ad Deum conſulendũ miſerũt, nunquid præſtaret bellum gerere. Quibus ille (ut aiunt) oraculum reddidit, penes bellãtes pro uiribus uictoriam fore, ſeq; (inquit) & uocatum & inuocatum auxilio futurum. Rurſus accitis ſocijs, rem ad conſilium placuit referri, nunquid bellum ſumere expediret, necne: & cùm ueniſſent ſociorum legati, habereturq; concilium, cæteri quidem quæ uoluêre, dixerunt, accuſantes plerique Athenienſes, & ut bellum fieret poſtulantes. Corinthij uerò & antea precati ſeparatim ſingulas ciuitates ut ſuffragia darent de bello mouendo, uerentes ne prius Potidęa euerteretur, & tunc præſentes, ultimoq; loco procedentes, hãc orationem habuerunt:

Samiorum deditio.

Apollinis oraculum.

Oratio Corinthiorum ad Lacedæmonios.

Lacedæmonios, uiri ſocij, tãquam nec ipſi decreuerint bellum gerendum, iam deſinamus incuſare, cùm nos ad hoc ipſum congregandos putauerint. Debent enim ij qui præſunt, ſicut in cæteris honore cunctos antecellunt, ſic res priuatas æquabiliter diſtribuentes in commune proſpicere. Noſtrûm aut quicunq; ab Athenienſibus diſſociati ſumus, nõn neceſſe habemus admoneri ut ab eis caueamus, ſed ij potius qui mediterranea nec ad emporia incolunt, ut intelligant niſi inferiora incolẽtibus opem ferant, difficiliorem ſe fructuum perceptionem habituros, & item difficiliora ſubſidia, quæ mare mediterraneis ſubminiſtrat. Nec debent eorum quæ dicuntur praui iudices eſſe, tanquam hæc ad ipſos non pertineant,

pertineāt:sed expectare,si res inferius colentium neglexerint, aliquando calamitatem ad se peruenturam, nec de se nunc minus quàm de alijs consultari.Quo minus eos oportet esse segnes ad bellum pro pace sumendum.Nam grauium quidem hominū est, si non lacessantur iniuria,quiescere:Egregiorum autem,si lacessiti fuerint,pacem bello mutare,eosdem re bene gesta rursus in concordiam redire:neq; bellorum prosperitate extolli,neque ex ocio, pacis uoluptate captos,pati iniuriam.Nam qui propter uoluptatem deses est,is confestim desidiæ suæ iucunditate,propter quam segnis est,priuatur, si quieuerit.Et qui frequēti successu bellorum utitur,hic infida ferocia inflatus,quæ sunt cogitanda non cogitat. Multa enim malè cõsulta hostibus inconsultius agentibus emendata sunt. Quinetiam plura quæ benè consulta uidebantur, turpiter in contrarium ceciderunt.Quia nemo tali opere rem exequitur,quali credulitatē deliberat,sed cum fiducia certa de futuris sentimus:cum timore autem in actione deficimus. At nunc iniuriam passi nos,& multa habentes in Athenienses crimina,bellum conflamus,ubi istos ulti fuerimus in tempore finituri. In quo nos uictores fore multis de causis credibile est:Primùm,quòd hominū numero & rei militaris peritia præcellimus:deinde,quòd omnes peræquè ad ea,quæ sunt imperata, properamus, classem autem qua illi præstant supplebimus,tum priuatis facultatibus pro rata parte,tum ex pecunia quæ in Delphis est,atq; Olympia:mutuati nanq; pecuniam,possumus peregrinos illorū nautas maiori mercede conducere.Mercenariæ enim magis quàm uernaculæ sunt Atheniensiū copiæ,quod minus in nobis contingit,qui plus corporibus quàm pecunijs pollemus.Quòd si uel una nauali pugna superentur,de ipsis actum est,ut credibile est:sin resistant, & nos diutius rem nauticam meditabimur,superiores illis futuri animi præstantia,ubi eo peritiæ peruenerimus.Quod enim nos natura obtinemus,hoc illis nequaquam doctrina contingat.At quo illi præstant scientia,id nobis est exercitatione consequendum.Pecunias quoq; quæ huic rei suppetant,conferemus.An uerò durum nobis hoc fuerit,ut cùm illorū socij pro sua ipsorum seruitute conferre non recusent,nos pro inimicorum ultione,ac pro nostra salute,pecunias erogemus,& ne ijs per illos ereptis ob eas ipsas malè multemur?Adsunt præterea nobis aliæ quoq; belli gerendi uiæ, & in primis sociorū defectio,quæ res illis adimat prouentus quibus præpollent,nostræq; regioni sit præsidio,& alia quæ nondū quis prospiciat. Perraro bellum eo quo euasurum prædicatur, euadit:multa ipsum per sese,præter ea quæ adsunt,cõminiscitur. In quo quisquis erecto uersatur animo,tutior existit:quisquis irato,non minus labi consueuit.Cogitemus autem si forent singulis

nostrûm

noſtrûm de finibus ac limitibus cum aduerſarijs lites, id debere tolerari. Nunc autem Athenienſes cùm ad uniuerſos nos, tum ad oppidatim ſubigendos ualidi ſunt, ita ut niſi & frequentes & per regiones ac ciuitates ſingulas uno& conſilio eis obſtiterimus, haud difficulter ſint nos ſeparatim agentes oppreſſuri. Quorum uictoriam de nobis, etſi auditu quoq; triſte eſt, tamen qui audit, ſciat nihil planè aliud afferre quàm ſeruitutẽ, quam uel oratione agitari fœdum eſt Peloponneſo, & tot urbes ab una infeſtari. In quo uideri poſsimus aut meritò malis affici, aut metu pati, & maioribus noſtris deteriores eſſe, qui Græciam liberarunt, cùm nos ne ad tutandam quidẽ noſtram libertatẽ ſufficiamus, ſinamusq; ciuitatem ſe efficere tyrannum, cùm in una ciuitate tyrannus ut tollatur poſtulare ſoleamus, ignari hęc ab his tribus maximis incõmodis non abeſſe, uidelicet uecordia, ignauia, ſocordia. Neq; enim ab his immunes, ad pernicioſum multis contemptum deueniſtis, qui quia multos decepit, contrariò nomine ſui demẽtia cognominatur. Igitur quę hactenus geſta ſunt, quid attinet longius quàm quatenus nunc expedit, reprehẽdere? Decet autẽ propter poſteros præſentibus ſubueniẽdo laborare, quoniam patriũ uobis eſt per labores aſſequi uirtutes: nec mores immutare, ſi quidem diuitijs illos nũc aliquantum atq; potentia ſuperatis. Nam iniquum ſit, quod paupertate partum eſt, id per diuitias perdere. Decet cùm multis de cauſis fidenter uos ire ad bellum, tum Dei reſponſo, qui ſe quoq; adiutorem fore pollicetur, adiutrice etiam cætera Græcia, partim ob metum, partim ob utilitatem. Nec ideo fœdera priores rumpetis, quę Deus ipſe qui nos iubet bellare, cenſet illos uiolaſſe, ſed auxilium potius fœderibus ruptis feretis. Rumpũt enim fœdera, non qui reſiſtunt inuadentibus, ſed qui priores inuadunt. Itaque undiq; nobiſcum benè agitur ſi bellum ſuſcipimus. Quòd ſi hæc quæ nos in commune exhortandi gratia dicimus, certiſsimum eſt rebus & publicis & priuatis conducere, nolite cunctari cùm aliorum libertatem tueri, tum uerò Potydęatis opitulari, qui ſunt Dores, & quod olim contrarium erat, ab Ionibus obſidentur. Neque enim res iam patitur ut cunctando partim iam lædamur, partim (ſi cognitum fuerit nos conuentum quidem feciſſe, ſed ulciſci non audere) paulò pòſt eadem patiamur. Verùm uiri ſocij uos ad neceſsitatem deueniſſe, ſimulq; à nobis quæ optima ſunt, dici exiſtimantes, bellũ decernite, haudquaquam deterriti ſubita illius aſperitate, ſed pacem quæ ex eo diuturna ſequetur, exoptantes. Nam pax magis confirmatur ex bellò. At ex ocio non bellare, non perinde periculo caret. Exiſtimantes item ciuitatem quæ ſe in Græcia tyrannum conſtituit, æqualiter conſtitui in omnes, ita ut iam alijs dominetur, alijs dominari deſtinet, hanc inuadamus, & ſubigamus, &

mus, &

mus,& ipſi in poſterum tuti habitaturi,& Græcos,qui nunc ſeruiunt,in libertatẽ uindicaturi.Et hæc quidẽ Corinthij dixerunt.

Lacedæmonij bellum decernunt aduersus Athenienſes.

Lacedæmonij uerò auditis omnium ſententijs, calculos cunctis,qui aderant,intulerũt ſocijs,gradatim à maxima ad minimam quanq; ciuitatem,& illi frequentes de bello ſumendo dedere ſuffragia.Cætera non erat in procinctu exequi quæ decreuiſſent,utpote imparatis.Quapropter uiſum eſt ſingulos conferre quæ expedirent,nec intercedere dilationem.In quo neceſſariarum rerum apparatu non eſt annus inſumptus,etſi paulò minus,donec ſumpto palàm bello Atticã inuaderent.Hoc interim tempore legatos ad Athenienſes mittũt crimina obijciẽtes,ut quàm excuſatiſsimè bellũ illis inferretur,niſi dicto audientes eſſent,primùm iubendo tolli deæ piaculum,quod quidem tale erat:Cylon quidam Athenienſis fuit uir uetuſtæ nobilitatis,ac potens,& qui Olympia uiciſſet.Huic in matrimonium accepta Theagenis Megarenſis filia, tum Megarenſium tyranni, apud Delphos oraculum deus reddidit, quãdo maximum foret feſtum Iouis,occuparet arcem Athenarum.Is acceptis à Theagene copijs perſuaſiſq; amicis,ubi aduenêre in Pelopõneſo Olympia,arcem urbis occupauit,tanquam tyrãnum acturus,illud eſſe maximum Iouis feſtum interpretatus, & ſibi,qui uiciſſet Olympia,nonnihil conuenire.An uerò in Attica an uſpiam alibi maximum feſtum diceretur,necdum ille conſiderauerat,quod oraculũ declarauerat:ſiquidem ſunt apud Athenienſes quoque Dialia,maximus dies feſtus, quæ Iouis Melichij uocantur,extra urbem,ubi totius populi conuentu non uictimas immolant, ſed patria faciunt ſacrificia.Credens itaq; Cylon ſe rectè ſentire,opus aggreſſus eſt.Quo cognito,Athenienſes ex agris ad hos coërcendos, uniuerſi concurrunt, obſeſſoſq; oppugnant. Sed diutina obſidione affecti,magna ex parte diſceſſere, delegata nouem principibus cuſtodia,& permiſſo,quod optimum cenſerent eſſe,agendi arbitrio.Tunc hi nouem principes multa ſanè ad rempublicam pertinentia adminiſtrarunt.At ij qui cum Cylone obſidebantur,miſerè habebant,cibò & aqua defecti. Et ipſe quidem Cylon eiuſq; frater fecerunt clàm fugam. Cæteri uerò fame conſumpti,nõnullis iam extinctis,ſupplices ad aram,quæ eſt in arce,ſederũt. Quos ſurgere iuſſos,ij quibus permiſſa cuſtodia erat, cùm uiderũt expirantes in templo,ne quid in eo ſceleris admitterent,abductos interemerunt,quoſdam etiam ipſo trãſitu,& apud præcipuos deorum atq; ad altaria ſedẽtes.Vnde impij ac prophani & illi & ab eis progeniti ſunt appellati,inſuper & ab Athenienſibus in exiliũ acti,necnon à Cleomene Lacedæmone poſtea cum Athenienſibus ſeditione laborantibus , non modò uiui expulſi, ſed etiam ſublata defunctorum oſſa ſunt abiecta:nihil tamen mi-

Cylon.

nus poſtea reuerterunt, genuſq; illorum adhuc in ciuitate perſtat. Quod piaculum Lacedæmonij exterminari iubebant, utiq; ante *Pericles.* omnia deorum uicem ulciſcentes. Sed ſcientes Periclem Xanthippi filium huic piaculo affinem eſſe materno ex genere, credebant eo deiecto, facilius ſibi de Athenienſibus ſucceſſurum: non tamen tanta ſpe ut hoc illi accideret, quanta ut hoc ipſum ei apud populum cōflaret inuidiam, quod ex magna parte hoc exiſteret bellum ne ille damno afficeretur. Etenim cùm eſſet illis temporibus potentiſsimus ciuitatis & reipublicæ adminiſtrator, uſquequaque Lacedæmonijs aduerſabatur, nec ſinebat Athenienſes ſuccumbere, ſed ad bellum excitabat. Iuſſerunt itaq; uiciſsim Atheniēſes Lacedæmonijs, ut & ipſi piaculum ex Tænaro tollerēt. Siquidem Lacedæmonij aliquando è templo Neptuni à Tænaro excitatos abductosq; fugitiuorum ſupplices obtruncarunt. Quamobrem ſibi ipſis opinantur ingentem terræ tremorem apud Spartam extitiſſe. Iuſſerunt præterea eoſdem tollere piaculum Palladis Chalcidoniæ, quod hunc in modum contigit: Poſtquam Pauſanias à Spartiatis primùm reuocatus ab imperio prouinciæ in Helleſponto criminibus abſolutus eſt, publicè non amplius eſt dimiſſus, ſed ipſe priuatim ſumpta triremi Hermionide, ſine Lacedæmonijs abijt in Helleſpontum, uerbo quidem ad Græcum bellum, re autem cum rege tranſigendi negocij gratia, quod inchoauerat affectans Græciæ principatum. Atque hinc primùm beneficio in regem collato, totius rei principium fecit. Cùm enim primo aduentu poſt reditum è Cypro, Byzantium, quod Medi neceſſarijq; regis atque cognati tenebant, cœpiſſet, & eos qui intus erant, remiſit ad regem captiuos clàm ſocijs, iactata illorum fuga, adiutore in hac re Congylo Eretriēſi, cui curam Byzantij captiuorumq; mandauerat. Eiq; Congylo dedit ad regem epiſtolam in hæc uerba, ut poſtea compertum eſt:

Epiſtola Pauſaniæ ad regem.

PAuſanias Spartæ dux, iſtos tibi quos armis cepi, conciliandi tui gratia miſſos facio: habeoq; in animo, ſi tua uoluntas fert, filiam tuam in matrimonium ducere, ac tibi Spartam cum reliqua Græcia obnoxiam reddere. Cui rei par eſſe mihi uideor, communicatis tecum conſilijs. Hoc igitur ſi tibi eſt cordi, fidelem mittito ad mare quempiam, qui cum cætera colloquar.

Hæc ſignificabat epiſtola. Ex qua Xerxes uoluptatem cùm cœpiſſet, miſit Artabazum Pharnaci filium in oram maritimam, iuſſum accipere prouinciam Daſcylitem, Megabata qui præfuerat, reuocato, dataq; ei epiſtola ad Pauſaniam, ut eam Byzantiū quàm celerrimè mitteret, illiq; ſigillū oſtenderet: & ſi quid Pauſanias de ijs ipſis negocijs mandaret, quàm rectiſsimè & quàm fideliſsimè conficeret.

conficeret. Ille ubi uenit, cùm alia (quemadmodum dictum est) confecit, tum uerò epistolam misit in hæc uerba respondentem.

Epistola regis Pausaniæ respondentis.

ITa dicit rex Xerxes Pausaniæ: Et ob uiros quos mihi trans mare ex Byzantio saluos esse uoluisti, habetur tibi gratia, nunquam domi nostræ delenda: & uerbis tuis gaudeo: neq; nox te, neq; dies remoretur, quin sedulò agas quod mihi spopōdisti, nullis retardatus, neq; auri argentiq; sumptibus, neq; copijs, sicubi præstò illas esse oporteat. Verùm cum Artabazo uiro egregio, quē ad te misi, transige, nihil diffisus. Vnde & meæ & tuæ res ex amborum dignitate atque utilitate optimè habebunt.

His Pausanias literis acceptis, cùm prius in magna fuisset apud Græcos ueneratione propter imperij magnitudinem, tunc maiorem in modum animos sustulit, non sustinens modesto more uiuere, sed Medico cultu è Byzantio prodijt, euntemq; per Thraciam Medi atq; Ægyptij satellites comitabantur. Mensa quoq; ei Medica apponebatur. Denique cogitationem cohibere non poterat, paucis actibus prodens, quæ nam animo in posterum maiora esset acturus. Ad hæc difficilem aditu se præbebat, tamq; acerba in omnes æqualiter utebatur iracūdia, ut nemo posset accedere. Ea propter uel maximè se ad Athenienses socij applicauerūt. Quibus rebus cognitis Lacedæmonij, eum ob hæc ipsa tum primùm reuocauerunt, tum quia rursus Hermionide naui iniussu eorum profectus, eadem agere uidebatur: tum quia Byzantio expugnātibus Atheniensibus eiectus, Spartam non redibat, sed in Troadis quibusdam pagis se tenēs, tractare cum Barbaris, nec syncerè moram facere nunciabatur. Ita non iam cunctandum sibi amplius putauerunt, missoq; caduceatore cum bacillo ephori, id est, tribuni plebis, edicunt homini à caduceatore ne discederet, alioqui Spartiatas ei bellum indicere. Ille uolens quàm minimùm suspectus esse, speransq; pecunia se criminibus absolutum iri, iterum redit Spartam, ante omniaq; in carcerem ab ephoris conijcitur. Licet enim hoc ephoris in regem agere. Mox deinde per quosdam quos corruperat exiuit, exhibuitq; in iudicium sese insimulare uolentibus. Et signum quidem euidens nullum Spartiatæ habebant, neq; inimici, neq; ciuitas omnis, quo stantes liberè multarent uirum tum regij generis, tum in præsentia præditum dignitate. Nam regis Plistarchi Leonidæ filij adhuc pueri tutelam patruus gesserat. Multas autem suspiciones dabat uitæ insolentia, & Barbarorum æmulatione, affectati maioris status: & cùm alios eius actus, sicubi leges atque instituta transgressus esset, considerabāt: tum quòd aliquando tantum sibi tribuisset, ut in tripode quem apud Del-

Pausanias in uinculis coijcitur. *Ephororū autoritas.*

phos Græci ex Medorum manubijs primitias consecrauerant, priuatim hoc elegum carmen inscriberet:

Postquam Græcorum dux agmina Medica fudit,
Phœbo Pausanias hæc monumenta dedit.

Quod carmen Lacedæmonij protinus è tripode deleuerunt, scripseruntque ciuitates nominatim quæcunque simul Barbarum euerterunt. Hoc quoque Pausaniæ crimini dabatur, quòd in ipso reatu uel multò magis abhorrere à mente hominis rei uidebatur. Quippe audiebant quiddam eum agitare cum seruis, id quod ita erat. Spondebat enim illis & libertatem & ciuitatem, si secum insurgere & omnia exequi uellent. Verùm ne sic quidem, nec seruorum quorundam indicijs fas esse ducebant, noui quicquam in eum statuere, utentes quo consueuerāt more erga seipsos, ne celeres essent ad aliquid de uiro Spartiata, quod inemendabile sit, sine indubitatis indicijs decernendum. Priusquam hoc fieret, quidam (ut fertur) qui postremas ad regem scriptas epistolas erat ad Artabazū perlaturus, homo Argilius, & aliquando ipsius amasius, idemque illi fidelissimus, ad eos indicium detulit: territus ex quadam animi cogitatione, quòd nemo prorsus rediret superiorum nunciorum, assimilatoque sigillo, ne si deceptus esset opinione, aut si quid ille in literis mutare postularet, agnosceret, soluit epistolas, in quibus sicut suspicabatur, ad aliquid tale mittebatur, inuenitque scriptū ut ipse occideretur. His literis per hunc ostēsis, ephori magis illi quidem crediderunt, suis tamen auribus ipsum Pausaniam audire uoluerūt. Igitur subornatus ab eis homo specie supplicis ad Tænarū uenit, constructoque tuguriolo quod interiecto septo duplex esset, quosdam ex ephoris intus abscondit. Quo cùm ad hominem Pausanias uenisset, causamque supplicationis sciscitaretur, planè omnia cognouerunt: illo tum incusante quæ de se scripta essent, tum referente singula: & se, quem nunquam ministerijs quę ad regem pertinerent adhibitum uoluisset, tamen hoc honore præ cæteris dignum putauerit, ut quemadmodum priores ministri, periret: & ipso hæc ipsa confitente, & in præsentia non sinente irasci, sed fidē per ipsum templum dante futuræ salutis, orante ut quàm uelocissimè pergeret, ne quæ agenda essent impediret. Hæc cùm diligenter audissent ephori, abierunt, planeque rem compertam habentes, comprehendēdum Pausaniam in urbe curauerunt. Qui cùm iam comprehendendus esset, conspecto in uia unius ephororū uultu, fertur intellexisse qua gratia ueniret: alteriusque id tacito nutu ob beneuolentiam significantis, in templum Palladis Chalcidonæ se proripuisse, cursuque cæteros præuenisse. Erat autem in uicino fanum, in cuius ædiculam ingressus, ne sub dio agens affligeretur, quieuit. Statimque qui insequebātur affuerunt. Tum denudato tecto ædi-

cto ædiculæ,obstructisq; ianuis,illum intus agentem,& interius reductũ custodientes atq; obsidentes,fame expugnauerunt.Eum cùm iam efflaturus animam esset,prout se habebat in ædicula ubi cognouerunt,è fano educunt adhuc spirantem,qui eductus continuò expirauit.Eundem in fossatum (in quod noxij solent) deiecturi erãt:postea uisum alicubi in propinquo defodere.Sed Deus qui est apud Delphos,oraculum postea reddidit Lacedæmonijs, sepulchrum eò transferrent ubi decessisset. Et nunc situs est ante fanum,ut lapides literis incisi declarãt.Ac tanquam piaculum admisissent,duo pro uno corpora Palladi Chalcidoniæ redderent, quod & fecerunt duabus ex ære statuis pro Pausania consecratis. Athenienses igitur tanquam Deus quoq; piaculum iudicasset,uicissim exegerunt à Lacedæmonijs illud amoueri. At illi missis ad Athenienses legatis,Themistoclem eiusdem,cuius Pausaniã,proditionis insimulãt,quòd cum Medo sensisset, ut compererant ex factis circa Pausaniam probationibus,postulantq; eisdem eum affici supplicijs.Illi fidem uerbis habẽtes (erat autem Themistocles extorris,apud Argos uitam agens,& per cæteram Pelopõnesum commeare solitus) mittunt unà cum Lacedæmonijs ad illum simul persequendum,paratis quosdam cum mandatis,ut ducerent ubicunq; eum adipiscerentur.Themistocles rem præsentiens,ex Pelopõneso in Corcyram,quo de populo bene meritus erat,profugit.Illis uereri se dicẽtibus,tanquam Lacedæmonios Athenienses sesq; si eum tenerent hostes habituris,deductus ab eis est in oppositam continentem,& persequentibus ijs quibus hoc mandatum erat,ad rumorem,quà nam iret,compulsus est præ incerto consilij ad Admetum Molossorum regem,non sibi beneuolum,diuertere,tunc fortè domo absentem,sed ab uxore eius cui supplicem se præbuerat,edoctus,ut eorum sumpto filio apud lares sederet,non ita multò pòst reuerso Admeto ostendit quis esset,nec si quid ipse illi Atheniensium supplici contrà dixisset,æquum esse censeret sumere pœnas de profugo.Se enim nunc multo imbecilliorem ab illo lædi,quàm ille tunc fuisset,cùm læsus est:& generosum esse,pares à paribus expetere ultionem.Præterea se quidem illi pro commodo quodam,non pro salute laborãti,fuisse aduersatum:ipsum uerò si ijs qui persequerentur,& ob eam causam,traderet hominem, salute animæ priuaturum.His auditis Admetus, eum cum suo filio,ut illum tenens sedebat,erexit. Est enim hoc maximũ supplicandi genus,nec Lacedæmonijs Atheniẽsibusq; multa memorantibus tradidit,sed dimisit uolentẽ ad regem peregrè itinere pedestri ad alterum mare usq; Pydnam,quæ erat Alexãdri.Ibi nauigium nactus quod in Ioniam iter habebat,eo conscenso tempestate delatus est in exercitum Atheniensem,qui Naxum obsidebat,

Themistoclis fuga.

ac territus, gubernatori aperit quis esset (nam ignotus erat ijs qui in naui erant) curq; fugeret: & nisi ipsum seruet, ait se dicturum ab illo duci pecunia persuaso. Remedium esse, ut nemo ante confectam nauigationem nauim exeat: si obtemperet, dignā se ei gratiam redditurū. Atq; ita fecit gubernator, & cùm diem ac noctem in salo supra exercitū stetisset, postea Ephesum tenuit, quem Themistocles liberali pecunia prosecutus est. Venerunt enim ei postmodū & ab Athenis pecuniæ ab amicis, & ab Argo quæ ibi clàm depositę fuerant. Et cum quodam maritimorum Persarum in mediterranea profectus, literas ad Artaxerxem dedit Xerxis filium nuper regnare incipientem, in hanc sententiam:

Themistoclis ad Artaxerxem epistola.

THemistocles ad te uenio, qui domum quidem uestram plurimis omnium Græcorū malis affici, quo ad patrem tuum nos inuadentē coactus sum propulsare. Sed multò plura bona cōtuli, quandoquidem cùm & ego in tuto, & ille in periculo esset, iterum reuersus est: id quòd mihi beneficium debet, qui scripserat ex Salamine illi ut occuparet reditū, & pontium (eam tunc falsò futuram propter eum simulauerat) solutionem. Et nunc magno tibi emolumento futurus adsum, persequentibus me Græcis ut tibi amicum. Volo autem anno hic exacto, ea tibi demonstrare quorum gratia uenio.

Rex admiratus (ut aiunt) illius propositum, ita agere iussit. Hic intra annum quò moratus est, quicquid disci potuit & linguæ & consuetudinis Persicæ didicit. Exactoq; anno ad regem se contulit, effectusq; est apud eum magnus, & quantus nemo unquam Græcorum, tum propter pristinam hominis dignitatem, tum propter spem quam proponebat ei Græciā subijciendi, maximeq; quòd specimen sui dabat, ut solers uideretur. Fuit nanq; Themistocles, qui uim ingenij sui ualidissimè significaret, & in hoc multò magis quàm quiuis alius admiratione dignus, natura solers, neq; pręcedente ulla, neq; antecedente doctrina, ad subitos casus pręsentissimi consilij, futurorū optimus plerunq; coniector, eorum quæ inter manus haberet, efficax administrator, quorum esset inexpertus, ab ijs commodè iudicandis, non alienus: in rebus adhuc ambiguis, quid melius peius'ue foret pręcipuè prouidens: deniq; in omnibus dicendis, tum naturæ beneficio, tum consilij celeritate præstantissimus hic eorum quæ oporteret explicator extitit. Morbo autem correptus, uita defunctus est. Quidam aiunt eum sponte etiam ueneno decessisse, desperantem posse præstare quæ regi spopōdisset. Itaq; monumentum eius apud Magnesiam Asiæ in foro ostenditur. Nam huic regioni præfuit à rege sibi datæ, Magnesiæ quidem ob panem, quæ quotannis quinquagena

Themistoclis præconium

pendebat

pendebat talenta, Lampsaco autem ob uinum, putabatur enim tunc ea uini ubertate præstare, Myunti uerò propter obsonium. Ossa eius dicuntur à propinquis domum reportata ipsius iussu, clamq; Atheniensibus in Attica fuisse humata. Neq; enim fas erat proditionis reum sepeliri. Hunc exitum habuerunt Pausanias Lacedæmonius, & Themistocles Atheniensis, apud suos uterq; Græcorum nobilissimi.

Lacedæmonij cùm in prima legatione hæc iussissent, inuicemq; iussi essent de piaculis tollendis, iterum aditis Atheniensibus iubẽt restitui Potidæatas, & Æginam suis sini uiuere legibus, & super omnia negant apertissime bellum fore, si decretum de Megarensibus illi reuocent, quo Megarensibus interdictum erat portibus in Atheniensium ditione, & foro in Attica. Athenienses cùm in cæteris, tum uerò in decreto reuocando non parendum esse censuerunt, dantes crimini Megarẽsibus, quòd colerent sacrũ solum & indefinitum, quodq; fugitiuos receptarent. Ad extremum uenerunt Lacedæmone legati, Ramphius Malesippus & Agesandrus, nihilq; ex consuetis dixerunt, nisi hæc: Lacedæmonij pacem uolunt esse, fuerit autem si Græcos liberos dimittatis. Conuocato concilio Athenienses, fecerunt in medium cõsulendi potestatem, & uisum est semel de omnibus respondendum. Et alij multi procedentes in utranq; partem differebãt, uel oportere sumi bellum, uel non oportere, nec illo decreto impediri pacem, sed esse reuocandum. Tum procedẽs Pericles Xanthippi filius, uir illis temporibus primus, ac in dicendo & agendo præstantissimus, hanc sententiam dixit:

Oratio Periclis ad Athenienses.

ETsi non me fallit, uiri Athenienses, non eodem ardore bellum homines gerere, quo ad id inducuntur, sed ex euentis mutare sententiam, ego tamen semper in eadem permaneo, non cedendi Peloponnensibus, uideoq; similia ac proxima ijs, quæ prius, mihi esse consulenda, æquũ esse existimãs, ut qui ex uobis meæ sententiæ assentientur, communi sententiæ (si quid forte offenderimus) succurrant: aut si fortè etiam non successerit, prudentiã adhibeant. Fieri enim potest ut rerum calamitates non minus inscitè procedant, quàm hominis cogitationes. Ideoq; quoties aliquid inopinatum accidit, consueuimus incusare fortunam. Lacedæmonios cùm antehac insidiatos fuisse nobis, tum uerò nunc insidiari palàm est. Quippe qui ex cõuentis ubi dicitur utroq; de rebus controuersis offerre inuicem, & admittere iudicium, obtinentes quæ tenebant, neq; ipsi postularunt iudicium, neq; nos dantes receperunt, quòd uidelicet bello malũt dilui crimina, quàm uerbis. Nec iam ad id postulandum, sed ad imperãdum præstò sunt, iubentes

ut à Potidæa decedamus, Æginam liberā ſinamus eſſe, decretum in Megarenſes antiquemus. Hi poſtremi qui uenerūt, pręcipiunt ut Græcos ſuis legibus dimittamus. Neq; uerò quiſquā ueſtrûm de exigua re bellum fore arbitretur, ſi decretum non antiquauerimus de Megarenſibus, quod illi maximè prætendunt: ſi antiquetur, bellum non fore, néue in uobis ipſis cauſam eſſe ſuſpicemini, quaſi exiguam ob rem bellum ſuſceperitis. Nam hoc exiguum omnem continet confirmationem ſpecimenq; ſententiæ noſtræ: quòd ſi illis conceſſeritis, protinus aliquid aliud maius imperabitur, tanquam ad obſequēdum metu adactis. At ſi ſemel eis acriter abnueritis, reddetis illos faciliores ad loquendū ex ęquo uobiſcū. Atq; hoc reputate, uobis aut obtemperandum illis antequam aliquid cladis accipiatis, aut (quod mihi ſatius uidetur) bellādū, nullo ſeu magno ſeu paruo prætextu cedentibus, nec cum metu quæ acquiſiuimus poſſeſſuris. Nam eādem efficit ſeruitutem quicquid à paribus ante iudiciū imperatur alteris, quantum & quantulumcunq; ſit illud quod imperatur. Quod ad bellū & utrorunq; opes attinet, nos in eo nō fore infirmiores cognoſcite, ſigillatim omnia audientes. Iam primùm Peloponenſes operarij homines ſunt, pecuniam neq; publicè neq; priuatim habentes. Deinde bellorum diutinorum maritimorum imperiti, quia exiguum præ inopia in medium conferunt. Atq; huiuſcemodi homines non ſæpe aut naues implere poſſunt, aut pedeſtres exercitus emittere, quod ab re familiari abſunt pariter & abſumunt. Adde, quòd mari intercluduntur, & bella magis ſuſtinent opes ſuperfluæ, quàm uiolentæ collationes: & operarij homines promptiores ſunt ad bellandum corporibus, quàm pecunijs, pro certo habentes illa quidem è periculis euadere poſſe. Sed has non antè cōſumptum iri, incertum, præſertim ſi diuturnius opinione ſua (ut credibile eſt) fuerit bellum. Nanq; Peloponnenſes & ſocij, in uno quidem prælio pares eſſe queunt omnibus Græcis, in bello impares ijs qui eſſent inſtructiores, quia non uno concilio utentes, extemplo quod agendum eſt, ac repentè peragunt, & cùm in ſuffragijs dandis ſint omnes æquales, gente diſpares, ſuo quiſq; commodo uacant, ex quo nihil profectus effici ſueuit, alijs puniri quempiam maximè uolentibus, alijs abſumi rem domeſticam maximè nolentibus. Et cùm in concilium cunctanter coeant, breui momento de rebus communibus deliberant, maiore temporis parte rem familiarem adminiſtrant, nemine opinante Rempublicam ſuam unius negligentia lædi, ſed pro ſe cuipiam alteri curæ fore iſta proſpicere. Hoc cùm ſinguli opinentur, latet eos commune bonum ab omnibus perdi. At quoties his rebus ſedulam curam adhibere uolunt, id facere prohibentur pecuniarum penuria, cùm tamen belli tempora hoc

dum fiat

dum flat non expectent. Neque eſt quod uallo murali illorum aut claſſe terreamur. Nam muro quidem urbem, quanta hæc eſt, uallare, uel in pacato arduū ſit, nedum in hoſtico, tametſi non minus & nobis licet uiciſsim muros extruere in illorum ſolo. Quòd ſi muro illi præſidium impoſuerint, nocebitur quidem nobis, tum excurſionibus in aliquam partem agri, tum hominū ad illos tranſfugijs: non tamen ſufficient ad nos prohibendos, quin in ſuam terram tranſgreſsi illic ædificemus, & quo genere antecellemus, claſſe nos defendamus: qui certè ex uſu rei naualis plus peritiæ habemus ad pugnam terreſtrem, quàm ipſi ex uſu militiæ terreſtris ad pugnam naualem. Nec facilè eſt illis rei nauticæ gnaros euadere: nam cùm nos à bello Medico id exercentes, non tamen citò conſecuti fuerimus, quo tandem modo homines, telluris, non maris cultores, & præterea aſsiduis claſsis incurſionibus in hoc aſſueſcere prohibendi, conficiant quippiam alicuius momenti? atq; aduerſus paucorum impetum, quamuis imperiti, tamen freti ſua multitudine periculum fortaſſe capeſſerent: aduerſus multas undiq; ingruentes, id facere ſuperſedebunt, ac ipſa de conſuetudine imperitiores futuri, & (quod conſequēs eſt) inferiores. Genus artis eſt, ut quidlibet aliud, res nautica, nec quæ temporum ſucciſiuis contingat, ſed potius in qua exercenda nihil ſucciſiui temporis relinquatur. Quòd ſi amota Olympiacorum aut è Delphis pecunia, ſolicitent maiore mercede nautas peregrinos, à nobis conductos, id uerò ægrè fecerint, etiam ſi ipſi neq; hoſtes nobis eſſent, & cum ſuis incolis nauigarēt. Nunc autem hoſtes ſumus, quodq; ualidiſſimum eſt, gubernatores habemus noſtros populares, aliosq; adminiſtros, & plures & meliores quàm reliqua omnis Græcia. Neque quiſquam hoc in animum inducat, periculum ſubeſſe, ne noſtri mercenarij milites hinc ad illos transfugiant minore cum ſpe, utpote ob maius quidem ſtipendium, ſed ad paucos dies. Et hæc ſunt & his ſimilia quæ mihi de Peloponnenſibus uidentur dicenda, iſta de nobis, nos eorum quæ illis obijcimus, immunes, & alia egregia habere, quæ illi non habent. Qui ſi noſtram regionem inuaſerint, nos illorum uiciſsim cum claſſe inuademus, non ex æquo futura iactura, ſi uaſtata fuerit pars aliqua Peloponneſi, & Attica tota. Illi enim aliam uiciſsim capere ſine prælio non poterūt. Nos uerò multū terræ & in inſulis & in continēte obtinemus. Magna enim res eſt maris imperium. Sic enim rem animaduertite: Si inſulani eſſemus, qui nā eſſent inexpugnabiliores? Cui rei nūc animo proximè accedētes, debemus terram cum ſuburbanis pro relicta habere, maris autem ac urbis cuſtodiam agere, nec cum Peloponnenſibus ob ſuos agros uaſtatos iraſcentibus, qui multo ſunt plures, conſerere pugnam. Qui ſuperiores ſi euaſerimus, rurſus ab inferioribus

ferioribus

ſerioribus non oppugnabimur.Si quam autem in pugna cladem acceperimus, ſubſidia ex ſocijs, unde noſtrum robur exiſtit, perierint.Neq; enim quieſcent, nobis ad ſe cum exercitu inuadẽdos inualidis.Nec uillas & agros qui amittuntur, decet nos deplorare, ſed corpora.Non enim poſſeſsiones uiros, ſed uiri poſſeſsiones poſsidẽt.Adeò ſi crederem me uobis perſuaſurum, ſuaderem ut ipſi illas uaſtandas procederetis, oſtenderetisq́; Peloponnenſibus uos eis ob iſtas non eſſe obtemperaturos.Alia inſuper multa habeo quibus uictoriæ uobis ſpem faciã, ſi uolueritis, & propagãdi imperij, ſi huic modò bello pariter & alijs, quæ debemus ultrò ſuſcipere, uacauerimus.Nam magis uereor domeſtica noſtrorum peccata, quàm aduerſariorum cogitata.Verùm ea quæ nam ſint, alia oratione, cùm tempus rerum agendarum aderit, à me explicabuntur.Nunc autem legatos cum hoc reſponſo dimittamus:Megarenſibus nos non interdicere foro & portubus, dum & Lacedæmonij non interdicant uſu urbis ſuæ peregrinis, ut nobis ſocijsq́; noſtris.Quia ſicut illud quod ipſi faciunt, ita quod nos, impedimento non eſt fœderibus ſeruandis.Ciuitates quoque liberas ſinere, ſi modò liberas, cùm fœdera inita ſunt, habuimus: etſi illi ciuitatibus ſuis reddant, ut ſic liberæ ſint, ne in Republica adminiſtranda, Laconica inſtituta ſectentur, ſed ſuis legibus uiuant, & pro ſuo quæque arbitratu. Quinetiam uelle nos ex conuentis, iudicia, nec bellum moturos, ſed motum propulſaturos. Hæc enim ſunt iuſta pariter & decora huic ciuitati, quæ reſpondeantur, ſimulq́; nos intelligere oportet, tum neceſſe eſſe bellum geri: quòd ſi uoluntarij potius ſuſceperimus, minus infeſtum hoſtem habebimus, tum è maximis quibuſq; periculis, maxima perinde operæprecia & publicè & priuatim ſecutura.Itaq; patres noſtri Medis obuiam euntes, non ex tanto, quanto nos ſumus præditi, imperio, imò relictis rebus quas poſsidebant, & cõſilio potius quàm fortuna, & præſtantia maiore quàm uiribus, barbarũ repulerunt, & huc uſq; imperij progreſsi ſunt. Quod nos nequaquam deſerere debemus, ſed omni ope & hoſtibus reſiſtere, & conari ut hoc poſteris non imbecillius tradamus.

Pericles quidem hæc locutus eſt. Quem Athenienſes optimè conſuluiſſe exiſtimantes, in ipſius ſententiam decretum fecerunt, & ex eius oratione Lacedæmonijs reſponderunt ſigillatim, ut ille docuerat in ſumma, nihil ex ijs quæ iuberentur, ſe eſſe facturos, paratos tamen in iudicio æquabili atque communi diluere obiecta. Et illi quidem domum rediêre, nulla poſtea legatione miſſa. Hæ autem fuêre cauſæ diſcordiæ, quæ inter utroſque ante bellum extiterunt, incœptæ ſtatim ab ijs, quæ in Epidamno & Corcyra ſunt acta. Nihilo tamen minus inter has diſcordias commercia inter ſe

habe-

habebant, ſeq; mutuò adibant, citra caduceatores quidem, ſed non citra ſuſpicionem. Nam ea quæ fiebãt, perturbatio fœderum erat, ac belli materia.

THVCYDIDIS HISTORIARVM PELOPONNENSIVM LIBER SECVNDVS.



INC iam initium ſumit inter Athenieſes Peloponnenſesq; & utrorunq; ſocios bellum, quod & nullo inuicem commercio citra caduceatorem, & nulla ex quo cœpit intermiſsione geſtum eſt, ordine ſcriptum ut ſingula quæq; æſtate atq; hyeme ſunt acta. Nam quatuordecim quidem annos tricennalia fœdera, quæ poſt debellatam Eubœam inita fuerant, durauerunt. Quintodecimò autem anno ſub Chryſide tunc apud Argos duodequinquageſimum ſacerdotij annum agente, & Æneſio apud Spartam ephoro, & Pythodoro iam alterum menſem Athenienſibus præſidente, ſexto menſe à pugna apud Potidæam cõmiſſa, ineunte uere, Thebanorum quidam paulò plures trecentis, ducibus Bœotiorũ primoribus Pythagelo Phylidæ, & Diemporo Onetoridæ filio, primum circa ſomnum cum armis ingreſsi ſunt Platæam Bœotiæ Athenienſium ſociam. Quibus portas aperuerunt ĳdem, qui eos induxerant homines Platæenſes, Nauclides, & qui cum eo uoluntarĳ erant, priuatæ potentiæ gratia, ciuesq; ſibi inimicos deſtruendi, & urbem tradendi Thebanis. Egerunt autem hæc per Eurymachum Leontiadæ filium, Thebanorum potentiſsimũ. Et etiam Thebani prouidentes utiq; bellum fore, ſtatuerunt Platæam ſemper ipſis infeſtam, in pace nondum moto palàm bello, intercipere. Quo facilius illi ingreſsi, nulla dum poſita cuſtodia latuerunt, poſitisq; in foro armis, non crediderunt ĳs qui ſe deduxerant, ut rem exequerentur, & ad domos inimicorum tenderent, ſed decreuerunt mitibus uti edictis, & in concordiam amicitiamq; adducere ciuitatem, ſperantes hunc in modum facilè populum conceſſurum. Itaque præco edixit, ſi quis uelit patrio Bœotiorum inſtituto eſſe in belli ſocietate, poneret apud ipſos arma. Platæẽſes ubi ſenſerunt intus eſſe Thebanos, ac repẽtè captam urbem ſuſpicantes, timentesq; ne multo plures ueniſſent (non enim per noctem uidebant) conditionem acceperunt: habitisq; colloquĳs quieuerunt, præſertim cùm nihil in quempiam noui tentaretur. His actis animaduerterunt non multos eſſe Thebanos, nec magno negocio ſi inuaderentur poſſe ſuperari. Nam populus Platæenſis ab Athenienſibus deficiebat inuitus. Viſa igitur eis eſt res eſſe tentanda, ſuffoſsisq; communibus parietibus ut peruĳ eſſent, ne per uias commeantes ſe proderent, congregantur, ac plauſtra iumentis libera

tis libera in uĳs ſtatuunt,ut uicem muri præſtarent,itemꝙ cætera conſtruũt,prout quicꝙ in utilitate præſenti fore uidebatur.Cùm pro facultate parata eſſent omnia,nocte etiam in cuſtodĳs acta, iamꝙ ipſo aduentante diluculo,è domibus in eos uadũt,ne in luce cum ferocioribus conſererẽt manus,& ex æquo dimicantibus, ſed cum ĳs qui per noctẽ timidiores,ut in urbe ignota,eſſent ipſis imbecilliores.Ita repentè irrumpentes,ſtatim ad manus ueniunt. Illi ut cognouerũt opinione ſe deceptos,in ſeipſos conglobabantur,& ſi quà erumpere poſſent,impreſsionem faciebant. Cumꝙ bis ter'ue repulſi,tum uerò multo ſtrepitu, & ipſorum inuadentium, & mulierum domeſticorumꝙ pariter à domibus clamantium,ululantium,& lapides ac tegulas iacientium:ad hæc pluuia quæ multa nocte illa fuerat,terrebantur,ac dantes terga per urbẽ fugiebant,pleriſꝙ ut in tenebris & in cœno ignaris quæ uiæ peruiæ forent quà ſeruari ſe oporteret.Nam tunc in fine erat menſis, & quò minus poſſent effugere, gnaros perſecutores habebant: itaꝙ permulti cõficiebantur. Et quidam Platæenſium portas per quas intrarant,quæ patebant,ſpiculo pro uecte in ſeram traiecto obſerauit,ut ne illac quidem exitus foret.Eorum qui per urbem agebantur,quidam cõſcenſis muris,ſeipſos foras deiecerũt,quorum plerique extincti ſunt,quidam apud deſertas portas,data à muliere ſecuri,latitantes diſtracta ſera exiêre,nec ĳ multi.Nam citò reſcitum eſt.Alĳ alibi per urbem paſsim trucidabãtur,maxima tamen pars,præcipueꝙ qui confecti erant,irrumpunt in grande ædificium muris contiguum,cuius fores erant fortè apertæ,opinati ianuas eſſe portas,& planè illam uiam extrà ferre.Eos ut Platæenſes uidêre comprehenſos,deliberabant utrum ita ut erant incenſo ædificio concremarẽt,an alio pœnæ genere uterentur. Tandem & hi & cæteri Thebanorum qui ſupererant,per urbem palati,dediderunt ſeſe Platæenſibus,& arma arbitratu ſuo uſuris tradiderunt.Et ĳ quidem qui apud Platæam erant,ita egerunt.Cæteri autem Thebani,quos iam per noctem cum omnibus copĳs ueniſſe oportuerat,ſi quid minus procederet ingreſsis,accepto in uiam rei geſtæ nuncio,ſuppetias ierunt.Abeſt autẽ Platæa à Thebis ſtadia ſeptuaginta,& aqua eius noctis fuerat remorata uenientes.Siquidem Aſopus amnis fluebat multus, nec tranſitu facilis erat.Itaꝙ facientes iter in pluuia,& uix tranſmiſſo flumine,ſerò uenerunt,iam ſuorum alĳs interfectis,alĳs captis.Re comperta,conſultabant de inuadendis ĳs,qui extra urbem agebant,Platæenſibus.Erant nanque in agris & homines & utenſilia,qualia in pace, cùm nulla eſt calamitatis expectatio: eo conſilio, ut ſi quem caperent,is eſſet pro ĳs qui intra urbem, ſi qui modò uiui, ſupererant. Adhuc his deliberantibus,ſuſpicati Platæenſes aliquid huiuſmodi

iusmodi futurum, solicitiq; pro ijs qui foris essent, caduceatorem ad Thebanos miserũt, qui diceret non sanctè illos facere, qui stante fœdere, conati sint ipsorum occupare urbem: quod superest, nihil exterius lędãt, alioqui se interempturos quos uiuos haberent: reddituros autem illis eosdem, si ex ipsorum agro recederẽt. Hæc illos Thebani aiunt iureiurando confirmasse. Platæenses pernegant se spopondisse planè reddituros continuò captiuos, & habito prius cum Thebanis colloquio, iusiurandum non interposuisse. Igitur Thebani ex illorũ finitibus nulla cum effusione reuersi sunt. Platæenses simul ac ex agris raptim omnia comportarunt, uiros interemerunt. Erant autem captiui numero centum octoginta, & ex ijs unus Eurymachus, apud quem rem transegerant proditores. Hæc ubi egerunt, & nuncium Athenas mittunt, & mortuos ex more restituunt Thebanis, & urbem qua eis uisum est, ad præsentes usus muniunt. Athenienses, cùm maturè eis renunciatum esset quæ à Platæensibus essent gesta, Bœotijs protinus quicunq; in Attica erant comprehensis, præconem Platæam miserunt denunciatum, ne quid noui in Thebanos quos cepissent ageretur prius, quàm ipsi de ijs aliquid constituissent: nondum enim nunciatum erat quod perissent. Quippe ad ipsum statim ingressum Thebanorum, nuncius primus exierat: secundus, iam uictis ac captis. Vltra quæ nihil resciebant Athenienses: ita rem nescientes, præconem miserunt. Ille ut uenit, uiros comperit interemptos. Secundum hæc Athenienses cum exercitu Platæam profecti, frumẽtum importarunt: relictoq; præsidio, inutilissimos quosque cum fœminis ac pueris eduxerunt.

Platæensium perfidia.

Hac apud Platæas gesta re, fœderibusq; apertè ruptis, Athenienses se comparabant tanquam bellum gesturi: comparabant se item Lacedæmonij eorumq; socij utrique legationes ad regem & ad alios barbaros missuri, si quod alicunde præsidium se adepturos sperarent, utq; conciliarẽt sibi in societatẽ ciuitates extra ipsorum imperia positas. Et Lacedæmonij quidem præter eas quas habebant, negocium dederunt ijs qui ex Italia & Sicilia in ipsorum partibus erant, naues conficerent pro magnitudine ciuitatum, ad quingentas omnino: & certum argenti numerũ pararent: cæteris intermissis: nec reciperent Athenienses nisi una naui, dum hæc omnia essent comparata. Athenienses uerò tum socias ciuitates recognoscunt, tum magis ad loca circum Peloponnesum legationes mittunt: ad Corcyram, ad Cephaleniam, ad Acarnanas, ad Zacynthum: cernentes, si hæc in amicitia sint, tutius se circum Peloponnesum bellaturos. Nihil paruũ utriq; agitabant animo, nec humilius quàm pro sua dignitate bellũ capessebant. Omnes enim inter initia flagrãtius se tuentur. Et multa quę tunc erat in Pelopõneso,

Peloponn. urbes.

multa Athenis iuuentus,bellum non inuita sequebatur, utpote non experta. Et cętera Græcia erecta animo erat. primis ciuitatum concurrētibus. Multa quoq; oracula ferebantur,uates canebant, tam in his ciuitatibus quæ pugnaturæ erāt,quàm in cæteris. Nec non Delus paulò antè hæc tremuit,prius semper immota Græcorum memoria. Dicebantur autem credebātur'q; ea quæ facienda erāt,significari:& si qua alia huiusmodi fieri cōtigit,omnia requirebātur. At uerò homines multò in amorē Lacedæmoniorū propensiores erant,præsertim prædicantium se Græciam in libertatem asserturos,properabat'q; pro se quisq; & priuatim & publicè, tum sermone,tum opera ad auxilium illis præstādum: existimans eatenus impediri negocia, quatenus ipse non adesset. Ita plerosq; tenebat in Athenienses indignatio: alios,quòd cuperēt imperium tolli: alios, quòd ne sibi imperaretur, timerent. Huiusmodi igitur & apparatu & animo mouebantur. Vtrisq; autem hæ sociæ ciuitates ad bellum aderant: Lacedæmonijs quidem omnes intra Isthmum Peloponenses, preter Argios & Achæos. Erant enim & his & illis amici. Soli ex Achæis Pellenenses fuerunt in partibus ab initio, mox deinde etiam cæteri. Extra Peloponnesum Megarenses, Phocēses, Locri, Bœotij, Ambraciotæ, Leucadij, Anactorij. Ex quibus classem præbuerunt Corinthij, Megarenses, Sicyonij, Pellenenses, Elij, Ambraciotæ, Leucadij: equitatū Bœotij, Phocenses, Locri: peditatum cæteræ ciuitates: hæc Lacedæmoniorum societas. Atheniensium uerò, Chij, Lesbij, Platæēses, Messenij qui sunt in Naupacto, Acarnanum plerìq; Corcyrenses, Zacynthij, & aliæ tributariæ ciuitates: in his tot nationibus Caria quæ ad mare sita est, Dores Caribus finitimi, Ionia, Hellespontus, Thraciæ loca, insulæ quæcunq; ad Peloponnesum & Cretam ad solem Orientem uergunt, Cycladum exceptis Melo & Thera, cæteræ omnes. Ex his naues præbuerunt Chij, Lesbij, Corcyrenses: cæteri peditatum pecuniam'q;. Hi socij atq; hic apparatus utrorunq; ad bellum fuit. Lacedæmonij post illa quæ apud Platæas gesta sunt, edixerunt socijs intra atque extra Peloponnesum, ut in expedito haberent in urbibus copias, cum ijs necessarijs, qualia deceret in externam profectionem habere, tanquam Atticam inuasuri. Quod ubi ad præstitutam diem factum est, eodem tempore duæ partes ex singulis ciuitatibus ad Isthmū contenderunt. Quo postquam omnis coactus est exercitus, Rex Lacedæmoniorum Archidamus, huius dux expeditionis, conuocatis omnium ciuitatum prætoribus, & in primis qui dignitate præditi forent, maximæ'q; digni qui adessent, hunc in modum disseruit:

Deli tremor.

Quæ ciuitates Lacedæmonijs auxilio fuerint

Atheniensium partium fautores.

Oratio Archidami regis.

VIri Peloponnenſes ac ſocij, & noſtri maiores multas expeditiones tum in ipſa Peloponneſo, tum extra eam ſumpſerunt, & ij qui ex nobiſipſis ſunt prouectiore ætate, haud inexperti ſanè ſunt rei bellicæ: nunquam tamen maiorem habentes apparatū belli proceſsimus. Verùm nunc aduerſus ualidiſsimam pergimus ciuitatem, & ipſi optimi in re militari, & plurimi. Quo magis par eſt nos apparere tales, qui neꝗ à maiorum, neꝗ à noſtra ipſorum gloria degeneremus. Omnis enim Græcia ad hūc motum animo erecta eſt & attenta, uotaꝗ facit propter Athenienſium odium, ut nobis ex ſententia ueniat. Itaꝗ nōn eſt faciēdum, ut ſi cui uidemur permulti in hoſtē ire, ac magna fiducia eſſe, ne ille prodeat ad conſerēdum nobiſcum prælium. Idcirco aliquid de apparatu belli remittatur: ſed unuſquiſꝗ & dux ſuæ ciuitatis, & miles, ſemper expectet in aliquod ſibi diſcrimen per ſeſe eſſe ueniendum: anceps enim conditio bellorum, & ex paruo fiunt multa, & cum ira confligitur. Sæpe minor manus dum metuit, maiorē præ contemptu parum inſtructam profligauit. Oportet autem in hoſtili terra militantes, animo quidem eſſe præſtanti, ad rem uerò gerēdam cum metu ſe præparare. Ita nanꝗ & ad inuadēdum hoſtem promptiores fuerint, & ad congrediendū tutiores. Neꝗ uerò aduerſus ciuitatem nos tendimus ita inualidā ad ſe ulciſcendam, ſed omnibus quàm maximè rebus inſtructam, ut omnino credendum ſit eos in certamen eſſe uenturos: ſi minus nunc, cùm nōdum ſub aſpectum uenimus, at certè cùm uenerimus, agentes hoſtiliter in ipſorū terra, ac cuncta uaſtantes. Omnes enim, qui ante ſuos oculos ſubitò inſolitum quippiam patiuntur, iracundia ſubit: & qui ratione minimùm utuntur, ij plerunꝗ ad agendum furore proſiliunt. Quod Athenienſes maximè omnium credibile eſt eſſe facturos, qui ſe dignum cenſent & alijs imperare, & uicinorum terram uaſtare potius, quàm ſuam ab alijs uaſtari cernere. Igitur tanquam aduerſus tantam ciuitatem expeditionē molientes, ac ſummā gloriam tam pro genitoribus noſtris quàm pro nobiſipſis allaturi, ad utrunque prout res feret, ſequimini, quacunꝗ uos aliquis duxerit, memores omni in re ornatus atꝗ cuſtodiæ, & celeriter iuſſa exequentes. Nam pulcherrimū hoc tutiſsimumꝗ, cùm multi ſint, cunctos tamen eodem ornatu præditos cerni. Hæc tantùm locutus Archidamus, ſoluto concilio, Meleſippum Diacriti filium, Spartiatam ante omnia Athenas dimittit: ſi quid iam humilius ſentiant Athenienſes, cùm iam eos in itinere uideant. Illi hominem neꝗ in ſenatum neꝗ in urbem admittentes (obtinuerat enim Periclis ſententia, neꝗ caduceatorem, neꝗ legatum admitti Lacedæmoniorum, ſi in expeditionem exiſſent) inauditum remiſerunt: iuſſum eodem

die finibus excedere, & hæc renunciare: si quid in posterum uellent, regresi prius in sua, legationes mitterēt. Addunt etiam huic, qui eum deducerent, ut cum nemine colloquium sereret. Is ubi ad fines uenit, iamiam dimittendus, hactenus locutus abscesit: Hic dies ingentium Græciæ malorū erit initium. Melesippo ad castra reuerso, Archidamus ubi cognouit Atheniēses nihil cessuros esse, ita demum mouit castra, progressusq́ est cum exercitu in hostium terram, Bœotij cum reliquis copijs (nam partē equitatumq́ commilitio Peloponnensiū dederant) profecti ad Platæam, agrum populabantur, nondum Peloponnensibus ad Isthmum coactis, sed

Periclis agri.

iam iter facientibus prius quàm Atticam inuaderēt. Pericles Xanthippi filius, Atheniensiū dux decimus, ut cognouit hostium aduentum, fore suspicatus ut Archidamus, quia hospes eius erat, aut sua sponte ut amico gratificaretur, aut Lacedæmoniorum iussu ad conflandam ei inuidiam, sicut eiusdem causa iusserāt tolli piacula, relinqueret subinde agros ipsius intactos, prædixit in concione si-

Periclis cōcio.

bi hospitem esse Archidamum, non fore tamen id malo ciuitatis, seq́ fundos ac uillas suas, si non ut cæterorum uastentur ab hostibus, sinere Reipublicæ esse: nec uocandum ob id in aliquam suspicionem. Et quod ad præsentia attinet, hortatus est quemadmodū prius, & expeditos esse ad bellum, & ex agris omnia comportare, nec prodire in pugnā, sed ingressos urbem tutari, & rem nauticam qua pollerent diligenter aptare, & res sociorum sub manu tenere: ex hoc enim pecuniarum prouentu futuras eis uires, ac magna ex

Atheniensium facultates.

parte bellum uinci concilio & pecuniæ ui. Iubens præterea confidere tunc prouentu sexcentorum talentorum, quę quotannis ferè à socijs pro tributo penderētur ciuitati, præter alios prouentus: tum signato argento quod esset in arce sex milium talentorum. Nam cum plurima, decem millia talentorū fuēre, trecentis minus. Ex quibus & in propylæa arcis, aliasq́ substructiones, & in Potidæam fuerat erogatum, præter aurum argētumq́ non signatum, priuatim publice ue repositum, præterq́ sacra uasa uel pomparum, uel certaminum, ac Medica spolia, & si quid aliud huiusmodi non inferioris summæ quingētorum talentorum. Addebat etiam

Mineruæ simulacrum.

ex alijs quoque templis non exiguas pecunias, quibus uterentur: & si omnia prohiberētur: etiam auro quo dea est ipsa circundata: affirmans simulacrum illud quadraginta pondo talentorū habere auri excocti, totumq́ pro salute Reipublicæ tollendum, iterum

Atheniensium munitiones.

tamen non minore mensura resarciendū. Atq; hunc in modum pecunijs eos confidere hortabatur. Esse præterea tredecim millia armatorū, ijs exceptis, qui in præsidijs, aut in propugnaculis essent, numero sedecim millibus. Tot enim in custodijs erant circa initia aduētus hostium, cùm seniorum, tum adulescentulorū, tum peregrinorum,

grinorũm,quicũq; armati erant. Siquidem & Phalericus murus erat quinq; & triginta ſtadiorum ad urbis ambitum,& ipſe ambitus quatenus cuſtodiebatur,triũ & quadraginta. Nam pars eius ſine cuſtodia erat,inter lõgum murum & Phalericum media.Longi uerò muri ad Piræa,uſq; ad quadraginta ſtadia habebant:quorum exteriora cuſtodiebantur,& Piræo uicina:omnis autem ambitus ſexaginta erat ſtadiorum,cuius dimidiũ cuſtodiebatur. Ad hæc mille ducẽtos hippotoxotas habebãt:triremes quoq; quę agi poſſent, trecentas. Hæc enim Atheniẽſibus fuerunt:omnia nihilo inferiora quàm referuntur:quo tempore ingreſſuri ipſorum fines erant Peloponnenſes,ſe ad bellũ accingentes:alia quoq; Pericles, qualia cõſueuerat,diſſeruit,ad demonſtrandũ ſuperiores ſe bello futuros. Quibus auditis perſuaſi Atheniẽſes,omnia ex agris comportant,liberos,cõiuges,ſupellectilem,utẽſilia;ligna deniq; ædificiorum quæ diruebãt,pecora quoq; ac iumẽta in Eubœã circumiectasq; inſulas dimittunt. Quæ demigratio fuit eis ſanè moleſta, propter inueteratã pleriſq; conſuetudinẽ ſemper agendi in agris, iam inde ab ultimo initio præter cæteros Athenienſibus uſurpatam. Siquidẽ ſub Cecrope illiſq; priſcis uſq; ad Theſeum regibus, Attica oppidatim habitabatur:curias habẽs & magiſtratus,hominibus haudquaquam ſolitis,cùm nihil timerẽt,adire regem gratia conſultandi:quibuſdam etiam bella gerẽtibus,ueluti Eleuſinijs, iuncto Eumolpo, aduerſus Erechtheũ. Theſeus uerò poſteaquã regno potitus eſt,uir potens & perinde ſolers,cùm alia regionis eius excoluit,tum uerò illud quòd cæterorũ oppidorum & cõciliabula & magiſtratus aboleuit:& in ea quæ nũc eſt urbe,uno inſtituto cõſilio,& una curia,cũctos collocauit:coëgitq;, ſua quenq; ut prius colentes, una tamen hac urbe uti, quam ingentem iam omnibus in ea ordinatis effectam, ſucceſſoribus per manus tradidit. Cuius congregationis Athenienſes etiam nunc diem ſolemnem in deæ honorem publicè agunt. Nam ante Theſea, quæ nunc ſumma urbs eſt,tunc urbs fuit:& id præcipuè,quòd ſub ea ſpectat aquilonẽ:ut teſtantur quæ ibi ſunt delubra etiam aliorum deorum,& quæ extra illud ſunt,ab hac præcipuè parte extructa delubra uiſuntur Iouis Olympij,Telluris, Bacchi in paludibus, cui uetuſtiora Bacchanalia fiunt decimo menſis Antheſterionis die:quemadmodum nunc quoq; Iones ab Atheniẽſibus oriundi exiſtimant. Necnon alia huius generis extructa ſunt uetuſta templa, & Fonte,qui nunc poſteaquàm tyranni concinnarunt, Nouem fiſtulæ nominatur: olim autem Calliroe, cùm fontes extarent,quia uicinus erat, utebantur in maximis quibuſque rebus, ut hodie quoque ex uetuſtate duret opinio, ante coniugalia, & in alia quæ ſacrorum ſunt, illa aqua eſſe utendum. Et nunc

Phalericus murus.

Atheniẽſes ex agris migrant in urbem.

Delubra deorũ apud Athenas.

etiam propter uetustam hāc habitationem, summa pars urbis uocatur ab Atheniensibus, Vrbs. Igitur suo ferè arbitratu Athenienses passim domicilia habentes, postquam unà in mœnia coiêre, tamen ob morem in agris agendi cum omni familia, pleriq; & priorum & posteriorū, usq; ad hoc bellum non facilè migrabāt: & eo difficilius, quòd nuper post bellum Medicum supellectilē reportauerant: grauabantur etiam & ægrè ferebant, quòd deserturi essent penates ac templa, quæ ipsis ob uetustum perpetuò ritum patria erant, deserturi quoq; uitæ consuetudinem: deniq; nil aliud, quàm si suam quisq; urbem desereret. Vbi in urbem migratū est, paucis quibusdam domus fuerunt, nonnullis apud amicos necessariosq; effugium: aliqui (quæ magna portio fuit) infrequētia urbis loca ad habitādum cœpêre, templaq; ac basilicas omnes, præterquàm summæ urbis & Eleusinæ: & si quod aliud robuste erat obseratum, necnon Pelasgicum quod uocatur, summæ urbi subiectum, quodq; inhabitare nefas erat: ut & Pythici oraculi fine uersus uetabatur, dicente:

Satiusq; Pelasgicum ocia seruet.

Ob ipsam tamen repentinam necessitatem, præstitit usum domus. Cæterùm ut mihi uidetur, oraculum in contrarium cecidit quàm expectabatur. Non enim propter prophanatum habitatione templum, calamitates ciuitati contigerunt, sed propter bellum, inhabitādi necessitas. Nec nominatim templum hoc ab oraculo prænotatum est, aliquando infaustè habitandum esse. In turribus quoq; murorum multi sibi habitacula construxerūt, deniq; ubi quisq; poterat. Quippe non prohibebat ciuitas hoc agere, tot unà immigrātes, Sed postea depositi in longis muris, & in magna parte Piræi habitarunt. Iam uerò ij etiam quæ ad bellum spectabant præparabant, tum sociorum auxilia cogentes, tum centum nauibus, quæ exituræ in Peloponnesum erant, apparandis intenti. Et Athenienses quidem in hoc erant occupationis.

Peloponnensium autem exercitus in Atticam tendens, peruenit primùm ad Oenoen, qua Atticam ingressurus erat. Vbi cùm subsedissent, tormenta machinasq;, quibus muros quaterent, parabant. Nam Oenoe muris prædita est, Atticam ab Eubœa disterminans, qua Athenienses quoties bellum incidit, pro munimento utuntur. Circa hanc Peloponnenses cùm in præparandis machinis temporis, satis triuerunt: tum uerò propter Archidamum, quem non parum insimulabant, quòd uideretur & in euocandis auxilijs lentior, & quòd Atheniensiū studiosus esset, nequaquam uehemēs hortator ad bellum. Cōtractis autem iam copijs, dabantur crimini & statiua apud Isthmum habita, & in cætero itinere faciendo cunctatio, & super omnia ad Oenoen segnities. Quæ hominis

minis negligentia,ſi non extitiſſet, uidebantur ſibi Peloponnenſes celeri aduentu omnia quæ extra urbem haberent Athenienſes (nam interim hæc illo intrò portauerant) occupaturi fuiſſe. Hac itaque inuidia premebatur Archidamus in obſidione Oenoes: quam (ut fertur) ideo tolerabat,quòd expectaret ut Athenienſes nondum uiolata ipſorū terra,aliquid de tumore remitterent,neq; paterentur ante ſuos eam oculos uaſtari. At poſtquam Oenoen adorti,omniq; ope conati expugnare nequeunt, nullumq; Athenienſes caduceatorem mittebant,ita demum caſtris illinc motis, octogeſimo ferè die ab ijs,quæ apud Platæam Thebanis ingreſsis acta ſunt,æſtate frumentiſq; maturis,Atticam inuaſerūt,duce Archidamo Zeuxidami filio,Lacedæmoniorum rege. Ac ſubſidentes,depopulati ſunt primùm Eleuſina, campumq; Thriaſium: fugatis aliquantulum circa loca,quæ dicuntur Rhiti,Athenienſibus equitibus. Deinde progreſsi ad dexteram habentes Ægaleon montem,per Cecropiā ad Acharnas uſq; peruenerunt,maximum omnium oppidorum quæ Atticæ populi uocãtur:poſitiſq; in obſidione caſtris,diu illic habuêre ſtatiua populationibus occupati. Fertur Archidamus circum Acharnas cum exercitu tanquam ad pugnam inſtructo manſiſſe:nec illa expeditione in plana deſcēdiſſe:eo conſilio,quòd ſuſpicabatur Athenienſes multa iuuētute florentes,& ad bellū ut nunquam alias inſtructos,in occurſum prodituros,nec in oculis ſuis agrū uaſtari paſſuros. Vbi neq; ad Eleuſina,neq; ad campum Thriaſium occurrerūt,experiri ſtatuit dum Acharnas obſidet, an occurrere auderent:ſimul quòd locus habendis ſtatiuis opportunis uidebatur, ſimul quòd Acharnes(qui magna pars ciuitatis, quippe tria millia armatorum erant) non credebantur quòd ſua corrumpērentur neglecturi,ſed omnes in prælium exituri. Quòd ſi non exirent tunc Athenienſes, minore iam metu in poſterum poſſe uaſtari campum, & ad ipſam urbem accedi. Acharnes enim ſuis rebus exutos,nō ita promptos ad ſubeundum pro alieno agro diſcrimen,ideoq; diſcordes ſententias fore. Et hac quidem cogitatione,cùm Acharnas obſideret, Archidamus erat. Athenienſes uerò,quoad hoſtis circa Eleuſina & campū Thriaſium ſubſedit,ſpem nonnullam conceperunt non eſſe propius progreſſurum, memoria tenentes Pliſtoanactem Pauſaniæ filium Lacedæmoniorum regem,quatuordecim ante hoc bellum annis,cum Peloponeſi exercitu,dum Atticam inuaſiſſet,ad Eleuſina & Trioze,nec ultrà progreſſum,redijſſe:eoq; ex Sparta relegatus eſt,creditus id feciſſe pecunia. Vt autē circunſidentē Acharnas exercitum cognouerunt,ſexaginta ſtadijs ab urbe diſtantem, cùm in conſpectu regio uaſtaretur, quòd nunquam præterquam Medico bello,neq; iuuenes neq; ſenes aſpexerant,id uerò (ut con-

ſentaneum eſt)acerbum ſanè,nec iam negligendũ tolerandumq́; ſed obuiam prodeundum,cùm alijs,tum præcipuè iuuentuti uiſum eſt. Coacto concilio, magna inter eos altercatio erat, alijs exire iubentibus,alijs quibuſdam non ſinentibus. Vates quoque multifaria uaticinia referebant,ad quos audiendos undiq; coibatur. Acharnes,quod putarent apud ſe minimam portionem Athenienſium eſſe,quod ipſorum terra uaſtaretur,ad exeũdum præcipuè urgebant:atq; omni ex parte ciuitas tumultuabatur,& Periclì iraſcebantur,prorſus immemores eorum quæ prius ille ſuaſiſſet. Conuitiabantur etiam, quòd cùm eſſet dux, non tamen eos educeret,exiſtimantes ipſum omnium quæ paterentur autorem.

Periclis prudentia.

Quos Pericles uidens ex pręſenti cõditione afflictari,utpote non rectè ſentientes de exeundo,ut ipſe faciebat,concionem non aduocauit,nullumq; habuit cœtum,ne quid ira magis quàm iudicio peccarent congregati. Itaq; urbem cuſtodit, & quàm maximè poteſt,quietam ciuitatem tenet:equites tamẽ emittit,ne ij qui ab exercitu excurrerẽt,urbi uicinos agros adorti,prædas agerent:pugnaq; equeſtris parua in Phrygijs commiſſa eſt,inter unam Athenienſium turmam,adiũctis Theſſalis, & Bœotiorum equitatum. In qua non inferiores erant Athenienſes & Theſſali,donec Bœotijs equitibus pedites auxilium tulerunt. Tunc facta fuga, Atheniẽſium Theſſalorumq; aliquot deſiderati ſunt:quos tamen ipſo die abſq; inducijs receperũt. Poſterò die trophæum Peloponnenſes ſtatuerunt. Hæc autem Theſſalorum auxilia ex uetuſta ſocie-

Qui ex Theſſalis Athenienſiũ adiutores.

tate Athenienſibus afferunt, Lariſſæi,Pharſalij,Parhaſii,Cranonij,Piraſii,Gyrtonij,Pheræi:ducibus ex Lariſſa quidem Polymede & Ariſtone ex ſua utroq; factione. Ex Pharſalo autem Mœnone,& deinceps cæteris ſuorum ciuium ducibus. Peloponnenſes, ubi Athenienſes ſe obuiam non ferunt in pugnam, ex Acharnis mouerũt:populatiq; ſunt alios quoſdã ex populis,ſitos inter Parnethum & Brileſſum montes. Dum hi in Attica agunt, Athenienſes centum naues quas inſtruxerant,cum mille armatis quadringentisq; ſagittarijs circum Pelopõneſum miſerũt,ducibus Carcino Xenotini,Protea Epiclis,& Socrate Antigenis filio. Qui cum hoc apparatu ſoluentes è portu uela fecerunt. Peloponnenſes tandiu in Attica morati, quoad commeatus ſuppeditauit,per Bœotiam quã non inuaſerunt,ſunt reuerſi. Prætereũteſq; Oropum regionem,nomine Pyraicem,quam Oropij Athenienſibus ſubditi

Atheniẽſes Peloponẽſum inuadunt.

colunt,populum ſunt,ac regreſsi in Pelopõneſum,in ſuas quique urbes diſceſſerũt. Poſt quorum abitum, Athenienſes terra mariq; cuſtodias collocauerũt:quemadmodum per omne bellum cuſtodias acturi erãt. Necnon mille talẽta ex eis:quæ in arce eſſent,placuit ipſis ſeparata,ſeponere, nec erogare, ſed ex alijs ſumere in

uſum

usum belli. Quòd si quis aut referat, aut ferendis suffragijs obtineat mouendam pecuniam hanc alios in usus, nisi si hostes classe adoriantur urbem, propulsarique oporteat, pœnam morte sanxerunt.

Atheniensiū pecuniæ in usum belli.

Præterea centum extra ordinem optimas triremes quotānis fecerunt cum suis præfectis. Quarum nulla fas erat in aliud quidquam uti, nisi cum eadem pecunia ob idem periculum si opus foret. Illi uerò Athenienses, qui in centum illis nauibus ad Peloponnesum erant, cum quinquaginta Corcyrensium quæ uenerant auxilio, cum alijs nōnullis illinc socijs, præter alias clades quas intulerunt, egressi in terram, Methonem (quæ est in Laconica) adorti sunt, tum muris inualidam, tum hominibus uacuam. Erat in ijs circa locis cum præsidio Brasidas Tellidis filius, Spartiata. Hic re cognita, cum centū armatis auxilio ijs qui intus erant, aduenit: perque medium Atheniensium exercitum, huc illucque palatum, & ad muros conuersum, in urbem irrupit, aliquot sociorum in ipsa impressione amissis: eamque tutatus est. Propter quam strenuitatē ante omnes qui bellum administrarunt, apud Spartam collaudatus est. Athenienses inde soluentes abierunt: & cùm Phiam Elidem tenuissent, biduo populati sunt: & ad prohibendam uim uenientes ex conuallibus Elidis trecentos egregios uiros, & ex finitimis illinc Eliorum alios pugna inita uicerunt. Cæterùm exortò ingenti uento, cum tempestate iactarentur in loco portu carente, multi cōscensis nauibus prætervecti, promontoriū quod dicitur Piscis, in portum qui est in Phia, uenerunt.

Piscis promontorium.

Interim Messenij & alij nonnulli, qui conscendere naues nequierant, terrestri profecti itinere Phiam expugnarunt: posteaque in naues quæ circumibant, recepti sunt. Atque illinc relicta Phia (multa enim iam manus Eliorū ueniebat auxilio) nauigantes Athenienses, alia circa loca populabantur. Per idem tempus Athenienses triginta naues miserunt ut obirent Locridem, simulque Eubœam tutarentur, duce Cleopompo Cliniæ filio: qui egressus in terram, nonnulla loca uastat, Thronium capit, obsides illinc accipit: apud Alopen qui ex Locris auxilium ferebant, commisso certamine superat. Hac eadem æstate, Æginetas cum liberis uxoribusque è sedibus suis eiecerunt Athenienses, exprobrata uel præcipuè eis belli culpa, cùm præsertim tutius fore uideretur, Æginam utique Peloponneso obnoxiam teneri, suorum colonia illic missa, sicut non ita multò pòst missa est. Illis eiectis Peloponnenses tum Atheniensium odio, tum de se benemeritis & terræmotus tempore & seruili bello, Thyream incolendam, & eius agrum colendum dederunt. Qui ager Argiuū ac Laconicum diuidit, ad mare usque pertingens: ubi ad hoc tempus eorum nonnulli habitant, cæteri per Græciam dissipati sunt. Eadem quoque æstate Calendis lunaribus, hoc est, interlunio, quo solùm tem-

Eclipsis solis.

lùm tempore creditur posse contingere, sol deficit secundũ meridiem, nonnullis internitentibus stellis: rursusq́ è curua in solidam speciem repletus est. Per eandem quoq; æstatem Nymphodorũ Abderitem Pythei filiũ, magnæ apud Sitalcem sororis uirum autoritatis, quem pro hoste prius habuerãt, sibi conciliauerũt, accersceruntq́, uolẽtes per Sitalcem contrahere cum Tere Thracũ rege societatem. Hic autem Teres Sitalcis pater, magnum Odrysarum regnum primus reliqua Thracia maius reddidit. Nam bona pars Thracum etiam sui iuris est. Cum Tereo autem illo qui Procnen Pandionis filiam duxit uxorẽ, nulla hic Teres cõsanguinitate coniunctus erat, neq; ex eadem ambo Thracia extitêre. Siquidem Tereus Dauliam, quæ nunc terræ Phocidis uocatur, incoluit, tunc à Thracibus habitatæ, & facinus illud circa Ityn fœminæ in ea terra patrauerunt, & à multis poëtarum in commemoranda Philomena, auis Daulias celebratur. Et credibile est Pandionem tantulo distãtem affinitatem ex filia propter auxilium mutuũ maluisse, quàm ea quæ tot dierũ itinere usq; ad Odrysas distaret. At Teres ne nomen quidem habens idem, regnum Odrysarum ui primus adeptus est: cuius filium Sitalcem Athenienses in societatem asciuerunt, cupientes, per hunc sibi & loca in Thracia, & Perdiccam comparare. Cùm uenit Athenas Nymphodorus, & societatem Sitalcis mandato inijt, & filium ciuem Atheniensem fecit nomine Sadocum, & bellum quod esset in Thracia, dissoluturum se recepit, persuaso Sitalce, ad mittẽdas Atheniensibus copias Thracum equitum, clypeatorumq́. Conciliauit eis etiam Perdiccam, inductis ad Thermen illi reddendam. Itaq; Perdiccas protinus Atheniensibus ac Phormioni iunctus, arma intulit Chalcidensibus. Ita Sitalces & Perdiccas, ille Teris, hic Alexandri filius, alter Thracũ, alter Macedonum rex, fœdus cum Atheniensibus percusserunt. Atheniẽses autem qui cum centũ adhuc nauibus Pelopõneso obseruabãtur, Solion Corinthiorũ oppidum postquã diripuerunt, id cum agro solis Acarnanũ Palirensibus colendum tradiderunt, Astacumq́ ui captam, Euarcho tyranno eiecto, in societatem consciuerũt: & in Cephaleniam insulam mari profecti, citra certamen ea potiti sunt. Sita est autem Cephalenia Acarnaniam uersus & Leucadem, quatuor habẽs ciuitates: Palenses, Cranios, Samæos, Pronnæos. Nec multò pòst reuersæ sunt Athenas naues. Sub huius æstatis autumnum, Athenienses cum incolis duce Pericle Xanthippi filio, toto populo incursionem fecerunt in agrum Megaricum: & ij qui apud Peloponnesum cum centum nauibus erant Athenienses (apud Æginã autem tunc erant) domum repetẽtes, ut acceperunt, omnem ciuitatem in expeditione in Megaris, illuc contenderũt, & cum illis commixti sunt, qui maximus extitit uniuersorum

Teres Thracum rex.

uersorum

uerſorum coactus Athenienſiũ exercitus, utpote florenti ciuitate, necdum morbum paſſa. Fuerunt enim Athenienſium ſub armis decem milia, præter tria apud Potidæam, præter incolarum, qui unà in expeditionem armati prodierũt, non minus quàm totidem milia: præter etiam aliam leuiter armatorum non exiguam turbam. Hi magna in parte terræ illius hoſtiliter cùm egiſſent, ſeſe receperunt. Fuerunt aliæ quoque Athenienſium quotannis in agrum Megarenſem incurſiones, nunc equitatu, nunc cum exercitu, donec Niſæam exciderũt. A quibus etiam Atalante ut præſidium eſſet, muris eſt munita, hac iam extrema æſtate, inſula iuxta Locros Opuntios, prius deſerta, ne prædones ex Opunte, & alijs Locrorum oppidis nauigantes, Eubœam prædarentur. Effecta ſunt autem iſta æſtate hac, poſt Peloponnenſium ex Attica diſceſſum. Ineunte hyeme, Euarchus Acarnan uolens in Aſtacum reuerti, perſuadet Corinthijs, ut cum quinquaginta nauibus, mille quingentos armatos ferentibus ſe reducerent. Ipſe quoq; nonnulli auxiliorum conducit. Præerant autem his copijs Euphamidas Ariſtonymi, Timoxenus Timocratis, & Eumachus Chryſidis filius: qui illuc nauigantes hominem reduxerunt, & cæteræ Acarnaniæ nõnulla ad mare oppida ſubigere uolentes, id fruſtra conati, domum reuertebantur. Et cùm prætemauigantes Cephaleniam tenuiſſent, exiſſentq; in Craniorum oram, ſpecie deditionis ab illis decepti ex inopinato inuadẽtibus, partem ſuorum amiſerunt: & cùm acrius urgerentur, domum ſe receperunt. Eadem hyeme Athenienſes uetere inſtituto buſtum publicè fecerunt ijs, qui primùm hoc in bello mortem oppetiſſent, hũc in modum: Facto ante triduum tabernaculo, mortuorum oſſa proponuntur, & ſuorum quiſq; reliquijs ſi quid libeat imponit. Cùm efferũtur, ſingularum tribuum ſingulas arcas, ſuæ quanq; tribus oſſa cõtinentes, uehicula portant. Vnus item thorus inanis fertur conſtratus, eorum qui non extant, qui inter cæſos non fuère comperti. Efferunt autem promiſcuè uoluntarij quiq; uel ciues, uel hoſpites, fœminis propinquitate coniunctis ad ſepulchrum eiulantibus, conduntq; in publico monumento, quod eſt iuxta monumẽtum Calliſti apud ſuburbana. Vbi ſemper eos ſepeliunt qui in bello ceciderunt, præterquàm qui in Marathone. Quorum ſingularem fuiſſe uirtutem exiſtimantes, eodem in loco ſepulchrum fecerunt. Poſteà uerò quàm eos humauerint, aliquis ab ipſa ciuitate delectus, uir haudquaquam pro inconſulto habitus, & cui pro dignitate conueniat, ſuper eos orationem habet, qualem decet de illorum laudibus, qua habita, diſceditur. Hoc quidem more ſepeliũt, quo per omne belli tempus, quoties id eis accidit, legitimo utuntur. Vt autem ad hos, qui primi mortem oppetière, laudã dos Pericles

Athenienſium incurſiones.

Exequiæ occiſorum.

Calliſti monumentum.

ricles Xãthippi filius delectus eſt,& tempus affuit,à ſepulchro in excelſum ſuggeſtum,quo à pleraq; frequentia exaudiretur,procedens,ita diſſeruit:

Oratio Periclis funebris.

MVlti quidem corũ qui ex hoc hactenus loco uerba fecerunt, hunc legibus inſtitutum morem in concione dicendi ad exequias defunctorum in bello, ut pulchrum laudant. Mihi uerò ſatis eſſe uiſum eſt,uirorum præſtãtium factis honores declarare, qualia circa buſtum hoc publicè inſtructa cõſpicitis:nec in uno uiro multorum uirtutes periclitari debere,& ſiue bene,ſiue male is dicat,haberi fidem. Arduum enim in dicendo ſeruare temperamentum in ea re,in qua uix etiam ueritatis opinio confirmari poteſt.Nam auditor,qui & rem agnoſcit,& hominẽ diligit, aliquid ferè & opinione & uoluntate ſua inferius dictum exiſtimat; Qui uerò inexpertus eſt,is propter inuidiã quicquid ſuper ſuam uim audit,ait ſupergreſſum eſſe ueritatẽ.Eatenusq; tolerandæ alienæ laudes uidentur,quatenus ſeipſum quiſq; parem arbitratur alicui illarũ aſſequendæ:quibus uerò imparem,ijs inuidet,fidemq; non habet.Verùm quãdoquidem ita olim iam probatum eſt hæc fieri,oportet me quoq; legi obſequẽtem,ad ueſtram ſingulorum & uoluntatem & opinionem,quàm plurimum potero accõmodare orationem,ſumpto à progenitoribus initio.Æquum enim ſimul ac decorum eſt,ex hoc loco eis honorem hunc memoriæ reddere, qui regionem hanc ipſi ſemper incolẽtes,poſteris ad hoc tempus liberam ſua uirtute tradiderunt.Et cùm illi laude digni ſunt, tum uel magis patres noſtri,qui ad ea quæ acceperant, hoc quantumcunque habemus imperium adijcientes,non ſine labore partum, nobis qui nunc ſumus reliquerunt:quæ uerò ultra hoc ſunt,ipſi nos qui aſſumus præcipuè perfecta ætate propagauimus,& patriam omnibus quæ uel ad pacem uel ad bellum pertinent inſtruximus atque ornauimus.Hic uerò res bellicas,quibus parta ſunt omnia,uel à nobis uel à patribus noſtris ſtrenuè geſtas in propulſandis bellis,à Barbaro uel à Græcia illatis,omitto,nolens longus eſſe apud ſcientes.At quo ſtudio huc euaſerimus,& qua Reipublicę adminiſtratione,quibus'ue artibus propagatum imperium ſit cùm demonſtraro,ad hos laudandos accedam,exiſtimans nec alienum eſſe hoc tempore hæc memorari,nec inutile ab omni cœtu ciuium pariter hoſpitumq; audiri. Fungimur enim à Reipublicæ adminiſtratione,quæ uicinarum leges non ſectetur ciuitatum,ipſi potius alteri exemplar,quàm aliena imitantes, nomenq; habemus,non quod ad paucos,ſed quod ad multos pertinet,democratia. Idem iuris quãtumlibet priuatim inter ſe differentibus omnibus eſt,honores prout quiſq; aliquid ſui ſpecimen dederit:

Democratia Athenienſium.

neque

neque ijs qui ex certa parte ciuium sunt potius quàm ex uirtute, neq; propter paupertatem quis quo minus publico munere fungatur, dummodo patriæ prodesse possit, pro uirili parte prohibetur. Liberè autem tum publica tractamus, tum in quotidianis inter nos studijs à suspicionibus absumus, neque si quid uoluptatis gratia agendum est, id cum aliorum offensione agimus, neq; molestias, innoxias illas quidẽ, sed certè aspectu tristes, adhibemus: quin citra molestiam priuata commercia habemus: in publicis uerò maximè metu à delictis abstinemus, obedientes tum præsentibus magistratibus, tum legibus, & maximè ijs quæ ad auxilium eorum quibus fit iniuria latæ sunt, & quæ cùm scriptæ non sint, confessum pudorem afferunt. Iam uerò laboribus plurimas animi remissiones indulgemus: sacra certamina assiduaq; totius anni sacrificia, cum decenti priuatorum apparatu interponẽtes, quorum quotidiana delectatio tristitiam discutit. Importãtur huc propter magnitudinem ciuitatis ex omnibus terris omnia, euenitq; nobis ut non magis hinc natiuis bonis fruamur, quàm ijs quę sunt apud alios homines. In studijs autem rei bellicæ hinc quoq; differimus ab hostibus, quòd hanc urbem omnibus exhibemus, nullis expulsionibus hospitum quempiam uel discere uel spectare prohibemus, quasi hæc non occultata sint profutura hosti si uiderit: neque magis aut apparatui bellorum aut fraudibus confidimus, quàm nostræ ad res agendas animi præstantiæ. Apud quosdam in disciplinis iuuenes ab ineunte statim ætate uirile robur pertinaci exercitatione nanciscuntur: nos autem, qui iam remissius uiuimus, nihilo tamẽ segnius hostilia discrimina adimus. Cuius rei signũ est, quòd neq; Lacedæmonij per se tantùm, sed cum omnibus terram nostram inuaserunt, & ipsi per nosmet finitimorum fines ingressi, eos qui domi sua tuebantur, haud difficulter plerunque subegimus. Adeò nemo hostium unquam aduersus omnium nostram uim ferre se ausus est, tum propter nostrum rei nauticæ studium, tum propter copias quas in diuersa terrarum loca dimittimus. In quorum si quo conserta pugna cum aliquibus nostrum illi fuère superiores, cunctos nos superasse gloriantur: & cùm uicti sunt, ab uniuersis uictos esse se prædicant. Quanquam si quiete potius quàm laborũ assiduitate, nec legibus magis quàm generosis moribus periclitari uelimus, hoc habemus quod non defatigaremur ærumnis antè, quàm ueniant: & cùm tempus est illas subeundi, subimus non minus strenuè, quàm ij qui semper in ærũnis agunt. Licet hinc quoq; ciuitatem hanc admiratione dignam sicut in cæteris cognoscere, quòd honesta cum frugalitate complectimur: philosophamur autem, id est, inopiam toleramus citra animi eneruationem: diuitijsq; utimur potius in rerum oportunitate, quàm

cum uerborum iactantia. Egestatem suam nulli fateri deforme est: deforme, ut eam deuitet, non anniti. Adest praeterea eisdē hominibus suarū simul & cōmunium rerū cura, & ijs qui rebus agendis incumbunt, non minor de Reipublicę statu notitia. Soli enim nos eum qui nihil rationis cum Republica habet, non ciuem ociosum, sed inutilē arbitramur. Iidem si quas res rectè iudicamus concipimus'ue, non existimamus orationem ijs rebus officere, sed potius non doceri prius illas sicut oportet quam exequaris. Nam hoc quoq; praestantius habemus, quod ijdem praecipuè in ijs quae aggredimur, & audacia utimur & ratione: cum alijs inscitia fiduciā, ratio cunctationem afferat. Praestantissimo quique animo aequissimè iudicant: qui apertissimè dura simul & iucunda cognoscunt, & ob id à periculis se non subtrahūt. Iidem erga multos uiurō uirtutis officijs fungimur: quippe qui non accipiēdis, sed dandis beneficijs amicos comparamus. Nam meliore conditione est qui bene facit, peiore cui bene fit: cùm ille quod fecit, tueri debeat beneuolentia, hic sciat se in dando non gratificaturum, sed gratiam redditurum. Iidem soli non emolumenti magis quàm liberalitatis fideliter exercendae ratione habita, alijs magnificè gratificamur. Atque ut semel dicam, uidetur mihi haec ciuitas tum in totum esse Graeciae magisterium, tum per singulos uiros corpus ad plurima rerum genera idoneum exhibere, cum gratia praecipuè & uenustate. Et quòd haec non orationis in praesentia iactatione magis quàm rerum ueritate nitantur, haec urbis potentia quam his artibus parauimus, est documento. Quae sola omnium earum quae nunc sunt, fama sui (ut experimento constat) maior est: sola quae nec hosti occurrens irascitur ob acceptam ab illo cladem: neque à subiectis male audit, tanquam indigna quae dominetur. Neque nullis potentiā nostram, sed uel maximis testificatur indicijs, futuri pręsentibus uenturisq; miraculo: nec desiderantes aut Homerū praeconem, aut quisquis in praesens carminibus mulceat:

Sententia memorabilis.

Opinionem rerum ueritas delet.

Sed omnia maria, omnesq; terras, nostra audacia peruias fecimus, ubique bonorum malorumq; separatim monumenta collocantes. Pro hac igitur ciuitate & isti (quia indignum ducerent eam euerti) praeliantes, generosè occubuerunt, & reliquorum decet unumquenque uelle anniti. Quae causa mihi fuit, ut prolixius de ciuitate loquens, tum docerem non de pari re nobis esse certamen, & quibus nihil simile adest, tum planam facerem probationibus horum laudem, de quibus nunc à me habetur oratio: cuius haud ea quae maxima iam dicta sunt. Nam quae ego ciuitatis decora praedicaui, ea nimirum istorum atq; eorum similium uirtuti debentur. Qualis non in multis Graecorum de suis operibus ratio constat.

tio conſtat. Atq; mihi uidetur uirtutem uiri, ut nunc iſtorum, uita ſignificare, mors planè declarare. Etenim iuſtum eſt, eos qui præſtare alia nequeunt, certè in bellis patriæ fortunã in animo proponere: cùm melius publicè de ciuitate, quàm peius priuatim meruerunt, hoc malum illo bono obruentes: ueluti iſti, quorum nemo neq; diuitijs mollitus eſt, præoptans illis in poſterum frui: neque ſpe paupertatis in diuitias commutandæ à ſubeundis aſperis retentus eſt, hoſtis pœnæ quàm ſalutis ſuæ cupidiores. Simulq; hoc omnium pulcherrimum periculum exiſtimãtes, uoluerunt ex ultione hoſtium ad hæc peruenire: freti ſpe, id quod non uiderunt, conſequendi: dignum etiam opus, ex ijs quæ iam uiderant, ducentes cui ſe crederent: ſatiusq; eſſe in propulſanda ui pati, quàm in cedendo incolumes fieri. Et cùm dedecus infamiæ fugiunt, rem corpore pertulerunt: & breuiſsimum intra tempus cum fortuna potius per ſummam gloriam, quàm cum timore tranſigere. Et iſti quidem, quales par erat, tales in patriam extitère. Reliqui uerò debent minus quidem obnoxium caſibus optare, ſed nequaquã minus audacem poſtulare in hoſtes ut habeant animum: conſiderantes non ſola oratione conſtare profectum, quem apud uos non minus quàm ego cognitum habentes, exaggerauerit quiſpiam, commemorando quãtum boni inſit in hoſtibus propulſandis: ſed uel magis ſi cõtemplantes quotidie ex operibus potentiam ciuitatis, efficiamini illius amatores. Et cùm ea uobis magna uideatur eſſe, cogitetis uiros magnanimos, qui ius faſq; intelligerent, in operibus prudentes, iſta cõparaſſe: & qui quoties eis ex ſententia non ceſsiſſet, non ſtatuerunt ſua uirtute fraudãdam eſſe ciuitatem, ſpecioſiſsima eam collecta donantes. Publicè nanq; corpora impenderunt: priuatim laudem, quæ nunquam ſeneſceret, acceperunt: ſimul & honorificentiſsimam ſepulturam, in qua non magis ipſi ſunt ſiti, quàm ſempiterna eorũ gloria (ut ſeſe quodq; offeret tempus uel narrandi uel imitandi) celebranda relinquitur. Quippe illuſtrium uirorum omnis terra ſepulchrum: neq; id domeſticorum tantùm ſaxorum teſtatur inſcriptio, ſed etiam ſine ſcripto in exteras gentes egreſſa memoria, magis apud animum cuiuſque, quàm apud urnas hoſpitatur. Quos ipſi nunc ad imitandum uobis proponentes, & felicitatem exiſtimantes eſſe libertatem, rurſus libertatem eſſe felicitatẽ, nolite bellica recuſare diſcrimina. Neq; enim calamitoſi, quibus ſpes boni non adeſt, iuſtius uitæ non parcant, quàm ij quorum diuerſa uitæ conditio, & præſertim optima, periclitatur. Triſtiorq; eſt uiro prudentia prædito cõtumelia comes ignauiæ, quàm per robur & publicã ſpem ſine ſenſu futura mors. Ideoq; parentes iſtorum, nũc quicunq; adeſtis, non magis defleo quàm conſolor. Cùm enim multiplicibus dum educantur, ut ſci-

mus,subiaceant accidentibus,præclarè cum illis agitur,qui præclarissimum sortiuntur ut nunc isti obitum,uos mœrorem,& quibuscunq; datū est,ut eorum uita feliciter acta pariter & finita censeatur.Nec me fallit,arduum esse persuasu ne mœstitiam sentiatis, quoties uobis istorum memoria refricabitur in aliorum rebus secundis,quibus & ipsi aliquādo exultastis,& ex ijs bonis non quibus nunquam potituri,sed quibus diu potiti priuantur.Tolerare tamen oportet spe aliorum liberorum eos,qui in ętate adhuc sunt procreandi.Siquidem futura soboles,& quibusdam erit particularis obliuio defunctorum,& Reipublicę bis proderit,quod eam necdesolatā patietur,& tutam præstabit. Non enim possunt aut par aut iustum consilium dare ij,qui exponunt periculis liberos istorum more,& qui non exponunt.Vos uerò qui in ætate processistis,quo diuturniorem uitam feliciter traduxistis,eo plus lucri uos fecisse existimetis:& hoc quod superest uitę,breue futurū, quod utiq; ob istorum gloriā leuius fiet.Sola nanq; magnanimitas non senescit:nec magis in affecta iam ætate lucrari delectat,ut quidam aiunt, quàm honorari. Filij autem horum ac fratres qui adestis,magnum uideo uobis propositū esse certamen.Nam eius qui fato functus est,uirtutem nemo non solet prosequi laude, ac ferè supra modum.At uos non pares iudicamini,sed aliquantulò inferiores esse.Quippe uiuentiū inter æmulos liuor est,quo sublato,uirtus cum beneuolo celebratur assensu.Si quid autem me oportet de muliebri quoq; uirtute commemorare, earum quæ nunc erunt uiduę,breui omnia exhortatione complectar.Etenim ingenti uobis est gloriæ,non esse uos sexu uestro infirmiores,hoc est,pudicas esse.Cuius rei decus dedecus'ue minimum cadit in uiros.In hac ego oratione legibus iniuncta,retuli quæcunq; habui utilia,& re ipsa partim qui sepeliuntur ornati sunt, partim eorum liberos ciuitas hinc ad pubertatem publicè alet, utilem profectò & istis & futuris proponens lauream talium certaminum. Quæ enim uberrima uirtutis proposita sunt præmia,ad ea optimo quisque in Rempublicam animo contendit. Iam postquàm suos quisque necessarios deplorastis,abscedite.

Actum est autem huiusmodi funus hyeme:tum,quia primus annus belli finitus est. Ineunte æstate,Peloponnenses socijq; ex duabus (quemadmodū superiore anno) partibus Atticā ingressi sunt,duce Archidamo Zeuxidami filio Lacedæmoniorum rege: castrisq; positis,regionē populabātur.Vbi cùm non multos dies fuissent,morbus primùm apud Athenienses cœpit: prius quidem (ut aiunt) alibi quoq; & circa Lemnū,& alijs multis in locis grassatus.Cæterum neq; pestilentiæ,neq; funerū tantum usquam fuisse memoratur.Nam huic nec medici pares erant ignotæ eis inter initia:

Anni secundi initium.

Pestis Atheniēsium.

initia: imò ipsorum plurimi extinguebantur, ut maximè illos adibant: nec alia ulla hominū ars, nec quæ in templis exposcebantur, nec diuinationes, & quæ sunt id genus quibus utebantur, omnia deniꝙ frustra fuerunt. Eaꝙ homines malo ipso euicti cùm morerentur, reliquerunt. Incepit autem (ut fertur) primùm ex Æthiopia, quæ est super Ægyptum. Deinde in Ægyptum Libyamꝙ descendit: & in regis magna ex parte regionem: cōfestimꝙ Athenas inuasit, principio in Pyræo contagionis facto: ita ut ab eis diceretur, uenena in puteos (nondū enim illic fontes erant) à Peloponnensibus esse deiecta. Mox & in superiorē urbem processit: multoꝙ magis iam mors ingruebat. Referatur igitur hoc, ut cognoscat quisꝙ uel peritus medicinæ, uel imperitus, unde credibile sit id extitisse, quas'ue satis idoneas existimet causas, quæ ad tantam mutationem uim haberent. Ego uerò quæ potero referam, & quę sibi quisꝙ proponens, si quādo hoc rursus incidat, iam prædoctus habeat aliquid præcipue, unde non ignoret: aperiam & ipse, passus hunc morbum, & alios patientes intuitus. Enimuero annus ille, ut confessione ferè omnium constat, maximè immunis fuit aliorum morborum. Quòd si quo quis alio prius laborabat, is morbus in hunc omnino conuertebatur. Cæteros quoꝙ salubri corpore repentè nulla ex causa corripiebant ante omnia capitis acres feruores, oculorū suffusio ruboris, adustioꝙ. Introrsum uerò statim lingua cum faucibus sanguinolenta uisebatur, spiritus arctè, & cum graueolentia meabat. Deinde ex ijs sternutatio raucitasꝙ existebat, nec diu pòst, labor in pectus cum uehemēti tussi descendebat: & cùm ad præcordia hæserat, illa uexabat: sequebātur cunctæ fellis & humoris quæ à medicis nominantur excretiones, & ipsæ cum ingenti cruciatu: & plerisꝙ inanis incidebat singultus, acrem ciens spasmum: qui in quibusdam protinus, in quibusdam serius sedabatur. Et corpus quidem exterius non admodum feruens tactu erat, neꝙ pallidum, sed subrubrū, fuscum, minutis pustulis ac papulis scatens. Interius autem ita ardebat, ut neque per quàm tenuia uestimenta aut sindones inijci, neꝙ aliud quippiam, nisi nuditatem, sustineret. Iucundissimum erat in gelidam seipsos aquam abijcere, id quod in puteis multi eorum quibus custos deerat fecerūt, inexhausta siti adacti. Quanquam perinde erat nimis ac minus bibere. Accedebat huc inquies membrorū, perpetuaꝙ uigilia. Neꝙ uerò corpus quoad morbus augebatur flaccescebat, sed opinione hominum fortius pesti reluctabatur. Adeò plurimi intra nonum & septimum diem ab ardore urente uitalia necabantur adhuc aliquid roboris habentes, aut si hoc tempus exissent, tamen desidente ad uentrem morbo, atꝙ illum acriter concutiente, idꝙ cum assiduo profluuio, multi quoꝙ postmodū debilitate

Thucydides peste correptus.

Attende uim pestis.

ipsa peribant. Peruagabatur enim omnem corporis superficiem, in capite primùm coalita lues. Ex qua utiq; perniciosissima, si quis conualescebat, eius uiolentiã significabant extrema membrorum: siquidem ad uerenda & ad summas manus, summosq; pedes prorumpebat, quibus nonnulli amissis liberabantur: quidam amissis & oculis. Sunt etiam quos simulac surrexerunt, omnium pariter cepit obliuio, necessariorum quoq; ac suijpsorũ. Nam genus morbi in singulis extitit & maius quàm ut exprimi, & acerbius quàm ut humana natura tolerari possit: in hoc declarans præcipuè aliquid aliud fuisse, præter consueta, quod cùm multa hominum cadauera iacerent insepulta, alites quadrupedesq; ea uel non adierunt, uel quæcunq; gustarũt attigeruntq;, periêre. Quibus ex auibus euidens fiebat cõiectura, quòd neq; circa cadauera, neq; alibi uisebantur. Canes magis propter hominis consuetudinem, mali significationem dabant. Verùm (ut alia multa calamitatis genera præteream quæ singulis acciderũt, alijs quàm alijs asperius) eiusmodi in totum morbus fuit, cùm aliud quiddam insolẽs accessit, quod tunc animos affligeret, quòd quicquid fiebat, proficiebat in morbum. Peribant alij per incuriã, alij per multam curationem, nec de ulla medicina constabat, quam quis diceret utilem fore, si offerretur. Quod enim alteri proderat, id officiebat alteri. Corpus integrum erat, nullum præ se ferens roboris imbecillitatis'ue discrimen: idq; etsi quantalibet obseruatione curaretur, à peste corripiebatur. Teterrimũ tamen totius mali fuit animi defectio, quoties quis languoris sibi conscius, protinus anticipata desperatione sui, multò seipsum magis destituebat, nec languori resistebat. Et quia alius ob alterius curationem plus lædebatur, ritu ouium moriebatur: quæ præcipua mortium causa extitit. Nam siue præ metu inuicem non adirent, destituti peribant: unde multę domus

Mortiũ causa. uacuæ factæ sunt: siue adirent, inficiebantur: & præcipuè qui officij gratia diligentius aliquid administrassent, utpote pudore non adeundi amicos, ipsi sibi non parcentes. Postquàm domestici, eos qui uita excesserant, complorauerãt, deficiebant luis uehementia superati. Verùm ij præcipuè morientem laborantemq; miserabantur, qui ipsi euaserant: quippe id iam antea experti, ac de se securi. Neq; enim bis eundem morbus corripiebat, sic quidem ut extingueret. Qui quidem ab alijs beati censebantur, & sua ipsi sponte ob suæ sospitatis lætitiam spem in posterũ præsumebant, ne quando alio morbo absumerẽtur. Angebat autem eos præter ingruentem pestem comportatio rerũ ex agris in urbem: ijs qui ex agris migrauerãt, grauior. quippe domorum penuria, in cauernis utiq; tempore æstiuo animam strangulantibus agitabãt. Ita non modò sine ulla dignitate expirabant, sed alij alijs immortui mutuo iacebant:

bant:semianimesq; in ujs,& circa fontes omnes aquæ desiderio uolutabantur. Quin ipsa templa in quibus tabernacula fecerant, referta erant illic mortuorum,hominibus uiolentia mali quid agerent non habentibus,abalienatisq; à cognitione sacrorum sanctorumq;:perturbatis pariter omnibus sepulchrorũ iuribus,quibus antea utebantur, cùm sepelirent quisq; ut poterant. Multi quoq; crebra iam familiarium strage,quia idonea deerant,ad pudenda conuertebantur sepulchra. Nam alij occupatis quos alieni extruxerant pyris,mortuum suum imponebant,ignemq; subijciebant: alij cùm alter arderet,superiecto quem ferebant,abibant. Ac primum extitit Reipublicæ morbus ille etiam ad alia causa magnorũ scelerum. Facilius enim audebant homines ad uoluptatem ea facere quæ antea celabantur,uidentes tam subitam mutationẽ tum locupletum,qui repentè moriebantur:tum inopum,qui subitò illorum bona possidebãt. Itaq; putabant ad subita gaudia uoluptatesq; transeundũ,diurnam arbitrantes & uitam & pecuniam. Nemoq; animum inducebat ad inferẽdas sibi ob id quod honestum esse uideretur ærumnas, inexploratum habens, priusquam ad illam perueniret occumberet necne. Quod autem in præsentia erat iucundum,& undiq; ad se animũ pelliciens,id & honestum constituebat & utile,deorum metu aut hominũ legibus nequaquam coërcitus:cùm & in æquo ponerent pium uel impium esse,uidentes æqualiter cunctos oppetere mortem,nec timerent eousq; uindictæ ueniendum,ut delicta uiuentes luerent:multoq; maiorem illam iam decretã pœnam imminere,quæ antequã eueniit, consentaneum esse se aliquantulum uita frui. Talis igitur clade Athenienses circumuenti uexabantur,hominibus intra muros mortem obeuntibus,& extra hostibus agrum ferro igniq; uastantibus. Qua in calamitate cùm alia repetebãtur memoria,qualia credibile est, tum uerò hoc carmen,quod senes aibant iam pridem decantari:

Doriacum ueniet bellum,pestisq; sequetur.

De quo altercatio erat,num λοιμὸς,id est,pestilentia in hoc carmine ab antiquis nominaretur,an λιμὸς,id est fames. Sed euicit in præsentia meritò pestilentiæ interpretatio. Ad ea enim quæ patiebantur homines oraculum retorquebant. Equidem existimo si aliud post hoc aliquando contigerit Doricum bellum,itidem ex rerum fide famem cantaturos. Memorabant præterea qui norant oraculum Lacedæmoniorum,cùm illis deus consulentibus an oporteret bellũ mouere,respondit:penes omni conatu bellantes uictoriam fore,se quoq; ipsum auxilio. Itaq; similia circa hoc quoq; futura augurabantur. Morbus autem primo statim Peloponnensium ingressu cœpit:nec ipsam Peloponnesum inuasit,ut dignũ relatu sit. Athenis præcipuè grassabatur. Secundo loca alijs oppidis,ut

Oraculum.

quodque frequentiſsimum populo erat. Et hęc quidem quæ circa morbum extitêre.

Peloponnenſes uerò ubi campeſtria populati ſunt, in partem quæ maritima uocatur, proceſſerunt uſq; ad Laurium, ubi ſunt argentea metalla Athenienſibus, & hanc primùm quæ Peloponneſum ſpectat, deinde quæ ad Eubœã & Andrũ uergit, uaſtauerunt. Pericles autem tũc quoq; dux in eadem perſtabat ſententia, ſicut ſuperiore expeditione fecerat, ne Athenienſes exirent. Qui cùm hoſtes adhuc in campo agitarent, priuſquã maritimas copias promouerent, centum naues ad inuadendum Peloponneſum inſtruebat: quas omnibus præparatis ſoluit, ducens in ijs Athenienſiũ armatorum quatuor millia, trecentos equites in nauibus equorũ uectricibus, quas tũc primùm ex ueteribus nauigijs fecerant, comitantibus Chijs & Lesbijs cum nauibus quinquaginta. Dum ſolueret Pericles cum exercitu, Pelopõnenſes ad maritima Atticæ agentes reliquit. Vbi peruentum eſt in Peloponneſum, magnam agri partem populati ſunt, adortiq; urbẽ, in ſpem uenerant expugnandi, ſed non ſuccesſit. Recipientes ſe illinc idẽ fecerunt in ora Trœzenide & Halide & Hermionide, quæ loca in Peloponneſo ſunt ad mare omnia. Profecti illinc in Praſias, quod eſt in ora maritima Laconicum oppidũ, uaſtato agro ipſum ceperunt, diripueruntq;. His actis, domum rediêre, nec nacti ſunt apud Atticam Peloponnenſes iam domum reuerſos. Quandiu Peloponnenſes in Attica erant, & Athenienſes cum claſſe nauigabãt, tandiu morbus Athenienſes domi foriſq; uexabat. Ex quo ferebatur Peloponnenſes metu morbi, quem de transfugis diſcebant in ciuitate ſæuire, & ſimul ſepeliri mortuos ſentiebant, raptim ex finibus exceſsiſſe. Hac autem expeditione, Peloponnenſes cùm diutiſsimè manſiſſent, uniuerſam regionem ferro populati ſunt, quadraginta fermè diebus illic conſumptis. Eadem æſtate Agnon Nicię & Clepompus Cliniæ filius collegæ in prætura Periclis, ſumptas eaſdem, quibus ille uſus fuerat, copias feſtinato dixerunt aduerſus eos qui ſunt in Thracia Chalcidenſes: Potidæamq; adhuc obſeſſam cùm perueniſſent, machinas urbi admouẽt, omniq; ope illam expugnare conantur. Sed neq; conatus hic, neq; apparatus alius proceſsit, interueniente morbo, qui prorſus in Athenienſium exercitu graſſabatur, ita ut eo prior exercitus, ob hunc qui cum Agnone ſuperuenerat læderetur, cùm hactenus proſpera ualetudine uſus eſſet. Nam Phormio cum mille ſexcentis apud Chalcidenſes amplius non erat. Itaq; Agnon mille quinquaginta militibus quadraginta circiter intra dies morbo amiſsis, Athenas renauigauit, relictis priſtinis in Potidææ obſidione militibus. Poſt alteram uerò Peloponnenſium inuaſionem, Athenienſes cùm & ager ipſorum iterum

Laurius mons.

Phormio.

iterum ferro uastaretur,& morbo pariter ac bello premerentur, mutata uoluntate Periclem insimulabant,tanquam autorem ipsis belli gerendi,eiq; calamitates ferebãt acceptas.Igitur ad cedendũ Lacedæmonijs animo inclinantur.Sed missi aliquot legati,re infecta redierunt.Tunc undiq; consilij inopes in Periclem inuehebantur.Ille cernens eos præsentem statũ ægrè ferentes,omniaq; agentes quæ ipse præuiderat,aduocata concione (adhuc enim prætor exercitus erat) exhortatus est eos ad bene sperandũ,reuocans iracundiam ad lenitatem,& metum ad fiduciam,ac progressus hunc in modum locutus est:

Oratio Periclis.

NEc inexpectata mihi uestra in me indignatio fuit (intelligo enim eius causas) & eam ob rem coëgi concilium,ut in memoriam redigam ac reprehendam, si quid uos haud rectè uel mihi succensetis,uel aduersis succumbitis: Ego enim existimo, melius agi cum ciuibus priuatim,si tota ciuitas fortunata sit,quàm si per singulos ciues felix sit,publicè uerò labefactetur.Nam cùm euertitur patria,is cui priuatim bene est,nihilo tamẽ minus & ipse euertitur:cui autem malè,is in illa prosperè agente multò magis incolumis est.Quoties igitur patria suas ipsius potest tolerare clades,quas nemo unus possit,quo pacto non conueniat uniuersos illi opitulari,neq; id quod nunc agitis,domesticis iacturis attonitos,Reipublicæ salutẽ pro derelicta habere,incusantes me qui bellandi consilium dederim,atq; adeò uos ipsos qui id comprobaueritis? Et mihi tali uiro irascimini,qui (ut reor) sum nulli secundus, uel in cognoscendo quæ opus facto sunt,uel in explicando, uel in amanda ciuitate,uel in cõtemnenda pecunia.Nam qui nouit,neq; id quod sentit explicat,perinde est ac si nesciret,Qui uerò utrunq; habet,nisi studiosus Reipublicę fuerit,is peræquè nihil ex utilitate ciuitatis loquetur.Cui autem hoc etiã affuerit,si idem pecunia uincatur,pro hac una habebit cuncta uenalia.Itaq; si mihi hæc omnia mediocriter præter cæteros adesse uos iudicantes,de bello gerendo fidem habuistis,nunc haud probè eidem crimen imponitis. Etenim eos qui prospera fortuna utuntur,bellũ præoptare quàm pacem,magna uecordia est.Sin uerò necesse sit,aut finitimis cedẽtes imperata facere,aut pro uictoria belli adire discrimen,profectò qui cedunt,ijs qui resistunt uituperari digniores sunt.Et ego quidem idem qui antea sum,nec à sententia discedo.Vos autẽ uacillatis,quos constat integra re mihi acquiescere,accepta calamitate pœnitere,& rationem meam uestra infirmitate metientes non rectam iudicatis,quia sensum molestiarum unusquisque hactenus habuit,communis autem utilitas nondum patet.Magnaq; mutatione facta,& hac ex leui momento,mens uestra languescit ad ea perferenda

perferenda, quæ decreuiſtis. Rapiunt enim conſilium repentina & inexpectata, & longe præter opinionem accidentia, id quod nobis quum circa alia, tum uel maximè circa morbum uſu uenit. Tamen quum urbem ciuitatemq; magnam habeamus, & perinde egregijs inſtitutis ſimus educati, decet ne maximis quidem nos incommodis uelle ſuccumbere, nec amplitudinem noſtram labefactare. Nam æqui iuris eſſe homines cenſent, & accuſare eum, qui per ignauiam gloriæ quam obtinet deſertor eſt, & odiſſe eum, qui per confidentiam gloriam ad ſe non pertinentem affectat. Sepoſitoq; priuatarum rerum dolore debemus ſalutem publicam uindicare, huic belli labori, ne magnus ſit, neue aliud cōtingat, reſiſtentes. Et ſatis quidem illa ſint, in quibus aliàs ſæpe demonſtraui, me non iure uobis in ſuſpicionem uenire. Aperiam autem & hoc quod neque ipſi uidemini unquam cogitaſſe, cùm uobis adſit (de magnitudine loquor imperij) neq; ego in priſtinis orationibus uſurpaui, ne nunc quidē memoraturus, utpote ſpecie ipſa iactantiuſculum, niſi uos præter rationem attonitos uiderem. Ipſi quidem exiſtimatis in ſocios tantùm uos tenere imperium, ego uerò pronuncio, ex duabus partibus, quæ in uſum patent, terra & mari, uos alterius in ſolidum potentiſsimos eſſe, duntaxat quatenus obire conſueſtis, & ſi plus obire uelletis, potentiſſimos fore. Neq; eſt hac poteſtate rex quiſpiam, aut aliqua gens, quæ uos inſtructa quæ nunc adeſt claſſe nauigantes prohibere poſsit. Qua ex potentia, ut apparet, ne ijs quidē caremus, quæ uos magnifacitis, ad domeſticum & terræ uſum pertinentia. Itaq; non eſt conſentaneum, iniquo uos ea ferre animo, & non potius æquo atq; ſedato, exiſtimantes ornamentum diuitiarū apud potentiam eſſe, & libertate per nos incolumi facile hæc iri recuperatū: quæq; ſi non ſeruamus, ſed imminui libēti animo patimur, in neutro degenerare nos à patribus noſtris iudicandos, qui hæc non ab alijs acceperunt, ſed laboribus ſuis parta atq; cuſtodita nobis tradiderunt. Nam turpius eſt, quàm conatu potiendi fruſtrari, exui potientem. Conuenitq; aduerſus hoſtem ire nos, non modò cōfidentes, ſed etiam contemnentes. Siquidem confidentia ex improuiſa quoq; proſperitate in ignauum etiam aliquem cadit: contemptus uerò præbet ei, qui ſe conſilio credit, ut hoſti præualeat, id quod uobis accidit, & in pari conditione fortunæ ſolertia ex altitudine mentis tutiorem reddit audaciam, ſpei, cuius uis in lubrico eſt, minus fidei habens, quàm ex præſentibus copijs, cōſilio, cuius exploratior prouidentia eſt. Decet item uos publicæ ob imperiū dignitati, qua cuncti lætamini, conſulere, nullum recuſantes laborem, niſi & honores recuſetis: neq; exiſtimare de libertate tantùm amittenda rem eſſe, ſed de amittendo imperio periculum quoq; ſub-

rundum, ob eas quas in imperio cõtraxistis offensas, à quo discedere uos iam integrum non est, ne quis hoc in præsentia ueritus, existimet se in ocio liberaliter degere. Quippe imperiũ iam ueluti tyrannidem administratis, quod sumere quidem uidetur esse iniurium, depônere autẽ periculosum. Nam huiusmodi homines qui bellum timent, persuadendo, alios protinus & ciuitatem perdiderint, & si quibus ipsi præessent, eos liberos esse siuerint. Enimuerò ocium neq; potest esse incolume, nisi negocio modificatum, neq; in principe ciuitate conducit, sed in ea, quæ tuto obediendo tolerat seruitutem. Vos uerò neq; ab huiuscemodi ciuibus seducamini, neq; mihi succenseatis, cui de bello gerẽdo fuistis assensi. Quòd si hostilis aduentus ea fecit, quæ facturum esse credibile erat uobis sibi obedire nolentibus, & si accessit præter expectationem hic morbus, res sola omnium spe nostra potentior, unde scio me magna ex parte magis inuisum esse, profectò iniustè me perosi estis, nisi & quoties uobis prosperè præter opinionem euenit, eam mihi felicitatem referatis acceptam. Oportet enim quę diuinitùs, necessariò: quæ ab hostibus proficiscuntur, fortiter ferre. Quæ cùm fuerint olim in more huius ciuitatis, cauete ne nunc dissoluantur in uobis. Cùm præsertim sciatis eam apud omnes homines ideò maximum habere nomen, quod non cedat aduersis, quodq; plurimos labores ac plurima corpora in bello consumpserit, & summa ad hanc diem sit potita potentia. Cuius apud posteros in æternum si quando nunc cedamus (Natura enim comparatum est ut omnia decrescant) memoria deseretur, atq; adeò Græcorum, quoniam Græci nos latissimum tenuimus imperium, & maxima tolerauimus bella, tum aduersus uniuersos, tum aduersus singulos, ciuitatemq; opulentissimam & frequentissimam habuimus. Quanquã qui segnis est, hæc haud dubiè uituperabit, sed rerum gerendarum studiosus æmulabitur. Quòd si quis opes non adeptus sit, inuidebit. Cæterùm inuisum & molestum esse omnibus quidem in præsentia contingit, quicunq; se dignos existimarunt ut alijs imperarent. Quisquis uerò ob maximas res inuidiam suscipit, rectè is consuluit: nam odium non diu durat. Verùm splendor in præsens, & perpetua in posterum gloria celebrãda relinquitur. Quæ duo uos prospicientes, decus futurum, & dedecus præsens, alacri iam animo decus capessite, ac dedecus deuitate, nullum ad Lacedæmonios caduceatorem mittendo, significantes nos præsentibus ærumnis opprimi, tãquam ij qui quoniam inter accidentia & minimum afflictantur animo, & re quàm maximè reluctantur, sunt omnium & priuatim & publicè præstantissimi.

Talibus Pericles dictis tentauit tum mitigare in se conceptam Atheniensium iram, tum animos à præsentibus malis abducere.

Cui

Cui publicè quidem obtemperarunt, nullisq́ amplius ad Lacedæmonios missis legatis, impensi incubuere in bellum: priuatim tamen difficultates ægrè ferebant: plebs, quia quas tenues habebat facultates, exhauriebãtur: proceres, quòd eximia in agris prædia uillasq́ sumptuosè magnificeq́ ædificatas amiserãt, pro pace maximum omnes bellum habẽtes. Nec prius quàm gerebant indignationem posuêre, quam eum pecunia mulctarunt, rursusq́ non multò pòst id quod fieri uulgus amat, ducem delegerunt, omnium ei rerum permisso arbitrio: quem & si suam quisque uicem dolentes ob iacturã rei familiaris abiectiori iam animo erant, tamen in ijs quæ ad Rempublicam spectabant longè omniũ præstantissimum iudicabant. Quandiu enim Reipublicæ præfuit, in pace moderatè eam administrauit, integrè tutatus est, amplissimã reddidit: illatoq́ postea bello ciuitatis uires, ut liquet, præuidit.

Periclis mors.

Cuius post obitum prouidentia in bellum (duos enim ab eo moto annos & dimidiatum uixit) uel magis cognita est. Nam is dicebat ita demum uictores euasuros, si bello abstinerent, rem nauticam curantes, neq́ imperiũ capesserent bello, neq́ ciuitatẽ in periculum uocarent. Illi uerò hæc omnia è contrario egerunt, & cætera quæ extra bellum esse uidebãtur, ex sua quisq́ ambitione atq́ priuato quęstu, in suam sociorumq́ perniciem administrauerunt: quæ si prosperè cessissent, fructuosa priuatis hominibus, & honorifica potius fuisset: Cùm uerò improsperè cesserint, perniciosa in bellum Reipublicæ extiterunt. Cuius rei causa fuit, quòd cùm ille polleret dignitate atq́ consilio: & pecunia proculdubio incorru-

Periclis laus.

ptus esset, liberè multitudinem continebat, nec magis illi se comitem quàm ducem præbebat. Nec enim adeptus per illicita potentiam, aliquid ad uoluptatem loquebatur, sed propter autoritatem suam etiam cum ira contradicere poterat. Quoties itaq́ intelligebat eos quippiam intempestiuè ferociterq́ conãtes, orationis acrimonia deterrebat. Quoties ab re formidantes, rursus ad fiduciam erigebat. Deniq́ uerbo quidem popularis status, re autem ipsa penes primarium uirum principatus erat. Nam qui successerũt cùm potius inter se pares forent, primum quisq́ locum affectantes, ad

Atheniensium imprudentia.

demulcendum uoluptatibus populum se conuerterunt, negocijs relaxatis. Vnde cùm alia multa, ut in magna ciuitate, tum uerò illud peccarunt, quòd in Siciliam nauigauerunt, magnũ imprudentiæ flagitium, non tam propter eos aduersus quos ierunt, quàm propter eos qui miserunt, non prospicientes ijs quos mittebant. Nam dum domi inuicem perturbantur, mutuisq́ criminibus de principatu contendunt, statum postea exercitus conquassarunt. Re autem apud Siciliam infeliciter gesta, alioq́ apparatu amisso, cum classis maiore parte, & intra urbem iam seditione laborantes, tamen

tes, tamen tres annos restiterunt & prioribus hostibus, & Siculis ad hos adiunctis, cùm iam pleriꝗ sociorum defecissent, & mox Cyrus regis filius esset in partibus, pecunia ad classem Peloponnensibus data. Neꝗ prius succubuerunt, quàm ipsi priuatis inter se discordijs collisi defecerunt. Adeò suppeditabant Pericli tunc ea, ex quibus ipse præuidit posse uel facilimè ciuitatem bello superiorem esse Peloponnensibus. Lacedæmonij autem socijꝗ eadem æstate centum cum nauibus ac militibus mille, Cnemo Spartiata nauarcho, profecti sunt in Zacynthum insulã, quæ è regione Elidis iacet, Achæorum qui sunt in Peloponneso coloniã, Atheniensibus belli sociam. Egresiꝗ in terram multa hostiliter egerunt: & cùm illos ad deditionem non possent compellere, domũ se receperunt. Eadem iam extrema ætate Aristeus Corinthius, Lacedæmoniorũꝗ legati Aneristeus, Nicolaus, Pratodemus, ac Timagoras Tegeates, & suo nomine Polis Argius, iter habentes ad regem in Asiam, si qua ratione persuaderent illi, ut pecuniam daret, belliꝗ societatem iniret, adierũt prius in Thracia Sitalcem Teris filium, uolẽtes, si possent, eum inducere ad cõmutandam cum ipsis quam haberet cum Atheniensibus societatem, simulꝗ cum copijs eundum Potidæam, quam exercitus Atheniensiũ obsideret. Dumꝗ per regnũ Sitalcæ iter ingresi, essent transituri Hellespontum ad Pharnacem Pharnabazi filium, à quo erant ad regem deducendi, fortè legati Athenienses cùm apud Sitalcem essent, Learchus Callimachi, & Ameniades Philemonis, suadent Sadoco Sitalce filio, qui factus erat Atheniensis, ut ipsis illos interciperet, ne ciuitatem eius per quam ad regem pergebãt aliqua ex parte læderent. Is autem persuasus, misis aliquot eum Learcho & Amenide, eos iam Thraciam emensos, antequàm nauem conscenderent Hellespontum transituri, comprehendit, iusitꝗ his dari, eos traditos ijdem Athenas portauerunt. Vbi peruentum est, ueriti Athenienses ne quid Aristeus rursus adhuc in ipsos grassaretur, si euasisset, quem antè omnium, quæ apud Potidæam & Thraciam acciderant, autorem fuisse constabat, cunctos eodem die interemerunt indemnatos, & quædam dicere uolentes, atꝗ in fossas deiecerunt, arbitrati se iustè suis sociorumꝗ negociatoribus parentare, quos circa Peloponnesum onerarijs nauibus cursum tenentes nacti Lacedæmonij trucidarant, in fossasꝗ abiecerant, ipsi iniuria priores. Quippe initio belli quoscunque in mari cepissent, omnes uelut hostes uita priuabant, siue Atheniensium partes secutos, siue neutrorum. Circa extremum eiusdem æstatis Ambraciotæ ascitis in societatem multis Barbarorũ, expeditionem sumpserũt aduersus Argos Amphilochicum, cæteramꝗ Amphilochiam, exorta hinc primùm simultate: Amphilochus Amphiarai filius post bellum

Lacedæmoniorum legati occiduntur.

Troianum cùm domum repeteret, exosus Argi domicilium, condidit in sinu Ambracico urbē, quam nomine primæ suæ appellauit Argos, cognomine Amphilochicū, cùm cætera Amphilochia, quæ quidē fuit in omni Ambracia maxima potētißimos habens populares. Ii multis postea ætatibus agitati cladibus, Ambraciotas sibi finitimos in consortium accersiuerunt, linguamq; tunc primùm ex Ambraciotis unà habitantibus Græcam effecerūt. Nam cæteri Amphilochi barbari sunt. Progressu itaq; temporis Ambraciotæ urbe, Argiuis expulsis, ipsi potiuntur. Qua de re Amphilochi sese Acarnanibus dedunt, & utriq; in auxilium uocant Athenienses. Ab ijs Phormio dux cum triginta nauibus ad eos missus, ubi peruenit, ui Argos capiunt, Ambraciotas diripiunt, communiter ipsi urbem incolunt. Atq; his gestis primùm inter Athenienses inita est Acarnanesq; societas, & Ambraciotis orta aduersus Argiuos propter suorum captiuitatē simultas. Postea uerò belli tempore coacta manu & ipsorum & Chaonum, & aliorum quorūdam ex finitimis Barbarorum, Argos se cōtulerunt: & regionē occupata, cùm urbem aggreßi expugnare nequissent, domum in sua quisq; loca redierunt. Hactenus æstate gestū est. Ineunte hyeme Athenienses uiginti quidem circa Peloponnesum naues dimisere Phormione duce. Qui profectus ex Naupacto, obseruabat ne qua nauis Corinthū sinumq; Crisæum aut intraret, aut exiret. Alias autem sex in Cariam Lyciamq; duce Melesandro, illinc pecuniam exacturas, & oneraria nauigia ex Phaside & Phœnice, atq; ex illa continente proficiscentia, prohibituras à latronibus ex Peloponneso infestari. Egressus in Lyciā Melesander eductis in aciē Atheniensiū socialiumq; nauiū copijs, superatus occisusq; est amissa suorū parte. Eadem hyeme Potidæatæ cùm iam obsidentibus impares essent, & Peloponnensiū expeditiones in Atticam nihil magis summouissent ab obsidione Athenienses, re frumentaria deficiente, adeò ut iam præter alia quæ acciderunt, penuria cibi quidam mutuò se depasti essent, ita demum in colloquium de deditione uenerunt cum Atheniensiū ducibus, quibus ea cura mandata erat, Xenophōte Euripidis, Hestiodoro Aristoclidæ, & Phenomacho Callimachi filio. Qui ideo conditionē acceperūt, quod uidebant exercitus ærumnā in loco hyberno, & duo millia talentorum in obsidione à ciuitate esse consumpta. Conuenit itaque ut exirent ipsi & liberi & auxiliares cum singulis uestimentis, fœminæ cum binis, cumq; certa singuli ad uiaticū pecunia. Et hi quidē interposita fide, in regionem Chalcidis abierunt, quo quisque potuit. Athenienses uerò duces suos, quod iniussu ipsorū conuenissent, incusauerunt, existimantes hos, si uoluissent, urbē expugnaturos fuisse. Eam postea colonis ex suo corpore illuc missis habitauerunt,

Ambraciotarū & Argiuorum odium.

Potidæatæ deditio.

tauerunt. Atꝗ hęc per hyemem geſta ſunt, ſecundusꝗ belli annus finitus, quod Thucydides conſcripſit.

Ineunte æſtate Peloponnenſes ſocijꝗ non in Atticam, ſed aduerſus Platæam cum exercitu uenerunt, duce Archidamo Zeuxidami filio Lacedæmoniorũ regem, quem caſtra iam metatum, ac regionem uaſtaturum, miſſa protinus Platæenſium legatio adijt, itaque inquit: *Secũdus annus belli Peloponnenſium. Platæa obſidetur.*

Oratio legatorum Platæenſium.

ARchidame ac Lacedæmonij, neꝗ iuſtè, neꝗ è dignitate ueſtra patrumꝗ ueſtrorũ facitis, quod agrum Platæenſem hoſtiliter inſidetis. Nam Pauſanias Lacedæmonius Cleombroti filius, qui Græciam Medorũ dominatu liberauit, cum ijs Græcis, qui pugnæ apud nos commiſſæ ultrò ſubière diſcrimen, uictimis in foro Platæenſi immolatis Ioui liberatori, cõuocatisꝗ omnibus ſocijs, reddidit Platæenſibus & agrum & urbem, ubi ſuis legibus uiuerent, ne quis iniuſtè, neue dominãdi cauſa, illis arma inferret, alioqui eos qui aderant ſocios, pro uiribus auxilio futuros. Hæc patres ueſtri uirtutis ergô, qua fuerunt in illis periculis pręſtantia, dederunt nobis. At uos è contrario agitis, qui cum Thebanis inimiciſsimis noſtris, ad redigendos nos in ſeruitutem ueniſtis. Itaꝗ & eos qui iurijurando tunc adfuerunt, & ueſtros patrios, & noſtros indigenas deos teſtati, dicimus uobis ne agrum Platæenſem lædatis, neue iuſiurandum uioletis, ſed noſtro nos iure uiuere ſinatis, quemadmodum Pauſanias ſtatuit.

Hæc tantùm locutis Platæenſibus excepit Archidamus: Rectè (inquit) dicitis, uiri Platæenſes, ſi uerbis facta reſpondeant. Quẽmadmodum enim Pauſanias uobis præſtitit, ut ipſi ueſtro iure uiuatis, præſtate uos quoꝗ pro ueſtra uirili liberos alios, quicunꝗ & periculorum, & iuriſiurandi uobis ea tempeſtate participes, nunc Athenienſibus ſeruiunt, quorumꝗ in libertatẽ aſſerendorum gratia, tantus apparatus fit, tantumꝗ bellum. Cuius liberationis ut maximè adiutores fueritis, ita maximè iuſiurãdum ſeruaueritis: ſin minus, eadem quę iam antea hortamur, ocium agite, colentes quæ ueſtra ipſorum ſunt, nec ſitis in partibus apud alterutros, & tamen utroſque pro amicis recipite, hæc ſat uobis erunt.

Non plura Archidamus. Quæ cùm audiſſent legati Platæenſes, ingreſsiꝗ urbem ad multitudinẽ retuliſſent, Archidamo reſponderunt, impoſsibilia ſibi factu eſſe, quæ ſuaderentur, ſine Athenienſibus, apud quos liberi ipſorum atque uxores eſſent. Timere quoꝗ ſe toti ciuitati, ne ſcilicet, aut illis digreſsis Athenienſes uenirent iſta non permiſſuri, aut Thebani, utpote in iureiurãdo contenti, dum utraꝗ pars recipitur, rurſus urbẽ occupare conarentur.

Ille bene eos iubens ſperare, reſpondit: Vos uerò urbem ac do-

mos nobis Lacedæmonijs tradite, fines agri demonſtrate, arbores & quicquid aliud poteſt ſub numerum cadere numerate: ipſi quocunq; libuerit abſcedite, quouſq; fuerit bellum: ubi deſierit, reddemus uobis quæcunq; acceperimus, habentes ea interim depoſito, colentesq; ac fructum reddentes, qui uobis ad uſum ſuppetat uitæ. Eo audito, legati ingreſsi iterū, habito cum multitudine conſilio, dixerūt ea quæ ſuaderentur, uelle ſe prius communicare cum Athenienſibus, accepturosq; conditionē, ſi illis perſuaſerint. Interea loci iuſſerunt ſibi fidem dari in ipſorum regione nihil eos hoſtiliter acturos. Atq; ita interpoſita fide, intra quot dies credibile fuit acceptum iri reſponſum, à regionis uaſtatione temperarunt. Additis Athenienſibus legati Platæenſes, agitatoq; cum eis conſilio reuerſi, hæc ciuitati renunciant. Neq; in ſuperiori tempore, uiri Platæenſes, ex quo ſocietatē iniuimus, inquiunt Athenienſes ſe permiſiſſe uobis iniuriam fieri, neq; nunc eſſe neglecturos, ſed pro uiribus adiuturos. Admonentq; uos iuriſiurandi, quo ueſtri ſe patres obſtrinxēre, nihil noui ſe circa ſocietatē acturos. Hæc cùm legati renunciaſſent, Platæenſes decreuerunt non prodere Athenienſes, ſed reſiſtere, & ſi oporteat uel ante ipſorum oculos uaſtari agros, & quicquid aliud cõtingere poſſet, pati, neminemq; emittere, ſed de muro reſpondere impoſsibilia ſibi eſſe quæ Lacedæmonij ſuaderent. Qui cùm reſpondiſſent, tunc uerò Archidamus rex ſtetit, conteſtans deos atq; heroes indigenes his uerbis:

Archidami conteſtatio.

Dij quicunq; terram Platæenſem tenetis, & heroes, cõſcij eſtote iureiurando prius ab iſtis uiolato, non incipere à nobis iniuriam, quod in hac terram uenimus, in qua patres noſtri uotis apud uos nūcupatis, Medos ſuperauerūt, quamq; uos propicij adiutricem Græcis in prælio præſtitiſtis: neq; nunc nos ſi quid faciemus, iniuſtos fore, quoniam adhortati eos multis iuſtisq; rationibus, nihil proficimus. Itaq; concedite, ut & ij qui cœperunt iniuriam facere, pœnas dent: & qui meritò punire parāt, pœnas ſumant. His deos precatus, militi bellum permittit. Et primùm urbem, ne quis eam ingrederetur, ex cæſis arboribus, cancellato uallo circundat. Deinde aggerem ante urbem iaciunt, ſperantes propédiem ſe expugnaturos, tanta manu in opere occupata. Itaq; cæſam è Cythærone materiam utrinque muris opponentes, ſupra urbis ædificia extruunt, in modum caniſtrorum intextam, ne copioſus agger diſflueret. In quem etiam congerunt ac ſuperiaciunt ligna, lapides, humum, & ſi quid aliud ad excitandam magnitudinem facit. Quo in opere dies noctibus nulla intermiſsione iunctos ſeptuaginta conſumpſerunt, uicibus quieſcētes. Nam cùm alteri cõgerebant, alteri ſomnum cibumq; capiebant, præpoſitis operi Lacedæmonijs, qui peregrinis ſingularum ciuitatum militibus duces erant,

Plateæ obſidio.

atque

atque urgentibus. Hunc aggerē Platæenſes extolli cernentes, murum ligneum & ipſi componunt, quem ubi ſtatuerunt qua parte muri hoſtis aggerem excitabat, ædificant laterculis uicinarum domorum quas diruebāt, lignis eos internectentibus, ne ſuccreſcens ædificium minus ſe ſuſtineret: prætexentibusꝗ ad tutelam id corijs ac pallijs, ne & ipſi in opere, & ligna miſsilibus igniferis ferirētur: Atꝗ ita murus in multum altitudinis proceſsit. Nihilo tamen minus agger ex aduerſo ſurgebat. At Platæenſes tale quiddam cōmenti ſunt: Interciſo muro, qua uineæ aggeris admotæ erant, illarum humum egerebant. Ea re Peloponnenſes comperta, ſubactum cœnum caniſtris arundinaceis eo, ubi ſubtracta humus erat, iniecerunt, ne ſicut humus diffluens efferretur. A quo excluſi Platæenſes, id quidem tulerunt, ſed ſub terra actis ab urbe ad aggerem cuniculis per certa ueſtigia, rurſus humum ad ſe ſubducebant, diuꝗ eos qui erant foris latuerunt, ita ut illis etiam atque etiam aggerentibus, minus tamen moles creſceret, ſubducto deorſum aggere & aſsiduè in locum uacuefactum decidente. Cæterùm ueriti ne pauci permultis eſſent impares, hoc quoque excogitauerunt: Omiſſa magni ædificij contra uineas ſubſtructione, ab utroque eius latere, qua muro humiliori committebatur, intra urbem lunari ſpecie murum ducunt, ut ſi magnus caperetur ab illis, hic hoſtes intercluderet, cogeretꝗ iterum agere uineas, & procedendo duplicem laborem ſubire, magis etiam in ancipiti futuros. Admouerant autem urbi machinas ab aggere Pelopōnenſes, unam iuxta uineas contra ſubſtructionem oppidanorū, qua ſubſtructione uehemēter quaſſata, animos illorum perterrefecerant, alias alibi cōtra murum. Quas oppidani tum circundatis laqueis refringebant, tum hac ratione, trabes ingentes, quas ferreis longisꝗ catenis utrinꝗ à capitibus ſuſpenderant, tranſuerſas à binis antemnis ſupra murum inclinatis porrectisꝗ cōtraxerant: & quoties datura ictum machina erat, prominentem eius partem laxatis catenis, atꝗ è manu remiſsis præcipiti incuſsione decurtabāt. Poſt hæc Peloponnenſes cùm & nihil proficerēt machinæ, & aduerſus uineas antemurale excitatum eſſet, exiſtimantes arduum eſſe inter tot impedimenta capere urbem, ad circundandam muro eam ſe accingunt, prius tamen igni tentandum rati, ſi poſſent ingruente uento incendere, cùm ſpacioſa non eſſet. Omnia enim ſecum uerſabant, ſi qua ratione rem ſine obſidione conficerent. Allatos itaque materiæ faſces ab aggere in id foſſatum, quod ad murum prius interiacebat, conijciunt. Quo protinus, utpote à tanta hominum manu, impleto proceſſerunt, quantum plurimum reliquę urbis occupare è loco ſuperiore potuerunt, iniectóque igni cum ſulphure ac pice materiam incenderunt. Vnde tantum flammæ

excitatum est, quantum nemo unquam ad tempus illud inspexit, manu & industria factum. Nam aliquãdo uentis collisa secum sylua in montibus sua sponte ignem edidit, & ex eo flãmam. Hoc incendium cùm ingens extitit, tum uerò parum abfuit quin oppidanos, qui alia mala effugerant, absumeret, exiguo urbis tractu relicto quo non pertingeret. Quòd si uentus ut hostes sperauerant, commodus adfuisset, actum de illis erat. Nunc illud etiam fertur contigisse, magnam uim aquæ de cœlo cum tonitruis effusam incendium extinxisse, atq; ita periculum summouisse. Hoc quoque frustrari Peloponnenses, retenta quadam exercitus parte, cætera remissa, urbem muro circundant, certo assignato singulis ciuitatibus loco, ducta interius exteriusq; fossa, ex qua lateres effecerunt. Eo perfecto, sub exortum arcturi relicto ad tutelam dimidij muri præsidio (nam alterum dimidiũ Bœotij custodiebant) cum exercitu redierunt ad suas quiq; urbes digressi. At Platæenses cùm liberos & uxores cum senioribus, atq; hominum nullius usus multitudinem iam antè exportassent, ipsi reliqui qui obsidionem sustentabant, quadringenti numero erant, & Atheniensiũ octoginta, cum centum ac decem fœminis quæ panem facerent. Tot omnino fuerunt cuncti qui ad tolerandam obsidionem sunt constituti, nemine alio intra muros nec seruo nec libero: Huiuscemodi fuit Platæensium aduersus oppugnãtes præparatio. Eadem æstate obsidionis principio, Athenieñes cum duobus millibus sui corporis armatorum, ducentisq; equitibus, duce Xenophonte Euripidis filio, cum alijs duobus ducibus arma intulerunt in Thracia Chalcidensibus, & Bottiæis, frumento maturo. Et cum Spartolo, quæ est in Bottiæa, copias admouissent, frumentum corruperunt. Videbatur autem ea ciuitas ad Athenienses defectura, quorundam, qui intus erant, opera. Sed uocatu eorum qui hæc nolebant, ex Olyntho armatæ copiæ præsidio uenerunt. Cum quibus Spartolo progressis, Athenienses ante ipsam urbem cõseruerunt pugnam, Chalcidensiumq; peditatum cum nõnullis auxiliaribus superarunt, ad urbemq; compulerũt: sed peditatus ac leuis armatura à Chalcidensibus equitibus ac leuiter armatis superatus est, habentibus aliquot scutatos è regione, quæ dicitur Crusidis. Gesto iam prælio superueniunt alij ex Olyntho scutati auxilio futuri. Quos ut uiderũt ex Spartolo leuiter armati, addito animo tum accessione sociorũ, tum quod antea non inferiores fuissent, iterũ cum Chalcidensiũ equitatu ac subsidiarijs Athenienses inuadunt. Illi uerò sese ad duas cohortes recipiunt, quas cum impedimentis reliquerant. Qui quoties infestis armis se inferebant, toties ab hoste fuga fiebat: cùm rursus se referebant, infestabantur, missiliaq; ingerebantur, adequitantibus Chalcidensibus equitibus, & quà uidebatur

Incendij uis.

Causis regio.

Chalcidensium & Atheniensium prælium.

uidebatur adorientibus. Denique non mediocriter iam perculsos in fugam uertunt, longoq́ tractu persequuntur. Athenienses Potidęam fuga perlati, receptis postea ex fœdere interfectis, Athenas cum reliquijs exercitus reuerterunt. Ex quo desiderati sunt quadringenti ac triginta cum omnibus ducibus. Chalcidenses ac Bottiæi, ubi trophæum statuerunt, mortuosq́ suos legerunt, in suas quique urbes discessere.

Atheniensium fuga.

Eadem æstate non multò post hæc Ambraciotæ Chaonesq́ auidi omnem Acarnaniam uexandi, & ab Atheniensibus alienandi, Lacedæmonijs suadent classem ex socialibus urbibus parare, armatos mille in Acarnaniam mittere: quod dicerent si secum illi cum nauibus simul ac peditatu irent, quandoquidem Acarnanes mari nequeant mutuo sibi esse auxilio, facilè in potestatem redacta Acarnania, Zacyntho & Cephalenia esse potituros, nec Athenienses itidem ut nuper Peloponesum peruagaturos: Spem quoque Naupacti capiendæ fore. His persuasi Lacedæmonij Cnemũ adhuc nauarchũ, & milites cum aliquot nauibus è uestigio mittunt, iussum instructa quamprimum classe nauigare in Leucada. Studebant autẽ præcipuè Corinthij Ambraciotis, utpote suis colonis. Et classis quidem Corinthiorũ Sicyoniorumq́ & circa oppidorum, instruebatur. Nam Leucadiorum, Anactoriorum, Ambraciatorum iam profecta apud Leucada pręstolabatur. Cnemus & mille cum eo milites ubi traiecerũt, ignaro Phormione, qui decem circa Naupactum præsidiarijs Atheniensium nauibus præerat, in terra confestim copias educit in aciem, eiq́ præstò fuerunt ex Græcis Ambraciotæ, Leucadij, Anactorij, præter eos mille Peloponnenses, quos ipse adduxerat: Barbarorum Chaones (qui non sub regibus, sed sub annuis ex principali genere magistratibus uiuunt) mille, Photio & Nicanore ducibus, adiunctis Thesprotis, & ipsis sine rege agentibus. Molossos & Antitanes ducebat Sabylinthus Tharypis Regis adhuc pupilli tutelam gerens: Parauæos Orœdus rex, adiuncto commilitio mille Orestarum, Atiochi regis eorũ permissu. Misit & Perdiccas clàm Atheniensibus, mille Macedones, qui postea superuenerũt. Hoc exercitu Cnemus nolens è Corintho opperiri classem, profectus est, perq́ Argium agrũ iter facientes, cùm uicum Limnæam sine muris diripuissent, Stratum peruenerunt, maximam Acarnaniæ urbem, rati si hanc primam cœpissent, cæteras haud ægrè in deditionem uenturas. Acarnanes ubi cognouerunt terra multam manum aduenisse, & mari hostes cum classe affuturos, non miserunt mutuò auxilia, sua enim custodiebant, sed Phormionem accersiuerunt, iubentes ire suppetias. Ille respondet id fieri non posse, ut cùm classis è Corintho solutura sit, Naupactum sine præsidio re-

Ambraciotarũ rebellio.

linquat. Pelopõnenſes in tres diſpertiti acies, ad urbem Stratiorũ *Strati obſidio.* iter intendunt, eo conſilio, ut caſtris cominus poſitis, niſi uerbis induxerint oppidanos, re oppidum tentent. Et medium quidem *Chaonum inſultus.* locum in pergendo tenebant Chaones & Barbari alij, dexteram uerò Leucadij Anactorijq́, & qui cum eis erant: ſiniſtram autem Cnemus, Pelopõnenſibus & Ambratiotis magno inuicem interuallo diſtantibus, adeò ut aliquando à mutuo proſpectu abeſſent. Et Græci ſeruatis ordinibus, exploratisq́ itineribus, pergebant, dum idoneo in loco caſtra communirent. Chaones autem ſuis uiribus freti, ut qui omnium illius continentis bellacisſimi haberentur, non ſuſtinuerunt caſtris deligere locum, ſed robore ipſo feroces, additis alijs mutuo auxilio Barbaris, urbem ſe ipſo clamore expugnaturos ſperabant, ſuumq́ id opus fore. Quos propius accedere Stratij animaduertentes, arbitrati ſi ab alijs ſeiunctos ſuperaſſent, fore ut nequaquam poſtea Græci ſimiliter accederent, circa urbem inſidijs proſilientes circumueniunt timore perculſos, *Chaonũ fuga.* multisq́ Chaonum trucidatis cùm alij Barbari hos cedentes uiderent, ne ipſi quidem iam ſuſtinuêre, ſed in fugã ſe cõiecêre, neutro Græcorum agminum ſentiente hanc pugnam, ita multum illi præceſſerant, ſed opinante deligendis caſtris occupatos. Quos poſtquàm effuſa fuga ferebantur, ad ſe receperunt, contractisq́ agminibus ibidem per diem quieuerũt. Stratijs non uenientibus cum ipſis ad manum, quod uidelicet alij Acarnanes auxilia non ferebant, ſed ſe eminus fundis cum periculo laceſſebant, quo genere Acarnanes excellere exiſtimantur. Non enim eis loco moueri ſine armis fas erat. Vbi nox aduenit, Cnemus cum exercitu regreſ- *Stratiorum trophæum.* ſus trepidè ad amnem Anapum, octoginta ſtadijs Strato diſtantem, poſtero die cæſos recepit ex fœdere: & cum Oeniades interueniſſent, pro amicitia ad eos conceſsit, priuſquàm undiq́ auxilia coirent, atq́ illinc omnes domum diſceſſerunt. Stratij trophæum ſtatuerunt prælij cum Barbaris geſti.

Claſsis autem quam ex Corintho, & ab alijs ſocijs ex ſinu Criſſæo ad Cnemum profectam oportuit, ne mari ſuperiores Acarnanes opem ferrent, non uenit, ſed coacta eſt per ipſos dies prælij ad Stratum commiſsi, pugnare cum nauibus uiginti, quibus Phormio ad tutelam Naupacti præerat. Nam eas Phormio, extra ſinum cùm tẽderent, obſeruabat, conſilio in aperto mari inuadendi. Corinthij uerò ſocijq́ non tanquam ad nauale prælium, ſed ad terreſtre militariter inſtructi, in Acarnaniam nauigabant, nihil minus opinãtes, quàm contra ſuas ſeptem & quadraginta Athenienſes cum uiginti nauibus auſuros cõſerere pugnam. Eos poſtquàm *Patre urbs.* uiderunt è regione uenientes, iuxta ipſorum terram ſumptis ex Patris Achaiæ ijs qui in oppoſitam continentem ad Acarnaniam tranſibant,

transibant, nouerunt Athenienses esse ex Chalcide Eueno fluuio infestis proris euntes, & licet noctu progressi, non tamen latuêre hostem. Ita necesse fuit in medio freto prælium facere. Duces iidem qui in singulis ciuitatibus cõstituti fuerant. Corinthiorum autem Machon, & Isocrates, & Agatharchidas. Et Peloponnenses quidem in orbem naues disposuere, quàm latissimũ poterant, exitum hostium intercludentes, pro eis extra, puppibus introuersis, minoribus nauigiis in mediũ receptis, simulq; quinq; nauibus omnium uelocissimis, ut exiguo ex interuallo, si qua hostis incurreret, prosilientes adessent. *Naualis pugnæ instructio.* Athenieñses uerò suas in seriem singulas circumagebant, speciem præbentes iamiam inuadendi, ac pené radentes cursu, quos circuibant in angustũ redigebant, uetiti à Phormione prius inuadere quàm ipse signum dedisset. *Phormionis prudentia.* Quippe qui speraret fore ut ordo ille non præstaret, sicut in pugna peditum, utq; naues se inuicem compingeret, ac nauigia turbamentum præberent. Ad hæc flaturum é sinu uentum sub exortum auroræ fieri cõsuetum, ille obuauigando præstolabatur, existimans tunc nec illos aliquo momẽto futuros stabiles, & se suo arbitratu aggredi posse, ob maiorem nauium suarum uelocitatem, idq; uento spirante præcipué. Qui ubi flare cœpit, & iam in arctum naues redactæ, tum uento leuia nauigia propellente, tum mediis cum exterioribus se compingẽtibus, utræq; alteras turbare, mox alia in aliam incidere, uiri contis inuicem alienã nauem à sua repellere, uociferariq;. *Peloponẽsium nauiũ confusio* Et dum se ab aliis tutantur, mutuoq; cõuiciantur, nulla neq; præcepta neque iussa exaudire: & quia remos in undoso mari referre non poterant, quippe homines imperiti, præbere naues minus gubernatoribus obsequẽtes. Ibi Phormio tali in tempore suis signum dat, illi inuecti primùm unam ex prætoriis nauibus deprimunt, deinde cæteras quascunq; adorti corrumpunt, adeò tumultuosé agentes, ut neminem hostium animum recipere permitterent. Fugientes itaq; Patras uersus & Dymen Achaiæ persecuti, duodecim naues ceperunt, ac plurimis eorum hominibus occisis, in Molycricum nauigarunt, positoq; in promontorio trophæo, & naui Neptuno consecrata, in Naupactũ reuerterunt. *Atheniensium uictoria naualis.* Peloponnenses quoque confestim cum reliquis nauibus ex Dyme & Patris ad Cyllenem, quæ sunt Eliorum naualia, abiêre. Quo etiã Cnemus é Leucade, & naues, quas cum his mixtas oportuit, post præliũ ad Stratum gestum uenerunt. Huc præterea mittunt Lacedæmonii Cnemo Timocratem, Brasidam, & Lycophronem, quorum consilio ille in re nautica uteretur, iubentes aliud prælium nauale commodius instrui, nec à paucis nauibus mare prohiberi. Videbatur enim cùm propter alia, tum uerò, quod tunc primum prælium nauale tentauerant, illud sané præter rationem fuisse commissum,

nec

nec tantopere classem suam imparem, sed ignauiam quandam potius extitisse, non reputantes quãtum distaret ab ipsorum rei nauticæ tyrocinio, iam ueterana Atheniensium exercitatio. Itaq; cum indignatione istos miserunt. Qui postquàm ad Cnemum peruenerunt, edicunt certas ciuitatibus naues, quæ iam aderãt reficiunt ex utilitate pugnæ naualis. Phormio & ipse Athenas cum nuncio uictoriæ mittit, qui de hostium apparatu edoceat, iubet naues & quàm plurimas & quàm maturrimè sibi mitti, propédiem præliũ expectari. Athenienses uiginti naues mittunt, mandantq; ut simul illas accepisset, in Cretam ante omnia nauigaret. Nicias enim Cretensis Gortynius, Atheniensium amicus autor eis erat in Cydoniam traijciendi, quod diceret se eam illorum hostem in potestatem redacturum, sed hoc Polichnitas Cydoniatarũ finitimos demereri studebat. His nauibus acceptis, Phormio adijt Cretam, ac iunctis Polichnitis agrum Cydoniorũ uastauit. Vbi uentis & difficultate nauigãdi retentus, non exiguum triuit tempus. Peloponnenses interea omnibus quæ ad pugam naualem pertinent instructis, in Panormum Achaicum nauigauerunt: ubi interea Peloponnensis exercitus præsto erat, eis auxilio futurus. Phormio cum eisdem uiginti quibus pugnauerat nauibus, profectus in promontorium Molycricum, exteriora tenuit. Erat autem hoc promontorium partium Atheniensium. Nam alterum est è regione in Peloponneso septem ferè stadiorum maris interuallo, Crisæi sinus os. Ipsi quoq; Peloponnenses Achaicum promontoriũ haud ita multum à Panormo distans, ubi aderat eis peditatus, subierũt cum septem & septuaginta nauibus. Iidem ubi conspexêre Athenienses, utriq; altrinsecus in statione manserũt, meditantes præparantesq; pugnam singulis diebus, sex septem'ue, eo consilio, quod neque illi egredi è promontorijs in liberum mare uolebant, superiori clade conterriti, neq; hi ingredi angustias, rati pro illis esse in arcto pugnare. Cæterùm Cnemus & Brasidas & ex Peloponnensibus alij duces, uolẽtes primo quoq; tempore pugnam committere, prius quàm aliquid auxiliorũ ab Atheniensibus superueniret, concionem primùm militũ aduocauerunt. Quorum multos priore calamitate perterritos cùm animaduerterent, ad eos excitandos, hunc in modum uerba fecerunt:

Concio Cnemi & Peloponnensium ducum ad milites.

SI quis uestrûm, uiri Peloponnenses, propter superiorem pugnam, futuram reformidat, is non rectè sibi timendum interpretatur. Nam & apparatus tunc opportunus defuit, ut scitis, nec ad prælium nauale nos magis quàm ad exercitum nauigabamus. Acciderunt autem aduersa non modica & fortunæ temeritate, & in primis pugnæ naualis inscitia nonnihil obfuit. Itaque neque nostra

hostra culpa euenit ut superaremur: neque couenit, cùm non usque adeò sis uictus consilio, habeasque aliquas apud te in contrarium rationes, ob id quod accidit animo consternari, sed existimare ut homines fortuitis fallantur, usu uenire, sed animis eosdẽ semper fortes esse decere, neque cùm adsit fortitudo, imperitiæ prætextu ignauos se ulla in re præbere. Vos uerò non tantùm imperitia superamini, quantum audacia superiores estis. Ac istorum quàm præcipuè extimescitis scientia, si quidem fuerit fortitudine prædita, memor erit inter aspera exequi quæ didicit: sin minus, nullum tunc artificium ualet. Timor enim memoriam excutit, & ars citra præstantiam animi inter pericula nil prodest. Ergo illorum maiori experientiæ maiorem opponite audaciam: timori, quia uicti estis, opponite quod imparati fuistis. Ad hæc suppeditat uobis copia tum nauium, tum militum, in terra & nostra & uicina ad pugnam naualem accinctorũ. Plures enim ac melius instructi ferè præualent. Itaque ne unum quidem reperimus, quod uos deficiat: & quæcunque prius peccauimus, hæc eadem ipso experimẽto nos edocent. Præstanti igitur animo & gubernatores & nautæ suum quisque munus exequamini, non deserentes locum cuique assignatum. Quibus non peiorem, quàm superiores duces fecerũt, commoditatem pugnandi præstabimus, nec causam ulli ut sit instrenuus. Quòd si talis esse uoluerit, is pro merito plectetur: strenui uerò dignis uirtute præmijs ornabuntur.

Huiusmodi uerbis duces Peloponnensium suos animauerunt. Phormio autem timens & ipse militum pauorem, & animaduertens quòd addensatis inter se nauibus multitudinem classis hostilis formidabant, uoluit conuocatos eos animare pariter & in præsens tempus admonere. Nam semper antea quo animos illorum prepararet, negauerat ullam tantam classem, cui inuadenti non foret ab eis resistendum. Et ipsi milites iampridem hanc intra se fiduciam præsumpserant, ut quia Athenienses essent, nulli quamlibet numerosæ Peloponnensium classi cederent. Tunc tamen eos cernens præsenti rerum aspectu animo debilitatos, statuit audaciæ commonefaciendos. Conuocatisque illis hoc modo disseruit:

Oratio Phormionis Atheniensis ad milites.

CVm uos animaduertam, uiri milites, pertimescere multitudinem hostium, conuocandos censui, quod absurdum duco, eorum quæ horrenda non sunt, horrore præstringi. Nam isti primùm idcirco tot naues, nec ex æquo comparauerunt, quod prius superati, & sibi conscij sunt, non esse se nobis pares. Deinde ideo ueniunt tanquam in quo præcipuè confidunt, eos deceat animosos esse, nulla de re alia audaces, nisi quòd in pedestri acie plerunque

uictores

uictores diſcedunt,rati idem ſe in re nautica facturos. Quæ facultas ſi qua eis in illo,multò iuſtius nobis in hoc adeſt. Quoniam animoſitate nihil antecellunt. Verùm hoc quod utriq; in ſuo quiſque loco expertiores ſumus,nos audaciores facit. Lacedæmonij præterea quòd ſociorum principes ſunt,ſuæ gloriæ gratia multos inuitos in periculum ducunt,alioqui nunquam tentaturi rurſus pugnam,in qua ita ſuperati ſunt. Eorum uos nequaquam extimeſcatis audaciam,quibus ipſi uehementiorem, ut credibile eſt,incutitis metum: tum quia iam uicti ſunt,tum quia exiſtimant nos ita obſtituros,ut nonnihil egregiè dignum nobis agamus. Atque hoſtes quidem qui numero præſtãt,ut iſti,magis uiribus quàm conſilio freti inuadunt. Qui uerò pauciores ſunt,nec pugnare coguntur,ij confirmato ex conſcientia ingenij animo audacter obuiam eunt. Quod iſti reputantes meritò non magis exterriti ſunt ob id, quàm ob tantulum nauium apparatum. Multi iam exercitus per imperitiam à minoribus,quidam etiam per ignauiam profligati ſunt,quarum rerum utriuſq; nos ſumus expertes. Neq; uerò committam,ut quãtum in me erit,aut intra ſinum certamen ineamus, aut in eum penetremus,cùm ſciam anguſtias loci non competere paucis nauibus agilioribus ſub peritis rectoribus,contra multas ab imperitis inſeſſas. Non enim aliquis niſi ex longo proſpectu hoſtium, ritè hoſtes adoriatur:neq; cùm periclitabitur,quoties opportunum erit ſe ſubducere queat,nulliq; ſunt elapſus,nulli receptus:quæ agiliorum & nauium & nautarũ opera ſunt,ſed neceſſe fuerit pro nauali pedeſtre certamen fieri,in quo melior eſt conditio plurium nauium. Sed harum ego rerum, quoad potero,curàm habebo. Vos uerò apud naues in ſuo quiſq; ordine manẽtes, e ueſtigio præceptis obtemperate,cùm præſertim breui momento inuadendi conſtet occaſio,& inter agendum plurimi exiſtimate ordinem & ſilentiũ:quæ cùm alijs in rebus bellicis conducunt, tum præcipuè in naualibus. Propulſate igitur iſtos pro dignitate eorum quæ geſſiſtis,magna uobis re in hoc certamine propoſita, utrum ſpem Peloponnenſibus eripiatis cum claſſe nauigandi,an Athenienſibus metum de mari propiorem afferatis. Illud quoq; uobis in memoriam redigo,nos ſuperaſſe eorum permultos,ulrorumq; qui ſuperati ſunt mentes,neſcire in eiſdem periculis ſibi conſtare. Talibus & ſuos Phormion adhortatus eſt.

At Peloponnenſes quandoquidem ab iſtis non procedebatur intra ſinum atq; anguſtias,uolentes introducere inuitos,ſub exortum auroræ profecti,quadrato agmine uela faciunt intra ſinum, ſuam terram uerſus,dexto cornu procedente,ſicut in ſtatione ſteterant,ubi uiginti naues maximè celeres conſtituerunt,ut ſi ipſos Naupactum uerſus tendere ratus Phormion,ad ferendam opem

idem iter intendat, non effugiat exterius uelificantis cornu incurſum, ſed ab eo intercludatur. Phormion quod illi captabant ueritus pro oppido præſidijs carenti, ut proficiſcentes inſpexit, inuitus feſtinabundusq; impoſitis in naues militibus terram legit, ſimulq; peditatus Meſſeniorum præſtò erat auxilio futurus. Hos ut uiderunt Pelopõnenſes nauem naui ſequente iam intra ſinum ac prope terram nauigantes, id quod maximè uolebant, uno repentè ſigno conuerſis nauibus dirigũt curſum in Athenienſes ut quiſq; celerrimè poterat, ſperantes omnem hoſtium claſſem à ſe captum iri. Cæterùm hanc conuerſionem & dextrum cornu ſubterfugerunt in apertum mare undecim naues, quæ præcedebãt. Cæteras fuga petentes terram Pelopõnenſes circunuenire, premere, corrumpere: homines quicunq; enatare non poterant, conficere: quaſdam quas depreſſerant naues inanes trahere. Nam unam demum cum ipſis uiris ceperunt. Quaſdam Meſſenij ſubſidium ferentes cum armis mare ingreſsi cùm conſcendiſſent, pro tabulatis pugnando eripuerunt iam trahi incipientes. Hunc in modum ſuperauêre Peloponnenſes, corrupêreq; Atticas naues. Eorum uiginti quæ pro cornu dextro locatæ fuerant, undecim illas Athenienſium inſequebantur, quæ declinata in altum fuga elapſæ, præuerterant hoſtem, prçter unam: cumq; confugiſſent ad Naupactũ ſecundũ Apollinis templum, cõuerſis proris, ſeſe ad defenſionem accingebant, ſi contra ipſos in terram hoſtes nauigarent. Illi poſtea uenientes inter nauigandum pæana canebant, tanquam uictores. Harum longè prima Leucadia nauis unam quæ reliqua erat Atticarum inſequebatur. Fortè nauis oneraria aliquantũ procul à littore ad ancoras ſtabat: quam Attica nauis cùm occupaſſet, ciq; ſe circũegiſſet, media Leucadiã incurrit, demergitq;. Quæ res ex improuiſo & inopinato cùm accidiſſet, Peloponnenſes terrore concuſsit. Ad hæc incompoſiti, ut in uictoria ſequentes, partim demiſsis remis curſum inhibuerant, rem inutilem ſibi, ad illos ex breui ſpacio inuadendos, uolentes aduẽtum plurium opperiri, partim imperitia locorum in breuia impegerãt. Quod fieri uidentes Athenıẽſes ſubit audacia, unaq; ſe uociferatione adhortantes, in eos tendunt. Illi propter ea quæ peccauerãt, & quod incõpoſiti erãt, pauliſper modò ſuſtinuêre, tum dãtes terga, in ſtationẽ, unde diſceſſerant, tendũt. Quorum tamen ſex naues quæ maximè propinquę fuerãt, Athenienſes inſecuti cepcrũt: & ſuas quas illi corruptas tunc primùm ad terram religauerãt, abſtulerũt, hoſtium alijs occiſis, alijs quos ceperant reſeruatis. Nam Timocrates Lacedæmonius in nauis Leucadia nauigans, quæ circa onerariam eſt depreſſa, ubi ea fracta eſt, gladio ſe tranſegit, in portumq; Naupactum decidit. Reuerſi Athenienſes, trophæum ibi ſtatuerũt, unde

Athenienſes uincuntur.

Athenienſium inſtauratio.

Peloponnenſes uincuntur.

Timocratis interitus.

profecti uicerunt, mortuosq́ ac naufragia quæcunq́ apud oram ipſorum erant legerunt, & ſua hoſtibus ex parte reddiderunt. Peloponnenſes autem & ipſi trophæum ſtatuerunt pro uictoribus agentes, ob fugatas ad terrã quas corruperãt naues, & eam quam ceperunt iuxta trophæum, in Achaico promontorio cõſecrarunt.

Trophea duplicia.

Poſt hæc ueriti ne ſuperuenirent ab Athenienſibus auxilia, noctu uela fecerunt in ſinum Criſſæũ Corinthiumq́ omnes præter Leucadios. Nec ita multò poſt ab eorum digreſſu, Athenienſes è Creta uiginti cum nauibus, quas ante pugnam ad Phormionem adductas oportuit, Naupactum appulſæ ſunt: æſtateq́ exacta prius tamen quàm claſsis Corinthum in ſinumq́ Criſſæum diſcederet, Cnemus & Braſidas & alij Peloponnenſium principes edocti à Megarenſibus ineunte hyeme uoluerunt tentare Piræum Athenienſium portum, qui neque cuſtodiretur, neq́ clauderetur, haud ab re: quoniam multò cęteris antecellerent re nauali Athenienſes. Placitum autem ſingulos nautas cum ſingulis remis, ſcalmis, pellibus, quas remiges ſibi in remigando ſubſtrauerũt, Corintho pedibus ire ad mare quod Athenas ſpectat. atq́ illinc quàm celerrimè tendere Megaram: deductisq́ ex Niſæa, quæ ſunt illorum naualia, quadraginta nauibus quæ illic erant, nauigare confeſtim in Piræum, ubi neq́ ullæ naues ad cuſtodiam eſſent, neq́ expectatio ulla hoſtium ex improuiſo unquã illuc nauigaturorũ, ſiue ex aperto & per ocium, ſiue ex inſidijs quin pręſentirentur. Vbi uerò hoc eis agere placuit, ſtatim abierunt: cumq́ noctu perueniſſent, & naues ex Niſæa deduxiſſent, in Piræum contendebant, non iam ut decreuerant periculum metuentes, & quidam etiam uentus dicitur eis impedimento fuiſſe. Supra promontorium quod Salaminem reſpicit, Megaram uerſus præſidiũ erat, & tres ad cuſtodiam naues, ne quid inueheretur Megarenſibus, néue quid illinc euheretur. Hoc illi præſidium ſunt aggreſsi, triremes uacuas deduxerunt: cæteram Salaminem ex improuiſo adorti diripiunt. Sed ab ijs qui expugnabantur leuati ſunt ignes, Athenas uerſus, aduentum hoſtium ſignificantes. Ex quo tantus peruaſit animos terror, ut nullus fuerit maior eo bello. Nam qui in urbe erant, iam Piræũ hoſtes inuectos arbitrabantur: & qui in Piræo, Salaminem eſſe captam, tantumq́ non in ſe ueniri, quod ſanè facile illi feciſſent, ſi & cunctari noluiſſent, nec uento interpellati fuiſſent. Athenięſes igitur prima luce toto populo ſuccurrentes, in Piræum naues deduxerunt, feſtinanterq́ ac multo tumultu cùm aſcendiſſent, in Salaminem uela fecerunt, peditatu ad tutelam Piræi relicto. Quos ubi ſenſere Pelopõnenſes auxilio uenire, magna ex parte Salaminem peruagati, captis hominibus, præda & tribus ex Budoro caſtello nauibus, properè in Niſæam renauigarũt, diffiſi nauibus, quæ ad tempus

tempus deductæ,nec mari ferendo ſatis firmæ erant. Profectiq; Megaram iterum Corinthum pedeſtri itinere redierunt. Quos apud Salaminem non adepti Athenienſes,& ipſi reuerſi ſunt,atq; ex eo die Pireum impenſius cuſtodierunt,tum clauſtris portuum, tum alia diligentia.

Sitaclis Thraciae regis expeditio in Perdiccam regẽ Macedoniæ.

Per idem tempus circa initia huius hyemis,Sitacles Odryſes, Teris filius,Thracum rex,expeditionem ſumpſit aduerſus Perdiccam Alexandri filiũ,Macedoniæ regem & Chalcidenſes qui ſunt in Thracia,ob duo promiſſa,quorum alterum uolebat repoſcere alterũ Atheniẽſibus ipſe perſoluere.Nam ei Perdiccas principio belli rebus eius ad perniciẽ ſpectantibus ſpoponderat,& ſi ipſum Sitalces Athenienſibus recõciliaſſet,nec Philippum fratrem eundemq; hoſtem reſtitueret in regnũ:& quæ ſpoponderat,non exoluebat.Et ipſe Athenienſibus receperat, ubi ſocietatem cum Perdicca iniuiſſet,compoſiturum ſe in Thracia Chalcidicum bellum. Vtraque igitur cauſa expeditionem ſuſcepit,& Amyntam Philippi filium in regnum Macedonum ducebat cum legatis Athenienſium,qui huius rei cauſa aderant,Agnone duce. Oportebat enim Athenienſes quoq; cum claſſe & peditatu aduerſus Chalcidenſes præſtò eſſe. Igitur ab Odryſis ingreſſus,accerſit primùm Thraces quibuſcunq; imperitabat, intra Æmum montem & Rhodopen ponto Euxino tenus & Helleſponto:deinde ſuperato Æmo,Getas & quicunq; alij cis Iſtrum fluuium magis ad pontũ Euxinum uergentes incolunt populi,qui ſunt Getæ & Scytharum finitimi, ac ſimiles cultu,omnes ex equis ſagittarij,quos hippotoxotas dicimus. Præterea euocauit montanorum Thracum permultos,genus liberum & gladijs accinctum, qui Dij uocantur,Rhodopen pleroſq; incolentes,partim mercede inductos,partim ſtudio ſecutos.Accerſit & Agrianes & Leæos & cæteras gentes Pæonias imperij ſui ultimos,uſq; ad Graæos & Leæos Pæonas, & Strymonem amnem, qui fluit è Scomio monte per Graæos ac Leæos, ubi imperij eſt terminus:hinc ad Pæonas ſui iam iuris,illinc qua ſpectat Triballos, qui & ipſi ſui iuris ſunt, Treribus ac Tilatæis terminantibus,qui Scomium montem incolunt ad ſeptentriones continenter, ad ſolem occidentem uſque ad Oſcium flumen, ex eodem quo Neſtus & Ebrus,oriens monte inculto,& ſanè Rhodope uicino.Fuit autem Odryſorum imperium magnitudine ad mare uſq; pertingens,ab urbe Abderorum ad pontum Euxinum uſque ad flumen Iſtrum.Ea ora ubi minimum ſpatij habet.poteſt ambiri nauigando,ſi uentus à puppi ſemper inſpiret,naui rotunda,quatuor diebus,ac totidem noctibus. Item itinere terreſtri ubi breuiſsimum ab Abderis ad Iſtrum,uir expeditus undecim intra dies tranſmittat:Et tanta quidem fuit ad mare longitudo. Per me-

diterranea uerò à Byzantio ad Leæos & super Strymonem, hac (hinc enim longissimus est à mari tractus) homini expedito tredecim intra dies peragrabitur. Tributum quoq; quod ex Barbaris gentibus Græcisq; exigebatur sub Seutho, qui post Sitalcem regno potitus maximè id auxit, quadringẽtorum ferè talentorum fuit, uis summa auri argentiq;. Nec inferiora his quæ afferebantur ex auro & argento munera. Præter res textiles, uel uillosas, uel læues, & aliam supellectilem, quæ non modò ipsi, sed etiam proceribus nobilibusq; Odrysarum stata erant, longè alio quàm apud regnum Persarũ instituto, & quàm apud alios Thraces, accipiendi citius quàm dandi. Deformius enim erat eum qui posceretur, non dare, quàm eum qui posceret non impetrare. Tametsi hoc instituto plerunq; imperiosè utebantur, quoniam nihil donãti, nihil trãsigere licebat. Ita regnum eo potentiæ peruenit. Quippe omnium qui in Europa sunt inter Ionium sinum & pontũ Euxinum, hoc maximum extitit prouentu pecuniarum, & cæteris opibus, sed robore certandi & exercitus magnitudine multo est Scytharũ gente inferius. Nam Scythis non modò quæ in Europa, sed etiam quæ in Asia sunt nationes æquari nequeunt, ut singulę illis omnibus inter se concordibus resistãt, ne in alia quidem solertia ac prudentia ex præsenti utilitate uiuendi. Sitalces igitur tam ingenti plagæ imperans, ubi comparato exercitu omnia in expedito fuerunt, profectus in Macedoniam est primùm per suum regnum, deinde per Cercinam montem habitatoribus uacuum, qui Sintos Pæonesq; committit, eadem uia, quam ipse prius in expeditione aduersus Pæones fecerat succisa sylua. Eum montem trãseuntes ad dextram habebant Pæones, ad sinistram Sintos & Medos. Quem emensi peruenerunt in Doberum Pæonium, nihil in eo superando passi, nisi aliquid morbo. Nam morbus incidit. Siquidẽ Thracum sine imperio non parum multi ultrò sequebantur prædę gratia. Itaq; fertur omnis multitudo non minor centum quinquaginta millibus extitisse, & hæc maxima ex parte pedestris, ex tertia autem fermè equestris, qui equitatus ex Odrysis præcipuè constabat. Secundum hos ex Getis expeditatu gladiati, qui è Rhodope descenderunt, gens sui iuris, bellacissimi erant. Cæterũm uerò uulgus ipsa terribilissimum multitudine promiscuum sequebatur. In Doberũ ubi coierunt, quæ in rem fuerãt præpararũt, ut è montis iugo inuaderent inferiorem Macedoniam, quæ Perdiccæ parebat. Nam inter Macedonas sunt & Lyncestæ, & Elimiotæ, & aliæ in superioribus gentes sociæ illis atq; obnoxiæ: In hisq; Perdiccas regnũ habebat. Nam eius pater Alexãder, ac progenitores Temenidę olim ab Argo oriũdi, eam quæ nunc maritima est Macedoniam primi adepti sunt, in eaq; regnarunt, bello expulsis ex

Dãdi accipiẽdiq; institutũ.

Pieria

Pieria quidem Pieribus,qui postea sub Pangæo trās Strymonem incoluerunt Phagreten, aliaq; item oppida.Vnde nunc quoque sub Pangæo plaga uergens ad mare uocatur sinus Piericus.Ex ea uerò quæ nominatur Bottia,Bottiæi,qui nunc Chalcidensiū sunt confines.Quinetiam in Pæonia iuxta Axium amnem occuparunt Stenentinem,à montanis ad Pellam usq; & mare pertingentem, ac trans Axium Strymone tenus eam quæ Mygdonia appellatur, eiectis Edonibus.Eiecerūt & ex Eordia (ita nanq; nunc uocatur) Eordos,quorū permulti deleti sunt,aliquantulumq; adhuc ex ijs circa Physcam sedes habet.Necnon ex Almopia, Almopes.Alias insuper gentes in potestatem redegerunt Macedones hi,quibus nunc etiam imperant,Anthemontem, Grestoniam, Bisaltiam,& ipsorum Macedonum Pollam:quæ omnia Macedonia uocatur, quæq; regis Perdiccæ Alexandri filij erant,quo tempore Sitalces inuasit.At hi quidem Macedones ingressis tam multis copijs resistere cùm non possent,quæcunq; in regione erant comportarunt in loca munita,ac muros habentia,tum non admodū multa.Nam postea Archelaus Perdiccæ filius regno potitus,ea quæ ibi uisuntur extruxit,amplasq; uias muniuit,ac cętera ex usu belli,equis,armis,alioq; apparatu melius quàm superiores octo reges adornauit.Exercitus autem Thracum ubi ex Dobero mouit,primùm ingressus ea quæ prius Philippi fuerant,ui cepit Idomenem: Gortyniam uerò & Atalantam & alia quædam oppida accepit in fidem ob amicitiam Amyntæ,cuius Philippus filius aderat.Europū autem cùm tētasset,expugnare nō potuit.Dehinc in reliquā progressus est Macedoniam,quæ ad dexteram Pellæ iacet & Cyrrhi.His interiora non adijt Bottiæam & Pieriam,sed Mygdoniā, Grestoniam,Anthemuntē populatus est.Macedones cùm se pares peditatu fore diffiderent,accitis equis à socijs superiora habitantibus, pauci contra multos adorti sunt exercitū Thracum:& quàm impressionem fecerūt,nemo sustinuit,equites egregios ac loricatos, sed multitudine circunfusa longè numerosiore ancipiti marte præliabantur.Cumq; superatum se iri à pluribus animaduerterent,pugnam ad extremū inhibuerunt.Et Sitalces apud Perdiccam uerba fecit,quamobrē arma intulisset.Et quoniam Athenienses cùm classe non aderāt,quippe non iturū credentes,dona ad eum legatosq; miserunt:& ille partem copiarum in Chalcidenses Bottiæosq; dimittit,atque castellis extructis,regionem uastabat.Vbi dum statiua habet.Thessali qui ad austrum spectāt,& Magnetes,& cæteri sub imperio Thessalorū, & cæteri usq; ad Thermopylas Græci metu perculsi,ne in ipsos iret exercitus,in armis erāt.Trepidabant item trās Strymonē uergentes ad aquilonē Thraces,quicūq; cāpestria incolunt,Pangi insuper,& Odomāti,& Dori,& Dersæi,qui

omnes ſuis legibus uiuunt. Nónnihil etiam anxij fuerunt Athenienſium hoſtes Græci, ne Thraces ab Athenienſibus iure ſocietatis adducti, ipſos quoque adorirentur. Ille uerò Chalcidicam & Bottiæam & item Macedoniam infeſtus uaſtabat. Cui tandem cùm nihil eorum cõficeretur, quorum gratia uenerat, & cõmeatu careret exercitus, atq; hyeme uexaretur, Seuthes Spardoci filius, & ipſi patruelis, potentia ſecundus, ſuadet, uti quàm celerrimè diſcedat. Seuthen autem Perdiccas clàm ſibi cõciliauerat, pollicitus ſororem ſe illi cum pecunia daturum. Ita Sitalces perſuaſus, actis triginta diebus, & horum apud Chalcidem octo cõſumptis, cum exercitu domum quàm celerrimè reuerſus eſt. Et Perdiccas ſororem Stratonicen uti ſpoponderat Seuthę in matrimonium dedit: Atque ita circa Sitalcis expeditionem res geſtæ ſunt.

Ii autem qui apud Naupactum agebant Athenienſes, eadem hyeme poſtquàm claſsis Peloponnenſium diſſoluta erat, duce Phormione ſub armis ad Aſtacum nauigarunt. Progreſsiq; in mediterranea Acarnaniæ cum quadringentis ſuorum claſsiariorum armatis, ac Meſſenijs totidẽ, eos qui dubię in partes fidei uiſi ſunt, ex Strato & Coronte, alijsq; oppidis eiecerunt, & Cynete Theolyti filio in Corontem deducto, iterum ſe ad naues receperũt, non auſi propter anni tempus Oeniades ſolos omnium Acarnanum aſsiduos hoſtes laceſſere. Nam Achelous amnis ex Pindo monte deuolutus, per Dolopiam, Agraos, Amphilochos, perq; Acarnanicum campum, ſuperne Straton urbem Oeniadasq; interfluens mari miſcetur: reſtagnatoq; horum oppido intolerabilem utique hyeme propter alluuiones militiam præſtat. Iacent autem pleræq; Echinadum inſularũ è regione Oeniadum ab alluuionibus Acheloi nihil admodum diſtantes: quarum nonnullæ quoties torrens fluuius humum aggeſsit, cum continente iunguntur. Crediturq; fore non ita multò poſt tempore, ut hoc idem patiantur illæ. Nam & æſtus eſt ingens, multus, ſabuloſus, & inſulæ crebræ & limi aggeſtu interſepiente commiſſę, nec gradatim, nec ui fluminis diſſipantur, ſed ita ut non rectum aquis in pelagus exitum prębeant: præterea incultæ & paruæ. Fertur autem Alcmæoni Amphiarai filio poſt matrem necatam errabundo, Apollo terram hanc habitandam oraculo ſignificaſſe, reſpondens, non prius illum terroribus liberatum iri, quàm in ea regione locum ad habitandum reperiſſet, qui neque dum à ſole conſpectus, neque terra eſſet, quãdo matrem necauit, ut omni alia terra ab ipſo ob parricidium prophanata. Ille (ut aiunt) incertus conſilij, uix tandem intellexit alluuionem Acheoli eum eſſe. Satisq; ſoli illud ad uſum corporis uiſum eſt, poſtquàm occiſa matre non exiguo tempore pererraſſet: incolensq; circa Oeniades loca regnauit, & à filio Acar-

nane

nane cognomen regioni reliquit:Et de Alcmæone quidem quæ accepimus eiuſmodi referimus. Athenienſes autem cum Phormione ex Acarnania in Naupactum profecti, primo uere Athenas nauigarunt,ſecum portantes libera capita in prælijs naualibus capta,quorum ſingula ſingulis redempta ſunt,itemꝙ naues quas ceperant.Et hyems hæc finita eſt,ac tertius belli annus,quod Thucydides conſcripſit. *Acarnanes unde appellati.*

THVCYDIDIS HISTORIARVM PELOPONNENSIVM, LIBER TERTIVS.



NEVNTE æſtate adulto iam frumento,Peloponenſes ac ſocij duce Archidamo Zeuxidami filio Lacedæmoniorum rege ingreſsi ſunt Atticam, ſtatiuaꝙ habentes regionem populabātur,excurſionesꝙ faciebant ut conſueuerant,Athenienſibus equitibus, quacunꝙ dabatur occaſio,leuiter armatorum plurimam turbam prohibentibus,ne progreſſa cum armis læderet loca urbi uicina. Commorati autem quoad commeatus ſuppeditauit, reuerſi ſunt in ſuam quiꝙ ciuitatem,ſub ipſorum tamē in Atticam ingreſſum protinus omnis Lesbos, præter Methymnam, ab Athenienſibus defecit,cùm id iam inde ante motum bellum uoluiſſet, ſed Lacedæmonij eam recipere noluerant. Cæterùm opinione ſua maturius deficere coacta eſt. Quippe obſtruēdis portubus,extruendis muris,ædificandis nauibus prorſus occupati fuerant,utꝙ è Ponto quæcunꝙ oportebat, ſagittarij, frumentū,& quæ accerſerant, uenirent.Siquidem Tenedij cum quibus inimicitias exercebant, & Methymnæi,priuatim quoꝙ ipſorum Mitylenæorū quidam, quibus propter factionem publicum erat cum Athenienſibus hoſpitium,indicium detulerūt omnes Lesbios ad commigrandum Mitylenen cogi,ac Mitylenæos omni apparatu ad defectionem ſpectare cum Lacedæmonijs Bœotijsꝙ cognatis eorū:& niſi occuparent Athenienſes Lesbum,amiſſuros.Athenienſes uerò (ut qui & morbo iam uexarentur, & bello, eoꝙ acerrimo:præterea exiſtimarēt magni negocij eſſe,Lesbū bello tentare,naues habentem integrasꝙ uires) non acceperunt ab initio delationē,ſed ipſos deferentes maiori ex parte redarguebant,quòd uidelicet illa uera eſſe nollent.At poſtquàm dimiſſa illuc legatione,non perſuaſere ut Mitylenæi frequentiā ciuitatis ex cætera inſula & apparatum diſſoluerent,timentes iam anteuertere uoluerūt:miſsis confeſtim quadraginta nauibus,quæ fortè ut Peloponneſum obirent,in expedito erant:ſub Cleippide Dinij filio,ex tribus ducibus primo. Renūciatum enim eis erat futurum Apollinis Maloentis feſtum extra urbem,quòd omni Mitylenæorum frequētia celebraretur,

Quarti anni initium.

Lesbi defectio ab Athenienſibus.

Apollinis Maloentis feſtum.

spemq; esse, ut repentino aduentu adorirentur. Quòd si conatus procederet, rectè res se haberet: sin minus, Mitylenæis edicerent, ut naues tradant, muros demoliantur, non obtemperantibus bellum inferrent: Et naues quidem profectæ sunt. Decem autem triremes Mitylenæorum auxiliares, quæ ex fœdere tunc aderant, retentæ sunt, & uiri qui in eis erant in carcerem coniecti. Quidam tamen Athenis profectus in Eubœam, atque illinc terrestri itinere cùm Geræston peruenisset, nactus ibi onerariam nauim, secunda nauigatione usus, triduo quàm Athenis discessit Mitylenen delatus, nunciauit eis naues in se Atheniensium uenire. Illi neque ad Maloentem exierunt: & cæteris murorum atq; portuum ubi semisarta erant refectis, custodias egerunt. Nec ita multò pòst Athenienses cùm appulissent, uidissentq;, hæc denunciant duces mandata: illis non audientibus dicto, ad pugnam se instruũt. Oppidani imparati & è repentino coacti pugnare, progressi sunt nauibus aliquantulum ante portum tanquam ad prælium. Deinde insequente Atheniensium classe fugientes, in colloquium ducum uenerunt, uolentes si qua miti conditione transigi posset, è uestigio naues dimittere. Idq; Athenienses duces admiserunt, & ipsi timentes ne non satis essent ad omnem Lesbum debellãdam. Factis inducijs mittunt Athenas Mitylenæi cùm alios, tum uerò unum ex ijs qui detulerãt indicium, quem iam facti pœnitebat, si fortè persuadeant ut naues ab ipsis abscedant, tanquam nihil rerum nouarum molientibus. Et interea legatos quoq; cum triremi Lacedæmonem mittunt clàm Atheniensium classe, quæ ad septentrionalem urbis partem in Malea stationem habebat. Non enim fidem habebant ijs, quæ ab Atheniensibus offerebãtur. Atq; hi quidem legati asperrima nauigatione usi in pelago, delati ad Lacedæmonem agebant cum illis, ut aliquid ueniret auxilij. Vbi uerò alij legati Athenis re infecta redierunt, ad bellum se accingebat & Mitylene & cætera Lesbos, præter Methymnã. Nam hæc Atheniensibus fauebat, & Imbrij & Lemnij & ex alijs insulis aliquantulum sociorum. Et cùm eruptionem quandam totius populi in castra Atheniensium fecissent, commissaq; pugna non inferiores extitissent, tamen regressi sunt, quòd sibi ipsis fidem non haberent, ibi pernoctare non ausi. Ac deinceps quieuerunt, uolentes, si quid ex Peloponneso & ex alio apparatu proueniat, periculum facere. Etenim superuenerunt Meleas Lacon, & Hermeonidas Thebanus: missi illi quidem ante defectionẽ, sed qui aduentũ Atheniensium præuertere cùm nequiuissent, postea commissa iam pugna clanculum triremi aducti sunt, hortatiq; ut secum aliam triremem cum legatis mitterent, & illi miserũt. Horum quiete aucti animo Athenienses, accersitisq; socijs, qui nihil roboris uidentes esse apud

Fœdera Mitylenæorum & Atheniensium.

Lesbios

Lesbios, ocyus affuerunt circundato ad australem urbis partem exercitu, bina hinc atq; hinc castra muro cingunt, & in utroq; portu ingressum nauibus muniunt, prohibito Mitylenæis usu maris. Nam cætera terra oppidani alijq; Lesbij, qui iam auxilio uenerãt, potiebantur: non multum Atheniensibus circum castra tenentibus, cum Malea potius eis & nauium statio & mercatus esset: Atque ita ad Mitylenem bellum gerebatur.

Per idem huius æstatis tempus Athenienses circa Peloponnesum triginta naues dimiserũt, duce Asopio Phormionis filio, iussi ab Acarnanibus aliquem sibi uel filium, uel cõsanguineum Phormionis mitti pro duce. His nauibus Asopius profectus, maritime Laconiæ loca diripuit, dehinc earum plerisq; domũ remissis ipse cum duodecim Naupactum se contulit. Post hæc euocato omni Acarnanum populo, intulit arma Oeniadibus, Acheloum nauibus inuectus, pedestri exercitu regionem populante, sed cùm hostis non accederet, misso peditatu, ipse in Leucadiam nauigauit, egressusq; in Nericon, dum se recipit, ab hominibus loci mutuo sibi auxiliantibus, paucisq; nonnullis præsidiarijs, cum exercitus parte interfectus est. Postea cæteri concessa hostibus uictoria, ex fœdere receptis mortuis abierũt. Mitylenæi autem legati, qui prima cum naui missi fuerant, quemadmodum ipsis Lacedæmonij dixerant, ut ad Olympiam adessent, quo cæteri quoq; socij cis auditis consultarent, ad Olympiam præsto fuerunt. Quo in loco Olympias festum fiebat, Dorico Rhodio iterum uictore. Atque ubi solennibus celebratis in colloquium uentum est, ita uerba fecerunt: *Olympias festum.*

Oratio Mitylenæorum ad Lacedæmonios.

SCimus quidem, uiri Lacedæmonij, socijq;, hoc receptum apud Græcos ac iustum esse, ut quoscunq; belli tempore à pristina societate deficientes in suam accipiunt, eos tantisper in delicijs habeant, dum illis utiles sunt. Sed cùm existiment superiorum amicorum proditores fuisse, eosdem peiores fore utiq; censent, neque id iniuria, si æquales inter se essent, qui deficiũt, & qui deseruntur, consilio ac beneuolentia, ijdemq; inæquales apparatu & uiribus, nullaq; sit æqua causa defectionis, quod in nobis Atheniensibusq; non fuit, ne cui peiores fore uideamur, si à quibus in pace honestati sumus, ab ijs inter aduersa desciscimus. De iusticia nanq; ac uirtute, cùm pręsertim societatem precemur, uerba faciemus, scientes neq; amicitiã inter priuatos initam esse stabilem, neq; consortium inter ciuitates aliquid pollere, nisi mutua opinio intercedat uirtutis, & circa cætera morum uitæq; consensio. quippe discordibus in mentibus differentia consistit actionum. Enimuerò inter nos Athenienseśq; societas incepta est, cùm uos ab armis post Medicum bel-

cum bellum discessistis,& illi reliquias earum rerum persequebā-tur:quam nos societatem non contraximus ad subigendōs Atheniensibus Grecos,sed à Medorum seruitute eximendos,& eousq; illos sumus prompto animo secuti,quoad æquo iure præfuerunt. Vbi animaduertimus,submoto Medo hoste,tendentes ad imponēdam socijs seruitutē,iam non sine timore fuimus. Sed quia non licuit ad uim propulsandā socijs in unum cōuenire propter multitudinem cōsultantium,omnes præter nos & Chios in seruitutem redacti sunt. Nos cùm nostri iuris essemus & liberi,nomine duntaxat cum Atheniensibus militauimus,nequaquam pro fidelibus eos ducibus habentes, sumpto ex superioribus factis exemplo. Neq; enim credibile erat cùm illos subegissent,quibuscum fœdus unà nobiscū inierant,non idem eos in cæteros fœderatos,si quando facultas afforet,esse facturos. Quòd si nostri adhuc iuris essemus omnes,plus eis fidei haberemus,nihil noui molituros. Cùm uerò plerosq; sociorum subegerint,indignius eos credibile est esse laturos,sibi nos in rebus agendis æquari:iamq; in hoc admodū processerunt,cùm soli nos iam secum ex æquo uersemur,præcipueq; quòd quanto ipsi potentiores,tanto nos desertiores efficimur. Ad societatem nil aliud fidelem facit,quàm mutuus metus. Nam qui uiolare quippiam uult,nisi alteri uiribus præstet,ab eo inuadendo deterretur. Et nos nulla alia causa liberi ab illis relicti sumus,nisi ut quęcunq; ad parandam potentiam moliebātur,non tam re uera,quàm ut iustè,honestè,probè sumpsisse uiderentur,simulq; ut hoc testimonio uterentur,nisi aliquid peccassent ij contra quos arma ferrent,non fuisse militaturos unà socios qui idem haberent autoritatis. Vnde factum est,ut & maximas primùm uires aduersus infirmissimum quenq; colligerent,ac paulatim sublatis alijs extrema quę relinquebantur redderēt infirmiora. Quòd si à nobis cœpissent, omnibus adhuc suas uires,& ubi consistere oporteret habentibus,haud similiter subegissent. Quibus nonnihil etiam timoris incutiebat classis nostra,ne in unū coacta,& aut uobis,aut alicui alteri se applicans, periculum eis crearet. Euasimus autem eos,tum Rempublicam ipsorum,tum quosque magistratus deleniendo,profectò nisi conflatum esset hoc bellum,non multum duraturi,ut uidere licet ex aliorum exemplo. Quæ'nam igitur hæc amicitia extitit,aut quæ fida libertas,ubi prēter opinionem utrique alteris sumus suspecti? Illi nobis in bello præ timore blandientes,& nos illis uicissim rebus pacatis,quodq; alijs beneuolentia,id nobis timor stabile,fidum,firmum præstitit. Ita metu magis quàm amicitia in societate perstitimus,& utris citius securitas sui præbuisset audaciam,ij priores pacta fracturi fuerūt. Quòd si cui uidemur iniurij,propter eorum in nocendo cunctationem,

Defectionis Mitylenæ ab Atheniensiū causa.

quòd

quòd priores defecimus, non præstolantes ad planè cognoscendum, si quid illi nocerent, is non rectè considerat. Nam si ex æquo uoluissemus & tendere illis insidias uicissim, & cūctari, quid attinebat nos eis pares sub ipsis esse? Cùm uerò semper penes illos facultas hæc esset tentādi, penes nos hoc esse decuit, ut defensionem anticiparemus. Has nos cùm haberemus, Lacedæmonij ac socij, rationes causasq́, defecimus, & apertas audiētibus ad cognoscendum nos rectè fecisse, & ualidas ad nos perterrēdos, ut ad aliquod præsidiū conuerteremur. Hoc nos olim iam facere uolentes etiam in pace missis ad uos qui de defectione agerēt, tunc uobis respuentibus facere prohibiti, nunc Bœotijs prouocantibus cōfestim obtemperauimus, existimātes duplicem hāc esse defectionem, unam ne stantes ab Atheniensibus Græciam opprimamus, sed eam in libertatem asseramus: alteram ne ipsi in posterum ab illis profligemur, sed incolumitati nostræ consulamus. Et præproperè quidem ac prematurè facta est hæc nostra defectio. Quo magis oportet uos socios receptis nobis quàm celerrimè subuenire, ut declaretis uos eodem tempore & eos tutari quos debetis, & hostibus obesse. Ad quod adest opportunitas tanta, quāta nondum ulla. Siquidem & morbo cōsumpti sunt Athenienses, & sumptibus, nauesq́ eorum partim circa oram uestram agitāt, partim aduersus uos instruuntur, ut credibile non sit eos abūdaturos classe, si uos æstate hac nauibus pariter ac peditatu rursus eos inuadatis, sed aut non futuros pares uobis maria obeuntibus, aut utrisq́ uobis nobisq́ cessuros. Neq́ uerò quispiam existimet pro peregrina se terra domesticum adire periculum. Cui enim procul abesse uidetur Lesbos, huic illa utilitatem è propinquo præstabit. Nam non in Attica bellum erit, quemadmodum aliquis putat, sed illic unde Attica sumit emolumentum. Est autem illi pecuniarum prouentus à socijs, eritq́ etiam maior, si nos in potestatem redegerit, quoniā neq́ alius deficiet, & nostra illorum fient. Nos quoque duriora patiemur quàm qui iampridem seruierunt. Quòd si nobis impigrè uos auxilium tuleritis, tum ciuitatem accipietis præditā magna classe, cuius inprimis uos indigetis, tum Athenienses facilius destruetis, subtractis eorum socijs, cùm quisque sit audacius desciturus, tum eam quæ uos premit effugietis inuidiam, non opitulandi ijs, qui ad uos desciscunt. Si autem uos illorum liberatores ostenderitis, uires belli firmiores habebitis. Erubescentes igitur frustrari Græcorum de uobis spes, erubescentes Iouem Olympiū, cuius in templo æquales uobis supplicesq́ sedemus, protegite Mitylenæos inita cum eis societate, nec prodere uelitis priuato quidem corporum periculo expositos, sed communem omnibus (si rectè succedat) utilitatem allaturos: communioremq́ perniciem, si rectè non

succedet,

succedet, uobis frustra tentatis. Estote uiri quales & Græci uos censent esse, & nostra necessitas desiderat.

Lacedæmoniorum nauis in Atheniēses expeditio.

Talia Mitylenæi dixerunt. Quæ cùm audissent Lacedæmonij ac socij, approbassentq;, Lesbios in societatem recipiendos censuerunt. Et Lacedæmonij tanquam in Atticam expeditionē sumpturi, edicunt socijs, qui aderant, ut primo quoque tempore cum duabus partibus præstò essent: & ipsi in primis profecti, phalangas nauium apud Isthmum comparabant, ueluti illas è Corintho subuecturi ad mare quod Athenas spectat, ut hostem classe pariter, ac peditatu inuaderent. Et hi quidem hæc strenuè cōfecerunt. Cæteri quoq; socij lentè cōuenerunt, tum occupatione fructuum legendorum, tum tædio militandi. Eos cùm intelligerent Athenienses per cōtemptum hostilis imbecillitatis se instruere, centum naues armauerunt, uolentes declarare, non rectè illos sentire, seq; immota classe quæ ad Lesbum erat, posse ei quæ à Peloponneso ipsos inuaderet, resistere. Igitur centum naues implerūt, & eas ingressi tam ipsi præter equestris & secundi ordinis homines, quàm peregrini, præteruecti Isthmum sese ostentabant, & in Peloponnense solum quacunq; eis uidebatur egrediebantur. Hanc Lacedæmonij classem longè maiorem opinione cernentes, arbitrati & falsa esse quæ à Mitylenæis referebantur, & sibi rem arduam, cùm neq; socij adessent, & triginta naues Atheniensium, quæ circa Peloponnesum erant, uicina urbis ipsorum uastare nunciarentur, domum redierunt. Post hæc ædificata classe quam in Lesbum dimitterent, quadraginta naues per ciuitates edixerunt, delecto Alcida nauarcho qui illuc se conferret. Athenienses ubi illos abire senserunt, & ipsi cum centum nauibus abierunt. Per hoc tempus, quo profectæ sunt hæ naues, Atheniensium longè & instructissima & ornatissima classis fuit, etsi circa belli initia tot numero & uel plures naues extiterunt. Centum enim Atticam, Eubœam, Salaminem custodiebant, totidem circa Peloponnesum uolitabant, præter illas quæ ad Potidæā & alibi erāt, ut in summa fuerint una æstate ducentæ quinquaginta. Quæ res præcipuè pecuniam exhausit, & illa Potidæana.

Stipendia classiariorum militum.

Siquidem qui Potidæam defensarūt milites (fuerunt autem principio tria millia, nec pauciores qui obsederunt, tum mille & sexcēti qui prius cum Phormione abierunt) binas drachmas singulis diebus acceperunt: alteram suo, alteram famuli nomine: eandem & uniuersæ naues mercedem. Atq; ita pecuniæ primùm consumptæ sunt, & tot tantæq; naues expletæ. Per idem tempus Mitylenæi, quo Lacedæmonij apud Isthmum agebant, Methymnæ tanquam proditionem molienti bellum à terra intulerunt, adiunctis auxiliarijs, tentataq; urbe, cùm res non procederet qua parte expectabant, in Antissam, & Pyram, & Eressum,

abierunt.Quarum ciuitatum,cùm & res ſtabiliſſent,& muros firmiores feciſſent,feſtinabũdi domum reuerſi ſunt.Eis reuerſis Methymnæi cum copijs Antiſſam inuadunt.Sed ab Antiſſæis auxiliarijsq; quibuſdam,qui ſuperuenerãt,perculſi,multis amiſsis cæteri trepidè receſſerũt.Hæc ubi Athenienſes reſciuerunt,ac Mitylenæos terra potiri,nec illis prohibẽdis pares eſſe milites ſuos,mittunt ineunte autumno Pacheten Epicuri filiũ pro duce cum mille ſui corporis militibus,qui in nauibus officio remigũ functi cum Mitylenẽ appuliſſent,eam ſimplici muro cingũt,ac ualidis in locis caſtella excitãt.Et Mitylene quidẽ utrinq; iam & à mari & à terra uehementiſsimè urgebatur, hyemsq; appetebat. Cæterùm Athenienſes ad obſidionẽ deficiente pecunia,tunc primùm ipſi tributũ contulerunt ducenta talenta,& ad ſocios legendę pecuniæ gratiã *Lyſiclis cædes.* duodecim naues miſerunt,Lyſicle cum quatuor collegis duce.Is cùm alia loca circunuectus illinc pecuniã exegiſſet,ex Myunte per Mæandrium campũ tranſgreſſus in Cariam ad collem uſq; Sandium,à Carijs Anæitisq; inuaſus,& cum multis ſuorum cęſus eſt.

Eadem hyeme Platæenſes (adhuc enim à Peloponnenſibus & Bœotijs obſidebantur) cùm & penuria rei frumentariæ laborarent,neq; in Athenienſibus ulla ſpes defenſionis eſſet, neq; alia ſalus oſtenderetur,conſilium ineunt ipſi,& qui unà circunſidebantur Athenienſes,primùm ut ſuperato hoſtium muro omnes exirent,ſi ui conſequi poſſent, autoribus Theæneto Timidi filio,uaticino,& Eumolpida Daimachi filio, qui ipſis præerant. Deinde dimidia parte,quod ingens exiſtimaret periculum,reformidantẽ, ad ducentos ferè ac uiginti in ſententia exeundi permãſere in hunc modum:Scalas ad altitudinem muri fecerunt,ſumpta illius menſura ex laterculorum coagmẽtatione,qua parte murus ad eos ſpectans tectorio carebat.Numerabant autem permulti pariter coagmenta lapidum,quorum nonnulli erant aberraturi,ſed à pluribus uera ratiocinatione coniectabatur,cùm præſertim ſæpius numerarent,& cùm non longè abeſſent,facilè murus in id quod uolebant ſubiectus oculis erat.Itaque in hunc modum proceritatem ſcalarum,ex craſsitudine laterum coniectantes altitudinem muri, cœperunt.Erat autem Peloponnenſium muri ſtructura huiuſmodi:Habebat is duos ambitus,alterum Platæas uerſus,alterum exteriorem,ſi quis ab Athenis adoriretur,ſexdecim inter ſe pedum ſpacio diſtantes. Quo in ſpacio habitacula cuſtodum ædificata erant,diſtincta quidem,ſed cõtinua,ita ut unus ſolidus murus uideretur,uterq; pinnas habens,& ad decimã quanq; pinnam ingentes turres,eiuſdem qua murus craſsitudinis,& ad eius frontes intrinſecus extrinſecúsq; tendentes,ne tranſitus circa,ſed per eas eſſet.Noctibus, quoties imber erat, illi relictis pinnis cuſtodias è

turribus parum remotis ac supernè tectis agebant. Huiuscemodi quo protegebātur Platæenses, murus erat. Qui postea quàm rem instruxerant, obseruata nocte quæ & pluuia & uento turbida esset, & præterea sine luna, exierunt ducibus eisdem qui conatus autores erant. Et primùm fossas quæ ipsos ambibant, transeunt. Deinde muro succedūt ignaris hostium custodibus, utpote non prospicientibus propter tenebras, nec exaudientibus accedentium strepitum uento abstrepēte. Et nihilominus isti ne arma inuicem offensa sensum præberent, multum inter se distantes ibant. Erant autem leuiter armati, sinistro tantùm pede calceato, ne in luto laberentur. Igitur qua interturrium erat pinnis subeunt, scientes illas esse desertas, primiq; conscendunt qui scalas tulerant admouerantq;. Deinde duodecim pugione solum ac thorace armati, duce Ammea Corœbi filio, qui & primus ascendit. Hunc sex qui sequebantur utranq; superant turrim, post quos deinde succedunt alij cum eadem armatura ac iaculis à tergo horum, quo facilius procederent: alijs scuta gestātibus, & cùm prope hostes uentum esset tradituris. Vbi maiore ex parte muros euaserāt, custodes turrium sensere. Nam quidam Platæensium apprehensam in ascendendo regulam è pinnis eiecit, quæ cadens sonitum fecit, statimq; à custodibus uociferatum est. Exercitus quoq; ad muros contendit, non enim sciebat quid'nā discriminis foret, nocte obscura & procellosa, & alioqui reliqui erant in urbe Platæenses egreßi Peloponnensium murum, diuersa quàm qua sui cōscenderant parte inuadunt, ut quàm minimùm illis mentē hostis aduerteret. Tumultuabantur itaque Peloponnenses in loco manentes, nemo tamen eorum ex custodia opē ferre audebat, sed in ancipiti erant quid'nam accidisset coniectantes. Eorum trecenti illi quibus datum negocium erat, ut si quid opus esset subsidio forent, è muro ad uociferationem processerunt. Facesq; hostilis aduentus indices Thebas uersus sublatæ sunt. Platæenses & ipsi ex suo muro complures excitant faces, prius ad hoc ipsum præparatas, ut hostis, quid sibi lumina uellent incertus, & aliud aliquid contigisse, quàm quod erat existimans, opem non ferret, dum socij sui qui exierant, fugam ac tuta capesserent. Interea Platæensium quicunq; primi conscenderant, utraq; turri custodibus occisis potiti, earum transitus ne quis illac subsidio ueniret, tutabantur: & admouentes è muro turribus scalas plerosq; in superiora recipiebāt, ijs qui pro turribus stabant misSilibus eos qui ueniebāt auxilio superius inferiusq; arcētibus. Eoq; plures interea scalas ipsi iam plures admouebant: simulq; deiectis pinnis per interturriū ascendebāt, & subinde qui recipiebantur crepidini fossæ imminens sagittis illinc atq; iaculis incessebat, si quis hostium auxilio ueniret ad prohibendum tempestiuū transitum

Platæenses per castra hominū perrumpentes fugā capessunt

situm fossæ. Vbi omnes transierunt murum, sed ægrè & nouissimè, qui de turribus descenderunt, ad fossam tendunt, ibiq; ex aduerso se offerunt trecenti illi lumina gestantes. Quibus eo magis conspectis, Platæenses eadem causa minus ipsi conspiciendi, prætterquàm quod in obscuro erant pro crepidine fossæ stantes, nuda corporum missilibus feriebant. Ita postremi quoq; fossam transmiserunt, difficulter tamen & operosè. Nam eius aqua non ita in solidam concreuerat glaciem ut permeari posset, sed aquosa glacies erat, qualis Subsolano potius quàm Aquilone flante sub sole esse solet, & eo uento, nox illa pluuiosa fossæ aquam uehementer adauxerat, quam uix extantes transierunt, & ipsi magnitudinem tempestatis potissimùm ad fugam elegerant. Illinc digressi, uiam quæ Thebas fert ire cōferti pergunt, ad dexteram habentes Iunonis delubrum ab Andocrate conditum, quod uidelicet existimarent minimè creditum iri in id se iter deflexisse, quod ad hostes ferret, & simul conspicabantur Peloponnenses cum luminibus persequentes uiam, quæ per Cithæronem, & Capita quercus Athenas ducit. Vbi sex septem'ue stadia Thebas uersus perrexerūt, diuertētes uia, quæ per montē ad Erythras & Nysias fert abierunt, adeptiq; montes Athenas perfugerunt, numero ducenti duodecim ex pluribus. Siquidem nonnulli eorum antequàm murum conscenderent, in urbem reuerterūt, unus sagittarius in exteriori fossa captus est. Peloponnenses, postquàm à ferendo subsidio destiterunt, in sua quisq; statione manserunt. At Platæenses ex urbe nullius eorum quæ contigerant gnari, cæteris qui redierant, neminem superesse renunciantibus ubi illuxit, caduceatorem miserunt de mortuis recipiendis, sed re comperta destiterunt. Atque hunc in modum Platæenses munitiones transgressi salutem sibi pepererunt.

Iunonis templum.

Capita quercus.

Sub extremum eiusdem hyemis ex urbe Lacedæmone missus est cum triremi Mitylenen Salæthus Lacedæmonius, qui uectus in Pyrrham pedestri illinc itinere per alueum quendam torrentis, qua munitiones transiri poterāt, occultè ingressus est Mitylenen, retulitq; primoribus expeditionem in Atticam fore, & quadraginta naues que auxilio ire debebāt pariter affuturas, seq; cùm harum rerum tum aliarum curandarum gratia præmissum. Vnde Mitylenæi sumpta fiducia minus ad Athenienses animo inclinabantur, ut cum eis conuenirent. Atq; hæc hyems quartusq; annus belli excessit, quod Thucydides conscripsit.

Salæthus.

In sequentis æstatis principio Peloponnenses postquàm Alcidam, qui eorū erat nauarchus, cum quadraginta nauibus, cumq; mandatis miserunt, ipsi ac socij Atticā inuaserunt, ut Athenienses utrinq; districti, minus possent nauium Mitylenen mittere, ac re-

Quinti anni initium.

rum gerere. Præerat huic expeditioni pro rege Pausania Plistoanactis filio adhuc pupillo Cleomenes patruus. Populati autem sunt ex Attica cùm ea quæ prius & si quid refruticauerat, tum ea quæ superioribus expeditionibus intacta reliquerant. Quæ expeditio post secundam acerbissima omnium Atheniensibus extitit. Quoniam hostis aliquid in Lesbo per suam classem quasi iam appulsam, ut audiret expectans, passim discurrendo pleraque uastabat. Sed cùm nihil ex sententia eueniret, & res frumentaria defecisset, in suam quisq; ciuitatem discessit. Mitylenæi interim cùm tandiu naues ex Peloponneso non uenirent, frumento iam defecti, transigendum cum Atheniẽsibus adacti sunt, idq; ob hãc causam:

Salæthus ne ipse quidem iam naues expectans, populum prius leuiter armatum ad se armandũ inducit, tanquam in Athenienses exiturus. Vbi arma sumpserunt, oppidani iam non migrantibus obtemperabãt, factisq; agminibus iubebãt proceres exhibere frumenta, ac uiritim diuidere, affirmãtes alioqui se urbem Atheniensibus prodituros. Quod ubi cognouerũt qui res administrabant, cùm neq; ad prohibendum pares essent, & in periculo futuri si à pactione excluderentur, communiter pacti sunt cum Pachete atq; exercitu, ut Atheniẽsibus liceret de Mitylenæis consultare quàm nam uellent satisfactionẽ, utq; ipsi exercitum intra urbem reciperent, & legationem pro se Athenas mitterent: & dum illa rediret, Paches neminem Mitylenæorũ neq; occideret, neq; alligaret, neq; captiuum duceret. Et hæc quædam cõuentio fuit. At ij qui præcipuè cum Lacedæmonijs tractauerant, sibi timentes, ad ingressum exercitus expectare non sustinuerunt, sed apud aras pariter considebant. Quos illinc excitatos Paches, ne quid eis iniuriæ fieret, transmisit in Tenedum, quousque Atheniensibus aliquid uideretur. Antissam quoq; missis eo triremibus, in potestatem redegit, & cætera, quod ad exercitum attinet, pro suo arbitrio constituit. Peloponnensium uerò quadraginta naues, quas subitò uenisse oportebat, in circumeunda Peloponneso, tempus triuêre, & in cætera nauigatione ociosè uenientes, latuerunt quidem qui ex urbe erant Athenienses, quod Delum tenuerunt. Illinc digressi apud Icaron & Myconum primùm accipiũt in deditionem uenisse Mitylenen. Cæterùm uolentes rem exploratam habere, ad Embatum Erythrææ se conferunt, septimo fermè à capta Mitylene die. Ibi comperto negocio, de rebus præsentibus deliberabant. Quibus Teutiaplus Eleus ita locutus est:

Oratio Teutiapli.

ALcida cæteriq; collegæ mei, qui adestis Peloponnensium duces, mihi uidetur nobis Mitylenen esse nauigandum prius, quàm palàm fiat quemadmodum apud nos agatur. Offendemus

enim

enim,ut credibile est,pleraq; incustodita apud homines urbe recens potitos,præcipueq; à mari,qua ex parte nec ipsi hostiū quempiam uenire suspicantur, & nos maximè ualidi sumus. Credibile quoq; est eorum peditatū,ut in uictoria,neglig ētius agere,& per hospitia dispersum esse.In quos,si & repētino & noctu irruamus, spero fore,ut cum ijs qui intus sunt,si quis superest nostri studiosus, optata consequamur.Neq; nos periculi pigeat,existimantes nihil aliud in bello,quàm ex huiusmodi rebus accidere nouitatis: Hoc si quis dux,& intra se seruet,& in hoste obseruans illum adoriatur,plerunq; compos est uoti.

Hæc locutus ille Alcidæ non persuasit.Alij nonnulli ex Ionia exules,& Lesbij,qui unà nauigabant, hortabantur, quandoquidem periculum metueret,aliquam in Ionia urbem.aut Cumam in Æolide occuparet:ex qua urbe prodeuntes, Ioniam ad defectionem inducerent:spem enim esse nullis se inuitis uēturos,& hunc, quamuis maximus esset, Atheniensibus prouentum, non modò erepturos,sed etiam prærepturos si inuaderēt. Arbitrati se quoq; dicebant persuasum iri Pissuthnen ad belli societatem.Alcidas ne his quidem acquieuit,suæq; sententiæ plurimos è cōsilio socios habuit:ut quoniam eum Mitylene frustrata esset,rursus in Peloponnesum quàm primùm reuerteretur.Itaq; cum Embato profectus appulisset ad Myonesum,quæ est insula Teiorum, permultos captiuos,quos nauigādo interceperat,trucidauit.Et cùm Ephesum subijsset,adierūt eum Anæorum Samiorum legati,negātes ipsum rectè asserere Græciam in libertatē,si illos necaret,qui neq; arma contrà tulissent,neq; hostes essent,sed tantùm Atheniēsium necessariò socij forent,ut nisi desineret,paucos ex hostibus sibi conciliaturum,pluresq; amicorum pro hostibus habiturum.Quibus persuasus Alcidas,quoscūq; iam habebat Chiorū,& ex alijs aliquot, missos fecit.Nam homines conspectis nauibus non refugiebant, sed potius tanquam ad Atticas accedebant, minimè timentes ne Atheniensibus maria tenētibus,naues Peloponnensium Ioniam unquam transmitterent. Alcidas autem ex Epheso raptim abijt, fugamq; fecit. Conspectus enim fuerat à nauibus Salaminia & Parala,cùm adhuc ad Claron in ancoris esset:quæ naues ab Athenis cursum tenebant,quæ ne se persequerentur ille ueritus,alto ferebatur, tanquam nusquam à terra sua sponte nisi ad Peloponnesum applicaturus. Pacheti Atheniēsibusq; cùm undiq;,tum uerò ex Erythræa huius rei nuncius affertur. Quippe cùm Ioniæ urbes muris careant,ingens metus subibat, ne Peloponnenses cum classe prætereuntes,etsi non haberent in animo manere,tamen diriperent,ut in quasq; inciderent urbes. Salaminia quoque nauis ac Paralus sese hostem ad Claron uidisse referebat. Eum Paches

enixè persecutus usq; ad Latmon insulam, postquàm adipiscendi spes abfuit, retrò rediit, existimans se lucrifecisse quòd illas in alto nusquam adeptus esset, ne castra munire, & custodias agere, & ipsos aggredi necesse fuisset. Cùm rediit, Notion urbẽ Colophoniorum tenuit, quam Colophonij incolebãt, eius arce ab Itamane & Barbaris irrumpentibus per domesticam illorum seditionẽ capta, eodem ferè tempore, quo Peloponnẽses iterum Atticam sunt ingressi. Rursus in Notio, inter eos qui illuc confugerant, & pristinos oppidanos seditione orta, alteri accersita à Pissuthne, & ab Arcadibus, ac Barbaris auxilia in muris urbem intercipiẽtibus habebant, & qui in arce Medis fauebant, recepti pariter Rempublicam administrabãt: alteri cùm se fuga subduxissent, exules Pachetem accersierunt. Hic Hippiam eorum qui intra muros illos erant ducem, ad colloquium euocauit, ut si nihil quod placeret illi dixisset, rursus eum in muros saluum sanumq; restitueret. Et ille ad hũc procesit. Hic eo in custodia sine uinculis haberi iusso, munitiones repentè adortus nihil tale expectantes Arcades capit, ac Barbaros quicunq; intus erant occidit. Dehinc Hippiam sicuti pepigerat introductum comprehẽdit, sagittisq; conficit. Colophonijs Notion restituit, præter eos qui cum Medis sensissent. Eo postea Athenienses coactis omnibus, si quis usquam erat, Colophonijs, secundum ipsorum legis colonos ad habitandum Notion miserunt. Et Paches Mitylenen reuersus, Pyrrham & Eresson in deditionem redegit, captumq; Salæthum Lacedæmonium in urbe latitantem Athenas misit, pariter & eos Mitylenæos quos apud Tenedon deposuerat, & si quis alius ei uisus est extitisse seditionis autor. Dimissaq; maiore exercitus parte cum reliquis remãsit ad constituenda arbitrio suo negocia Mitylenes, ac cæteræ Lesbi. Vbi Athenas ij qui à Pachete misi fuerant peruenêre, Athenienses Salæthum uita priuarunt, licet pollicentem cùm alia quædam, tum uerò à Platæis (adhuc enim obsidebantur) se Peloponnenses abducturum. De reliquis autem cùm ad cõsilium relatum esset, præ indignatione censuerũt, non modò qui adessent, sed omnes etiam qui puberes essent Mitylenæorum interficiendos, impuberes uerò ac fœminas in seruitutem redigendos, dãtes crimini tum quod desciissent, cùm non ea conditione, qua cæteri, sub imperio forent, tum uel magis quòd naues Peloponnensium ad opem eis ferendam ausæ essent in Ioniam cum periculo ire, non enim subito cõsilio uidebantur desciisse. Mittunt igitur properè triremem nunciatum decreta Pacheti, imperatumq; ut Mitylenæos necaret. Postero die subit eos pœnitentia quędam, & facti reputatio, uisumq; sæuum ac uehemens decretum totam necare ciuitatem, potius quàm eos qui autores mali fuissent. Quòd ubi senserunt Mitylenæorum

Hippiæ occisio.

Pachetis gesta.

Salæthi cædes.

Atheniensiũ senatuscõsultum de necãdis Mitylenæis.

næorum legati,& qui eis ſtudebant Athenienſes additis primoribus,haud ægrè perſuaſerunt,ut de eo iterum ad conſilium referrent,quibus & ipſis notum erat maiorẽ ciuium partem uelle per aliquos ad ſe rurſus de re eadem referri.Coactaq; confeſtim concione,aliæ dicebantur à ſingulis ſententiæ.At Cleon Cleæneti filius, cuius euicerat pridie de occidendis ſententia, ciuis alioqui omnium uiolentiſsimus,& maximæ,ut illa tempeſtate,apud populum autoritatis,proceſsit iterum,atque ita uerba fecit:

Oratio Cleonis apud Athenienſes.

CVm ſæpe alias ego ſtatum popularẽ animaduerti inualidum eſſe ad alijs imperandũ, tum præcipuè nunc in ueſtra de Mitylenæis pœnitentia.Etenim quia ſecurè inter uos quotidie,& ſine inſidijs agitis,eodẽ modo erga ſocios affecti eſtis,& quicquid aut illorum oratione perſuaſi delinquitis,aut miſericordia ceditis, non ſentitis id ad ueſtrum periculũ pertinere,& ad nullam ſociorum gratiam uos emolliri:non conſiderantes imperium quod habetis,eſſe tyrãnidem,& eos qui parent,ad inſidiandum intentos, & inuitos parere:neq; ob id uobis dicto audientes eſſe,quòd læſi tamen eis ueniã datis,ſed quia uiribus ueſtris potius,quàm ipſorum beneuolẽtia ſuperatis.Pernicioſiſsimum autem ex omnibus eſt,ſi apud nos nihil eorum quæ decreueritis,ſtabile erit:nec intelligimus melius agi cum ciuitate,quæ malis legibus cõſtanter utitur,quàm cum ea quæ bonis,ſed inconſtanter:utilioremq; eſſe imperitiam cum modeſtia, quàm peritiam cum immodeſtia: ac tardioris ingenij homines adminiſtrare commodius plerunq; ciuitates,quàm ſolertioris.Nam hi tum legibus ſapiẽtiores uideri,tum ſemper excellere dicendo in cõſultatione Reipublicæ uolunt tanquam nulla ſit alia materia maior,ubi uim ingenij ſui oſtendant, unde in multas calamitates ciuitates incidunt.Illi ſuæ peritiæ diffidentes,non abnuunt ſe legibus eſſe imperitiores,& cùm inualidiores ſint,quàm ut benè dicentis orationem refellant,potius ex æquo ſunt iudices,quàm cõcertatores,ideoq; eis plerũq; feliciter cedit.Hunc in modum decet & nos facere,non facultate dicendi, & ſolertiæ contentione ſubnixos,ueſtræ multitudini aliter ac ſentimus ſuadere.Quod ad me attinet,in eadem ſententia ſum:eosq; miror, qui iterum retulerunt de Mitylenæis,ac tempus teri permittũt,rem illis commodiorem,qui iniuriam fecêre,quàm nobis. Nam ſic qui iniuriã accepit,remiſsius iram exercet,quàm ille qui fecit.In ulciſcendo cùm recentiſsima offenſa eſt,tum maximè par ſupplicium ſumimus.Miror quoq; eſſe (quiſquis is erit) qui contradicat,oſtendendumq; ſibi ducat iniurias quidem Mitylenæorum nobis utiles eſſe,detrimenta uerò non ad ſociorum calamitatem redundare.Nunc palàm eſt,aut fretum facultate dicendi con-

tendere,ut quod euidens sanè est,id è contrario ostẽdat esse incognitum,aut lucro euocatũ,conari uos exculta oratione seducere. Huiusmodi ex controuersiis ciuitatis alijs quidem emolumenta præbet,ipsa uerò in discrimen adducitur. Cuius rei penes uos culpa est,qui prauè instituistis ista certamina,quiq; cõsuestis esse uerborum spectatores, operum auditores:coniectantes ita maximè posse fieri futura, ut quisq; optimè dixerit:& ex iam factis non id certius existimantes esse quod ipsi uidistis,quàm quod audistis, deliniti pulchrorum commendatione uerborum.Itaq; faciles estis falli nouitate sermonis,difficiles animo ad exequẽdum quod probatum esset:serui semper ineptiarum,consueta fastidientes,& se potissimùm singuli cupientes posse dicere:sin hoc nequeatis,astipulantes ijs qui talia dicunt,ut eorum sequendo sententiã,non uideamini illis inferiores esse.Quinetiam alio aliquid acutè dicente, proni ad id quod dicitur laudandum,& ad significandum uos antequàm diceretur sensisse,cùm tardi sitis ad ea prouidenda quæ illinc sunt euentura,aliud quærẽtes (ut sic dicam) quàm ea quibus uiuitis.ne præsentia quidem satis intelligentes,prorsus uoluptate aurium capti,ac similes spectatoribus sophistarum,sedentibus potius,quàm de Republica consultantibus.A quibus ego uos conabor abducere,ostendens unam Mitylenæorum ciuitatem,præcipuam uobis iniuriam intulisse.Nam siqui quod aut imperium uestrum ferre nequeant,aut quod ab hostibus compellantur,desciscunt, ueniam do.Si uerò hi qui insulam tenent & urbem muris præditã,ubi non nisi à mari formidolosus est hostis noster,& ubi ipsi contra illũ non sunt indefensi,instructa iam classe liberi,prętereà & à nobis ante omnes in honore habiti,hoc egerint,quid aliud quàm insidiati sunt,inferentes potius bellum,quàm desciscentes à nobis?Defectio enim eorum est,quibus aliqua uis infertur. Captarunt quoq; per inimicissimos nostros nos perdere,quod indignius est,quàm si suis ipsorum uiribus nos bello petissent. Quibus nec calamitates uicinorum exemplo fuerunt,quicunque iam post rebellionem à nobis superati sunt:nec pręsens sua felicitas segnitiem attulit,ne in pericula uenirent:effectiq; ad futura audaces, maiore quidem spe quàm pro uiribus,sed minore quàm uoluntas fuit, bellum sumpserunt, anteferendam iusticiæ potentiam rati. Nulla enim iniuria lacessiti, ob id quo se superaturos arbitrati sunt,nobis arma intulerunt.Siquidem solet usu uenire in ciuitatibus,præsertim ijs quibus breui & insperato felicitas cõtigit,ut ad insolentiam conuertantur:& plerunq; quæ secundum rationem hominibus prospera eueniunt, stabiliora sint,quàm quæ præter opinionem. Faciliusq; propè dixerim esse propulsare aduersa, quàm tutari secunda.Decuerat autẽ iam olim Mitylenæos nihilo

peculiarius

peculiarius honore quàm cæteros à nobis affici.nam non eo petulantiæ proceſsiſſent.Et alioqui natura comparatum eſt,ut obnoxios ſibi quiſq; contemnat,non obnoxios admiretur. Plectantur itaq; nunc pro magnitudine ſceleris,neq; paucis culpam imputantes,populum abſoluatis.Cuncti nanq; nos pariter inuaſerũt:quibus liceret nunc,ſi ad nos confugiſſent,rurſus in urbe degere.Sed quia exiſtimarũt tutius periculum eſſe,ſi per paucos res ageretur, ipſi quoq; defecerunt.Reſpicite quinetiam ad ſocios:quorũ,ſi eaſdem pœnas infligatis & ijs qui coacti ab hoſte,& ijs qui uolũtarij defecerũt,quem tãdem fore exiſtimatis,quem non ad deficiẽdum quantulacunq; cauſa impellatis?cùm is ſi proſperè cedit,liber ſit:ſi minus,nihil intolerandum patiatur.Ex quo nos in omnibus urbibus periculum ſubibimus tum pecuniarum,tum corporum:& ſi urbem expugnauerimus,ea profligata,prouentibus per quos uires habemus, in poſterum carebimus:ſi non expugnauerimus, ipſos præter eos qui nunc ſunt hoſtes habebimus:& quo tempore nos oporteret aduerſus illos ſtare, in bello ſociali occupabimur.Non igitur cõuenit ſpem eis proponere aut ſermone perſuaſam,aut pecunijs emptam ueniæ conſequendæ,tanquam hominum more peccauerint.Non enim inuiti læſerunt,ſed ſcientes inſidiati ſunt.Quod circa uoluntatem fit,id dignum eſt uenia.Itaq; ego & tunc primùm repugnaui,& nunc ne decretorũ ueſtrorum uos pœniteat,repugno:neue tribus rebus imperio pernicioſiſsimis delinquatis,miſericordia,uoluptate,orationũ lenitate.Nam miſericordiam quidem ijs qui ſimiles ſunt,tribui iuſtum eſt, non ijs qui nec è diuerſo miſerentur,& neceſſariò ſe perpetuos conſtituerunt hoſtes.Oratores autem qui dicẽdo oblectant,habebunt alias minoribus in rebus dicendi certamen,non ubi ciuitas paululum oblectata faciat magnam iacturam,& ipſi ob benè dicta benè accipiantur.Lenitas uerò potius illis exhibeatur qui in poſterũ morigeri, quàm qui nihilominus hoſtes atque ijdem futuri ſunt ſi relinquantur.Atq; (ut ſemel omnia dicam) ſi mihi aſſenſi fueritis, quæ iuſta ſunt & utilia,circa Mitylenæos agetis:ſin minus,neque illis gratificabimini,& uoſipſos potius condemnabitis.Quippe ſi rectè iſti defecerunt,profectò uos non legitimè imperatis:ſin non legitimè,tamen cùm hoc agendum uobis cenſeatis,oportet uos præter ius de iſtis detrimentoſis ſupplicium ſumere,aut certè ab imperando deſiſtere,ac ſublato periculo,bonorum uirorum fungi officio.Refundatis agedum eandem in autores pœnam:oſtendatiſq; uos non minus exulcerato eſſe animo in ulciſcendo,licet euaſeritis,quam illi fuerunt inſidiando,cogitantes quæ'nam ipſi ſi uiciſſent,credendi ſunt fuiſſe facturi,qui præſertim iniuriam facere cœperũt.Qui enim nulla iniuria irritati ad lædendũ ueniunt,

Tria Reipublicæ pernicioſa.

ij etiam

ij etiam funditus perdũt, metu periculi quod eos maneat ab hoste, si eum superstitem relinquant. Quisquis enim à quo non oportuit læsus est, acerbior est (si euasit) in illum, quàm iustum in hostem. Nolite ergo uestri ipsorum fieri proditores, & animo quàm promè accedentes ad ea quæ passuri fuistis, sicut nihil præoptastis quàm ut eos caperetis, nunc talionem reddatis: non protinus ob præsentẽ statum emolliti, nec cladis quæ tunc uobis impendebat obliti. Plectite istos pro merito: pariter & cæteris socijs insigne præbete exemplum, quisquis desciuerit, eum à uobis morte multandum. Hoc enim si cognouerint, uos minus deposita hostium cura cum uestris ipsorum socijs, decertabitis: Hæc Cleon. Post quem Diodotus Eucratis filius, qui maximè in superiore cõcione contradixerat ne Mitylenæi necarentur, processit, atque ibi huiusmodi uerba habuit:

Oratio Diodoti dicentis sententiam Cleoni contrariam.

NEque illos ego qui de Mitylenæis iterum ad consilium retulerunt, accusandos puto, neq; illos laudandos, qui maximis de rebus sæpius consultari uetant. Statuoq; duo præcipuè contraria esse ad benè consulendum, celeritatem, & iram: Quorum alterum inscitè fieri amat, alterum temerè ac parum cõsideratè: & eum qui repugnat, quin res uerbis doceatur, aut amentem esse, aut putare sua aliquid interesse. Amentem quidem, si quo alio modo censet fieri posse, ut futura quæ latent, nisi oratione patefiant: Sua autem interesse, si uolẽs aliquid turpe persuadere, non arbitratur de eo se posse belle dicere, sed eos qui ex aduerso dicturi & qui audituri sunt, deterrere criminando. Verùm illi odiosissimi sunt, qui contradicentibus præiudicium aliquod corruptelæ opponunt. Nam si imperitia obijceretur, cuius sententia in senatu non uicit, pro imperitiore utiq; is, non pro iniustiore discederet. Obiecta uerò iniusticia, idem siue eius sententia uicit, suspectus fit: siue non uicit, iniustus habetur, non solùm inscitus. Ex quo etiam Respublica detrimento afficitur, deficientibus ijs hoc timore qui cõsultant, quasi melius cum ea ageretur, si tales ciues nulla facultate dicendi præditos haberet, quod ita minimum ad peccandum homines inducerẽtur. Porrò debet & ciuis bonus non absterrere alios à contradicendo, sed ex pari loco demonstrare se meliora dicere: & bene morata ciuitas nullo eum honore afficere, qui præ cæteris benè consuluerit, sed nec honorẽ quem ille habet imminuere. Item eum qui in consulendo inferior fuit, nullo dedecore, nedum supplicio, prosequi. Ita enim & is cuius sentẽtia probata est, quàm minimùm uel ad gratiam uel aliter ac sentit, quo plus honoris consequatur, loquetur: & is cuius sententia probatur, quàm minimùm concupiscet eadem ratione gratũ faciendo conciliare sibi multitudinem.

Quorum

Quorum nos contraria agimus, qui si quis de corruptione suspectus sit, etiam si optimè dicat, tamen inuidia lucri nondum explorati, exploratam ciuitatis utilitatem repudiamus. Nec dubiũ est, statim cùm audiuntur, non minus suspecta bona esse quàm mala. Ex quo oportet ut similiter & qui optima, & qui pessima ciuitati uult persuadere, dolo id & mendacio agat, nec possit ob has præstigias ex professo quippiam illi soli prodesse, nisi decipiat. Nam qui propalam dat boni aliquid, is in suspicionem uenit, ne clàm plus aliquid sit habiturus. Enimuerò decet nos qui ex hoc locô de rebus summis tanti momenti dicimus, longius prospicere, quàm uos qui ex propinquo consideratis: cùm præsertim nos rationem reddere oporteat consilij nostri, uos non oporteat uestræ auscultationis. Nam si is qui persuasit, & is qui persuasus est, æquè multarentur, profectò uos modestius iudicaretis. Nunc si quando destituti spe estis, unam persuasoris sententiam cum iracundia plectitis, non uestras ipsorum qui frequentes unà peccastis. Ego autem neq; cōtradicturus pro Mitylenæis processi, neq; quempiam accusaturus. Non enim de illorum facinore nobis certamen est, si sapimus, sed nobis de bene cōsulendo. Neq; eis, si nocentes planè asseruero, idcirco uitam adimi iubebo: neq; si qua uenia dignos, idcirco ueniam dari, nisi constiterit idem ciuitati cōducere. Quippe cùm existimem de futuro nos magis, quàm de præsenti consultare: & hoc quo Cleon præcipuè nititur, ad cohibendas in posterum rebelliones, utile esse pœnam proponi mortem, ego è contrario interpretor, ac melius aliter rem esse casuram: ac quæso ne præ istius ad persuadendũ apposita oratione, utilitatem meæ respuatis. Nam eius oratio cùm sit ad iusticiam propēsior, forsitan apud uestram quæ nunc in Mitylenæos iram est præponderet. Verùm nunc non disceptamus nos iudicio cum illis, ut de iure queri oporteat: sed de eis deliberamus, quemadmodum nobis sint utiles. Est quidem multis in ciuitatibus constituta mors pœna, non modò huiuscemodi criminibus, sed etiã minoribus: tamen spe solicitati homines, periculum adeunt, neq; unquam ad hoc aliquis accessit, qui opinaretur nequaquam insidias sibi successuras. & quæ ciuitas unquam non ideo defecit, quòd crederet se maiorem habere quàm habebat apparatum, uel suum, uel socialem: Ingenitum natura est omnibus, & priuatim & publicè delinquere. Nec ulla lex tanti est, quæ istud prohibere possit, cùm per omnia sit itum supplicia, si quo modo his terroribus homines à facinorosis minus læderentur. Nec ab re olim maximis sceleribus mitiores fuerunt pœnæ cōstitutæ. Harum pleræq;, cùm iam eas tempore transgredimur, in mortem redactæ sunt. Quam tamen & ipsam transgredimur, Itaq; aut aliquis isto uehementior inueniendus est terror, aut

ror,aut ne iste quidē coërcebit.Nempe huic ex necessitate inopia præbet audaciam,illi auariciam opes per insolentiam ac timorem, illis aliæ accidunt causæ.Impetu homines ut suo quisq; occupantur insanabili,& potētiore quàm ut reprimatur,in periculum deducuntur.Præterea plurimum officiunt spes ac amor:hic quidem dux,illa uerò comes:hic insidiarum uitandarū immemor,illa prosperitatem fortunæ suggerēs.Ex quo fit,ut quæ incerta sunt præmia,potentiora sint pœnis quæ subiectæ sunt oculis.Accedit his fortuna,quæ nihilominus ad euocandos animos pollet. Nam ex inopinato oblata aliquādo uel ex minoribus causis ducit aliquem ad periclitandū,nec minus ciuitatem,imò tanto magis,quanto de maioribus ei res est,deliberare de imperio propagando,& quisquis cæteris cum ciuibus iunctus insciè plus quiddā spei sibi proponit.Denique & impossibile,& ingentis uecordiæ est,credere quoties humana natura ad aliquid agendū concitata,impetu tendit,ulla prohiberi aut legum ui,aut alia difficultate. Quare non oportet nos neq; mortis pœna tanquam fideiussore cōfisós,de Mitylenęis cōsulere deterius,neq; ad desperationem illos qui defecerint impellere,tanquam eis pœnitere non liceat,neq; breuissimo tempore delictum eorum eluere.Considerate nanq; si qua nunc ciuitas quæ defecerit,norit non desperandā sibi à uobis salutē,eàm de se dedenda conditiones accepturam,adhuc habentē unde reddat uictoribus impensas belli,in posterum tributa soluat.At illo modo quam tandem putatis,quæ non & melius se quàm nunc fecit,ad bellum instruat,& obsidionē ad extrema perferat?An idem ualet diu pòst & confestim in deditionem uenire?Et nobis quomodo detrimētosum non sit,dum illi se dedere recusant,nos sumptus facere in obsidendo?Et si capimus,profligatam capere ciuitatem & emolumentis ex illa deinceps priuari,per quæ sumus nos hostibus pares?Quapropter non tanquam iudices debemus nos exactè de nocentibus sumere supplicium,sed cōsiderare quemadmodum in futurum rationem habeamus pecuniarum suppeditandarum,ex ciuitatibus moderatè multatis,nec custodire eas ex legum seueritate,sed ex operum sedulitate. Cuius rei nunc contrarium facimus:qui si quem liberum,sed ui alterius imperio subditum,& meritò repetentem deficiendo libertatem subegimus,truciter in eum putamus animaduertēdum.Oportet non ualdè plectere liberos homines quod rebellarunt,sed ualde custodire antequàm rebellent,& anteuertere ut ne ueniāt quidem in huiusmodi cogitationem:cumq; ceperimus,pro minima culpam hanc eis imputare.Animaduertite preterea quātopere sitis peccaturi,si Cleoni assentiamini.Nunc quidem singularum ciuitatum populus in amorem uestri propensus est,& aut non deficit cum potentibus,

Spes.

Amor.

Fortuna.

aut si

aut si deficere cogatur, cõtinuò defectionis autoribus infestus est. Ita ciuitatis illius uulgus uestri studiosum habentes, pergitis in bellum. Quòd si populum Mitylenæum occiditis, qui & tunc defectionis expers fuit, & ubi arbitrium armorum nactus est, ciuitatem tradidit, primũ in bene meritos eritis iniurij, deinde id quod maximè optant potentes, cõstituetis. Quippe ubi ad defectionem traxerint ciuitatem, protinus habebũt in partibus populum, proposita per uos eadem omnibus pœna, tam ijs qui deliquerunt, quàm ijs qui non deliquerunt. Qui si etiam deliquissent, dissimulandũ est, ut id quod adhuc nobis superest sociale, non fiat hostile: & hoc ipse multò utilius arbitror ad imperij conseruationẽ, nos iniuriam accipere non inuitos, quàm eos occidere quos non debemus. Neq; id quod Cleon ait reperietur, iustã ultionem eandemq; utilem esse posse. Vos uerò cùm intelligatis hæc meliora esse, nihil neq; misericordia neq; lenitate indulgẽtes, quibus ne ego quidem adduci uos sino, ex his quæ suasi mihi acquiescite: de ijs quos Paches tanquam noxios misit, per ocium iudicate, cæteros illic habitare permittite. Hæc enim & in posterum bona sunt, & hostibus iam formidolosa. Nam quisquis benè consultat, is contra hostes plus pollet, quàm qui temeraria ferocitate ad facta prorumpit. Talia Diodotus.

His sententijs dictis inter se maximè contrarijs, tamen res in controuersia fuit apud Athenienses: & cùm ad suffragia uentum est, parem utraq; sententia numerum tulit, & Diodoti superior fuit. Mittunt itaq; aliam è uestigio triremem, ne fortè non assecuta hæc priorem, quæ uno fermè die & una nocte præcesserat, extinctam offenderet ciuitatẽ. Instructa est autem nauis à Mitylenæis legatis & uino & hordeaceo pane: ipsiq; uiri promissis onerati, si alteram nauem præuerterent. Qui tanto studio nauigarunt, ut inter remigandum comederent panem uino oleoq; maceratum: & per uices alij somnum caperent, alij remigarent, nullo flatu (quod fortunatum fuit) aduersante. Ac priore naui non celeriter nauigante, utpote ad triste ministeriũ, hac uerò sic festinãte, illa tantùm præcessit, dum Paches decretũ legerit, & ad exequenda mandata se præpararet. Ibi posterior superueniens, ne ciuitas perderetur prohibuit. Adeò Mitylene prope periculum uenit. Cæteros aut quos Paches miserat, & præcipuos defectionis autores, ex Cleonis sententia Athenienses morte multarunt, numero paulò plures mille. Et muros urbis eorum demoliti sunt, & naues ademerunt, nec tributum postea Lesbijs imposuerunt: sed diuiso loco (pręterquàm Methymnæorum) in tria millia partium, dijs trecentas dedicauerunt: in cæteras colonos inter se sortiti miserunt, iussis Lesbijs in singulas partes eis pendere quotannis binas argenti minas, ut ipsi

Mitylenæorũ discrimen & multatio.

Lesbiorũ multatio.

colerent terram. Ademerunt præterea quæcunꝙ tenuerant oppida in cõtinente Mitylenæi, eaꝙ postea Atheniensibus paruerunt. Et apud Lesbum quidem ita res gestæ sunt.

Eadem æstate post receptam Lesbum Athenienses, duce Nicia Nicerati filio, cum copijs aduersus Minoam insulam ierunt, quæ ante Megara iacet, quaꝙ Megarenses (turri ibi extructa) pro præsidio utebantur. Volebat autem Nicias Atheniensibus illic custodiam esse breuiore spatio, & non in Budoro atꝙ Salamine: néue quoties Peloponnenses illinc proficiscerentur, laterent ipsorum triremes, quale prius contingerat latronum excursionibus: néue Megarensibus introire nauibus unquam liceret. Iam primùm igitur à Nisæa duas quæ prominebant turres machinis è mari expugnat, nauium inter illa & insulam accessum liberat: atꝙ id continentis qua pontem uersus per palustria mittebantur auxilia insulæ, non ita multũ distanti à continente, muro munit. Vbi hoc paucos intra dies confecit, mox relicto in insula apud murum præsidio, cum copijs rediјt. Per eadem huius æstatis tempora Platæenses cùm iam commeatum non haberent, nec expugnari possent, cum Peloponnensibus transegerunt ad hunc modum: Accesserunt illi ad muros urbis, eos isti ad propulsandum inualidi erant. Quorum imbecillitatem intelligens Lacedæmonius dux, noluit urbem ui capere, quippe cui ex Lacedæmone præceptum erat, ut si quando cum Atheniensibus conueniret, & utriꝙ ad reddenda oppida bello capta consentirent, non esse Platæam reddendam, tanquã sua sese sponte dedidisset. Mittit igitur ad eos caduceatorem qui diceret, nũquid se & urbem uellent ultrò Lacedæmonijs dedere, iudicesꝙ illos habere, de noxijs supplicium, de indemnato nemine sumpturos. Hactenus caduceator. Illi se & urbem (iam enim in ultima erant debilitate) dediderunt. Quos aliquot diebus pauere Peloponnenses, usꝙ dum ex Lacedæmone quinꝙ iudices aduenerũt. Illi ubi adfuerunt, nullam his accusationem proposuêre: tantùm accersitos percontati sunt, nunquid à bello moto de Lacedæmonijs ac socijs quippiã benè meriti essent. Hi respondentes, poposcerunt licere sibi longius dicere. Acceptaꝙ dicendi uenia, delecti ex eis Astymachus, Asopolai, & Lacon Aimnesti filius (cui publicum erat cum Lacedæmonijs hospitium) progressi, talia dixerunt:

Oratio Platæensium apud Lacedæmonios.

EQuidem Lacedæmonij uobis habentes fidem, nos deditionem urbis fecimus, non existimantes tale subeundum nobis esse iudicium, sed ciuile aliquod: neꝙ apud alios iudices, ut nunc est, quàm apud uos, & maximè de iure dispustãdum. Nunc autem ueremur, ne utraꝙ nos fefellerit opinio, Suspicamur enim meritò, & certamen

& certamen hoc nobis eſſe de uita, & uos non ex æquo ad iudicandum ueniſſe. Cuius rei ſignum eſt, quòd neq; ulla noſtri accuſatio quam debeamus refellere anteceſsit, ſed ipſi ut loqueremur popoſcimus: & interrogatio ueſtra perbreuis fuit. Ad quam uera reſponſio, cauſæ noſtræ inimica eſt: falſa, coargui poteſt. Vndiq; itaque ancipiti in conditione conſtituti, & cogimur, & tutius quàm tacere, arbitramur, aliquid dicendo periclitari. Etenim id quod dici potuit, ſi dictum non eſt, fodicat mentem eorum qui in hoc caſu poſiti ſunt, tãquam ſaluti tunc futurum, ſi dictum fuiſſet: & nobis præter cætera arduum eſt perſuadere uobis. Nam ſi ignoti eſſemus, afferendis teſtimonijs quorũ eſſetis ignari, haud dubiè proficeremus. Nunc apud ſcientes omnia loquemur, ueriti non quidem ne iam ſcientes noſtras uirtutes eſſe ueſtris, hoc nobis crimini detis, ſed ne ad aliorũ gratiam iudicium ſubeamus iam peractum. Nihilo tamen minus quid iuris & aduerſus ſimultatem Thebanorum & erga uos cæterosq; Græcos habeamus, exhibebimus ac perſuadere conabimur, noſtra benefacta recenſentes. Etenim quod ad breuem orationem pertinet, nunquid hoc bello de Lacedæmonijs ſocijsq; bene meriti ſimus, dicimus, ſi ut hoſtes interrogamur, non feciſſe uobis iniuriam, quod nullo uos beneficio affecimus: ſint ut amicos, noſtra ſententia uos peccaſſe potius bellum nobis inferentes. At in pace quod eam nunc nos priores non rũpimus, & aduerſus Medum quod ſoli ex Bœotijs tunc ad uos acceſſimus, pro Græciæ libertate boni fuimus. Siquidem cùm mediterranei ſimus, tamen apud Artemiſium prælio nauali pugnauimus: & dum in agro noſtro dimicatum eſt, uobis ac Pauſaniç affuimus: & ſi qua alia per id tempus cum diſcrimine ſunt à Grçcis geſta, eorum nos omnium participes ſupra uires extitimus. Vobis quoq; ſeparatim Lacedæmonij, cùm maximus Spartam terror circunſtetiſſet, poſt terræmotum facta in Ithomen mancipiorum fuga, tertiam ex nobis ipſis partem auxilio miſimus. Quarum rerum nefas eſt excidere memoriam. Et talem quidem priſcis temporibus operam eamq; optimam nauauimus. At hoſtes poſtea fuimus. Vos in culpa, qui nos ſocietatẽ obſecrantes, cùm à Thebanis angeremur, reiecistis: utq; ad Athenienſes tãquam uicinos confugeremus, iuſſiſtis, cùm ipſi longinqui eſſetis. In bello itaq; nihil indignum à nobis neq; fuiſtis, neq; paſſuri. Quòd ſi ab Athenienſibus ueſtro iuſſu deficere noluimus, haud iniurium eſt. Etenim cùm nos illi contra Thebanos, dum uos pigebat, adiuuerint, prodere eos honeſtũ non erat, præſertim quos in ſocietatem precibus adduxiſſemus, à quibus beneficia, à quibus ius ciuitatis accepiſſemus. Ex quo decuit, quæcunq; nobis illi præcepiſſent, nos ſtrenuè exequi. Quæ uos duces cum ſuis utriq; ſocijs egiſtis, ſi quid non probè egiſtis,

facti culpa non penes illos eſt qui ſecuti ſunt, ſed penes eos qui duces ad praue agendum extiterunt. Thebani cùm alias multas iniurias nobis intulerũt, tum uerò poſtremã hanc, quę (ut noſtis) horũ cauſa eſt quæ patimur. Nam cùm urbem noſtrã fœderum tempore & die ſolenni cepiſſent, meritò eos ſupplicio affecimus ſecundũ cõmunem omnium legem, quę ſanxit hoſtem multari licere à quo inuadaris: propter quem multatũ, nũc haud rectè nos plectimur. Nam ſi iuſticiam præſenti utilitate ueſtra, ex illorum cõmilitio metiemini, profectò non religioſos uos iudices eſſe declarabitis, & cõmodo magis quàm honeſto inſeruire. Quòd ſi uobis iſti nunc utiles uidentur eſſe, certè multò nos magis ac reliqui Græci tunc utiles extitimus, cùm in maius eſſetis diſcrimen adducti. Nunc enim uobis ad alios inuadendos animi uireſꝗ adſunt. At eo tempore Barbarus ſeruitutem omnibus Græcis imponebat, dum iſti cum illo fuerunt: ut iuſtum ſit, huic noſtro peccato (ſi quid peccauimus) opponi noſtrum quo tũc erga uos fuimus ſtudium, quod ipſo peccato maius eſſe reperietis: & eo magis, quòd ea tempeſtate rari fuerunt è Græcis, qui uirtutẽ obijcerent ſuam uiribus Xerxis: laudatiꝗ potius ſunt, qui dum inuaderentur, non habuerunt rationem utilitatis tutelæꝗ ſuæ, malẽtes cum periculo audere pulcherrima: ex quibus nos fuimus, & quidem præcipuo honore affecti. Quo nomine nunc ne pereamus ueremur, ſecuti potius Athenienſes iuſtè, quàm uos utiliter. Enimuerò decet idem de eiſdem rebus uos ſentire pariter & declarare, nec utilitatem re ulla alia metiri quum ſi bonorum ſociorum uirtuti firma ſemper gratia referatur, & nobis quum ad tempus operam nauauimus, ea fiat utilis in perpetuum. Conſiderate quoꝗ nũc à pleriſꝗ uos Græcis exiſtimari probitatis eſſe uirtutiſꝗ exemplar. Qui ſi de nobis iniquam tuleritis ſententiam, uidete (non enim occultè hanc cauſam iudicabitis) ne factum ueſtrum non probetur, qui de nobis bonis uiris, ipſi meliores indecens aliquid ſtatueritis, & hominum de Græcia bene meritorum ſpolia publicis in templis reponatis. Et ſanè indignum uideatur, uos Lacedæmonios euertere Platæas, quam urbem patres ueſtri uirtutis ergô in tripode Delphico inſcripſerũt, & ex omni Græcia prorſus delere propter Thebanos. Eò nanque calamitatis deuenimus, ut & perituri fuerimus ſi Medi uiciſſent, & nunc apud uos, prius amiciſſimos, ſuperemur à Thebanis: duaſꝗ difficultates maximas ſubeamus, tunc quidem fame pereundi, niſi nos urbemꝗ dederemus, nunc autem capitis cauſam cendi. Et ab omnibus Platæenſes ſumus abiecti, deſerti, inhonorati: qui ſupra uires fuimus ſtudioſi Græcorum, neque eorum tunc ſociorum quiſquam nobis eſt auxilio: etiam ne uos Lacedæmonij, unica ſpes noſtra, parum firmi ſitis, extimeſcimus. Quos

precamur

precamur in honorem & tunc ſocialiũ deorum, & noſtrorum in Grȩcos officiorũ, flectamini: & ſi quid à Thebanis perſuaſi eſtis, à ſentẽtia recedatis, repoſcatisq; uiciſſim illos gratiã ueſtram de nobis occidendis, quos minimè debetis: ſpecioſam gratiã pro turpi reddentes, nec in præbẽda alijs uoluptate, dedecus ipſi accipiatis. Nam in promptu eſt uobis corpora noſtra morte multare, ſed arduum eius facti infamiã abolere, quòd nos iniquo ſupplicio afficiatis, homines uobis amicos, nõ inimicos, etſi neceſſitate hoſtes. Itaq; ſi nobis metũ mortis eximetis, innocenter iudicaueritis: illud ante omnia cogitantes, in ueſtram nos poteſtatem ueniſſe uolũtarios, ac manibus paſſis, cuiuſmodi homines Græciæ ritus occidi uetat. Prȩterea de uobis perpetuò nos eſſe benemeritos. Intuamini nanque ſepulchra patrum ueſtrorum, quos à Medis interemptos, & in noſtra terra ſitos, quotannis publicè honeſtamus cùm alijs inferijs, tum uerò indumentorum apparatu: & quoſcunque noſtrum ſolum fert fructuum primitijs iuſta ſoluentes, uiri ex amica uobis regione & beneuoli, aliquando ſocij ueſtri ac commilitones. Quibus uos è contrario facitis non rectè ſentiẽtes. Conſiderate enim: Pauſanias quidem qui illos ſepelijt, ſepelijt tanquam in terra amica & apud amicos. Vos autẽ ſi nos occideritis, agrumq; Platæenſem Thebanum feceritis, quid aliud quàm patres ueſtros atq; cognatos, ij quibus nunc afficiuntur honoribus exutos, relinquetis in terra hoſtili, & apud ipſos interfectores? Inſuper ſolùm in quo Græci ſeruitute liberati ſunt, in ſeruitutẽ redigetis: delubra deûm apud quæ conceptis uotis illi Medos ſuperarunt, deſerta patiemini: primas aras eorum qui hæc condiderunt ædificaruntq;, tolletis, rem profectò Lacedȩmonij, indignam ueſtra gloria, indignam publicis Græciæ inſtitutis, indignam progenitorum memoria, indignam beneficijs noſtris, ut alienæ inimicitiȩ gratia, nihil ipſi læſi nos occidatis: cùm dignum ſit ut ueniam detis, ut animo frangamini, ut modeſta capiamini miſericordia: cõſiderantes non ſolùm qualia, ſed quales ſimus acerba paſſuri, & ipſum calamitatis incertum quandoque accidere etiam immerenti. Vos itaq; prout debemus, & prout neceſſitas cogit oramus, implorantes eorundem altarium & Græciæ & communes deos, ut nobis hæc allegantibus aſſentiamini: ne iuſiurandũ quod patres ueſtri iurarunt, obliuiſcamini, per quorũ ſepulchra ſupplicamus, inuocãtes etiã eos uita defunctos, ne ſubijciamur Thebanis, neue amiciſſimi ueſtri inimiciſſimis noſtris tradamur, illũ uobis in memoriã redigẽtes diem, quo cùm prȩclariſſima cum patribus ueſtris geſſerimus, hodie duriſſima quȩq; pati periclitamur. Sed quoniã hominibus in hãc cõditionem poſitis, ut neceſſariũ, ita triſtiſſimum eſt finẽ loquendi facere, quia cũ fine loquẽdi finiri uita periclitatur, loqui ceſſantes, adhuc

loquimur, ciuitatem nos urbemq́ tradidiſſe non Thebanis (præoptaſſemus enim, quàm hoc, turpiſsima nece fameq́ interire) ſed uobis, fidem uobis habentes. Quòd niſi exoramus, iuſtum eſt in eadem nos unde proceſsimus reſtitutos, ſini quodcunq́ periculũ deligere: hoc etiam admonentes, ne Platæenſes homines Græcorum aliquando ſtudioſiſsimi, ex ueſtris manibus, Lacedæmonij, eq́ ueſtra fide, & ueſtri ſupplices, Thebanis capitaliſſimis inimicis prodamur, ſed noſtræ ſalutis autores ſitis: ne qui cæteros Græcos uindicatis in libertatem, ijdem nos extinguatis.

Et talia quidem dixêre Platæenſes. Thebani autẽ ueriti ne quid ob hæc Lacedæmonij concederent, proceſſerunt, & ſe quoq́ orationem habere uelle dixerũt, quoniam ipſorum opinione longior eſſet data uenia reſpondẽdi illis ad interrogationem. Vbi loquendi facta poteſtas eſt, ita exorſi ſunt:

Oratio Thebanorum contra Platæenſes.

EQuidem dicendi partes haudquaquam poſtulaſſemus, ſi iſti & breuiter ad interrogata reſpondiſſent, nec in nos conuerſi crimina obieciſſent, nec ſeipſos præter rem tum excuſaſſent nemine accuſante, tum laudaſſent nullo detrahente. Nunc autem oportet ea nos partim negare, partim coarguere, ne ipſis & ſua iactãtia, & noſtra proſit inertia. Vos uerò auditis utriſq́, quid ueri ſit iudicabitis. Iam primùm cur horum aduerſarij facti fuerimus, hinc extitit, quòd cùm Platæam ex omni Bœotia poſtremam condidiſſemus: aliaq́ cum hoc oppida, quæ conuenis exterminatis obtinuimus, iſti noſtrum imperium quemadmodum à principio fuerat conſtitutum dedignabantur, ſoli omnium Bœotiorum tranſgreſſi patria inſtituta. Ad quę cuſtodiẽda cùm cogerẽtur, ad Athenienſes defecêre, cumq́ illis nos permultis iacturis affecêre, quarum & talionem acceperunt. At poſtquàm Barbarus Græciam inuaſit, aiunt ſe ſolos ex Bœotijs non ſenſiſſe cum Medis: & in hoc præcipuè tum ſe iactant, tum nobis cõuiciantur. Nos uerò fatemur eos non ſenſiſſe cum Medis, quia nec Athenienſes: uerùm cum eadẽ ratione tenderẽt Atheniẽſes aduerſus Gręcos, dicimus uos ſolos ex Bœotijs ab Athenienſibus ſtetiſſe. Atq́ id quo pacto utriq́ fecerimus, conſiderate. Noſtra quidem ciuitas ea tempeſtate neq́ per legitimum paucorum principatum, neq́ per popularem ſtatũ adminiſtrabatur: ſed (quòd legibus ac ciuitati infenſiſsimũ eſt, proximeq́ ad tyrannidem accedit) potentia paucorum, qui ſuas facultates fundandi ſpe, ſi Medus rerum potiretur, ui plebem coërcentes Barbarum induxerunt. Quod certè ciuitas uniuerſa non fecit, neq́ tunc ſui arbitrij, ut dignum ſit exprobrare ei quòd non ſaluis legibus peccauerit. At ubi poſt Medi diſceſſum leges recepit, conſiderare oportet, cùm poſtea Athenienſes inuaderent Græciam,

& ſuæ

& suæ ditioni nostram regionem subijcere conaretur, eiusq; propter intestinas discordias bonam partem subiecissent, an non nos pugna ad Cheroneam commissa, uictores Bœotiam liberauerimus? & nunc libenter aliam Græciam cum cæteris liberamus, tantum equorum copiarumq; præstantes, quantum nulli sociorum. Atq; hæc hactenus de purgando crimine, quod cum Medis sensimus. Quod autem uos magis Græciam læseritis, ac digniores sitis omni supplicio, tentabimus ostẽdere: Extitistis, ut dicitis, ad nos ulciscendos Atheniensium socij atq; cõciues. Oportebat ergo uos duntaxat aduersum nos, non etiam aduersus alios illis præstare comitatum: cùm præsertim, si quo ab ijs inuiti ducebamini, præstò Lacedæmonij essent, societate uobis cum istis iam inde contra Medum cõtracta, quam ipsi tantopere allegatis: quæ satis erat ad nos arcendos ab inferenda uobis iniuria, & ad uestræ prorsus securitati consulendum. Sed nimirum uolentes non coacti, iam partes Atheniensium elegistis. Et postea dicitis deforme futurum fuisse, prodere bene meritos: imò deformius fuisset uniuersos prodere Græcos, cum quibus coniurastis, quàm solos Athenienses: illos Græciam liberantes, hos in seruitutem redigentes: quibus non æquam uos gratiam retulistis, nec à dedecore alienam. Quippe iniuria lacessiti, ut dicitis, illos asciuistis: & eisdem in facienda alijs iniuria uos socios præstitistis. Et sanè minus turpe est similem gratiam non reddere, quàm eam quæ cum iustitia debetur, per iniusticiã reddere. Ex quo declarastis uos solos ex Bœotijs, non Græcorum causa non stetisse à Medis, sed quia nec Athenienses steterunt, eadem quæ illi facere uolentes, contraria quæ cæteri Græci. Et nunc ab ijs cõtra quos pro alijs strenui extitistis, exigitis ut uobis prosint. Verùm nequaquam est æquum, sed quemadmodum Atheniẽses elegistis, sic ab eis adiuuemini: nec allegetis illius temporis coniurationem, tanquam nunc ob illam uos liberari oporteat, cuius desertores præuaricatoresq; eratis, & Æginetas aliosq; quosdam cõiuratorum magis unà in seruitutẽ redigebatis quàm redigi prohibebatis. Et hæc neq; inuiti, utpote saluis legibus quas in hunc diem habetis, neque, sicuti nos, ab aliquo coacti. Nouissimam quoq; antequàm muro concluderemini exhortationem, ne essetis in partibus, sed in ocio, admittere recusastis. Qui'nam igitur sunt apud omnes Græcos uobis odio digniores? qui in illorum perniciem strenui maluistis esse, & ea in quibus aliquando boni extitistis, ut fertis, nequaquam uobis natura conuenire indicastis, & quæ natura uestra semper uolebat, ea ueritate ipsa redarguta sunt. Nam cum Atheniensibus iniquum ingredientibus iter, perrexistis. Hactenus quæ pertinebant ad ostendendum, & nos inuitos à Medis, & uos ab Atheniensibus uoluntarios stetisse. Quod

autem ad extremum dicitis uobis iniuriam factam, quod nefariè nos ſtantibus fœderibus & die ſolenni, ad urbem ueſtram acceſſerimus, ne in hoc quidem nos magis quàm uos delinquere exiſtimamus. Nam ſi dum ad urbem ueſtrã uenimus, oppugnaſſemus uos, agrumq́; hoſtili more uaſtaſſemus, iniurij nimirũ fuiſſemus. Sin uerò quidam ex uobis tum opibus, tum genere primores, quod uellent uos ab externa ſocietate deſinere, & ad communia Bœotiorum omnium redire iura, nos ultrò accerſierunt, quid tandem iniuriæ fecimus? Qui enim ducunt, potius quàm qui ſequuntur, delinquũt. Quanquam nec nos nec illi (ut noſtra fert opinio) deliquerunt. Quippe ciues ut uos, & qui pluribus quàm uos rebus periclitabantur, ſuas ipſorum portas aperuerunt: & in ſuam urbem intromittentes amicè nos, non hoſtiliter, uolebant eos qui ex uobis peiores eſſent, non amplius malos eſſe: & qui boni, quæ merentur obtinerent: moderatores ipſi ueſtrarum mentium, non corporum exterminatores è patria: ſed redintegrãtes in priſtinam neceſſitudinem, ne ulli uos hoſtes eſſe, ſed cum omnibus æqualiter fœderatos reddere uolentes. Cuius rei ſignum eſt, quòd neq; hoſtiliter egimus, ſiquidem nemini uis illata à nobis eſt, & ediximus, ut quiſquis ſecundum communes Bœotiæ ritus degere uellet, ad nos tranſiret. Vos quoq; libenter trãſiſtis, ac pactione inita initio quieuiſtis. Sed poſtea cùm nos paucos eſſe cognouiſſetis, non paria nobis (ſi quid inhumane uidebamur egiſſe) reddidiſtis: qui cum multitudine ingreſſi, non oratione nos inducendo ut exiremus, à nouitate operis ſuperſediſtis, ſed contra pactionem in nos cuncti irruiſtis. Et quos quidẽ pugnantes occidiſtis, eos haud ita ſanè deſideramus. Nam iure quodam id paſſi ſunt. At quos & uiuos, & manus protendentes cepiſtis, quosq; ſpopõdiſtis nobis nequaquã uos interfecturos, eos nefariè interemiſtis. Opus quid ni nefarium, immane, & ter iniquũ: idq; breue intra ſpatium, tum ſoluendo pactionem, tum uiros poſtea occidendo, tum illos non iri occiſum, ſi nihil agros ueſtros læderemus, mendaciter pollicendo? Et tamen dicitis nos præter ius agere, & uos eſſe qui pœnam detis, indignos: minimè uerò, ſi rectè iſti iudicabunt: imò dignos qui ob iſta omnia pœnas detis. Atq; hæc nos Lacedæmonij & ueſtra & noſtra cauſa commemorauimus, ut & uos ſciatis hos à uobis meritò condemnatum iri, & nos etiam iuſtius à nobis eos fuiſſe punitos. Neq; uerò priſca iſtorum decora, ſi qua extiterunt, audientes uos frangant, quæ iniuriã quidem patientibus debent eſſe præſidio, ijs uerò qui aliquid turpitudinis admiſerũt, duplicare ſupplicium, quoniam nulla rationali cauſa peccauerunt. Neq; lamentis aliquid ac miſeratione proficiant, implorantes patrum ueſtrorum ſepulchra, & ſuam ſolitudinem deplorãtes. Nam multò

triſtiora

tristiora nos passam ostendimus nostram iuuẽtutem, quæ ab istis trucidata est, cuius partes partim in Coronia, cùm ad uos Bœotiã ducerent, mortem oppetierunt, partim in senio filijs orbati, apud desolatas domos longè iustioribus uos precibus obsecrant, ut de istis sumatis supplicium, quia ex omnibus ij dignissimi sunt misericordia, qui indignum aliquid passi sunt. Et è contrario, ij à quibus indignitas uenit, digni sunt quorum calamitatibus gaudeamus: quales hi sunt sua ipsorum nunc culpa deserti, qui meliores socios libenter repudiauerunt, quiq; nihil à nobis læsi, læserunt magis odio quàm causa iudicantes. Adeò minores, quàm pro merito nunc pœnas dabunt. Nam legitimè punientur. Neq; uerò (ut aiũt) manus in pugna protendẽtes, sed ex pacto sese in iudiciũ tradiderunt. Quæ cùm ita sint, Lacedæmonij, & legi quam isti uiolarunt subuenite, & nobis qui passi sumus iniusta, iustam gratiam reddite eorum quæ gnauiter gessimus, neq; istorum uerbis apud uos repulsam feramus. Addite Græcis exemplum, non uerborum uos, sed rerum proponere certamina. Res si bonæ fuerint, breui commemoratione cõtentæ sunt. Compti autem modulatiq; sermones peccatis uelamenta prætendunt. Quòd si illi penes quos arbitriũ est, ut nunc penes uos, contractis in summa dubijs, cunctos semel interrogarent, minus captaret aliquis in turpibus rebus pulchros sermones. Hæc Thebani.

Lacedæmonij tamen statuerunt suam sibi interrogationem rectè processuram, nunquid de ipsis belli tempore Platæenses benè meruissent: quoniam prope æquum censebant, illos ex uetustis Pausaniæ legibus reliquo tempore quieuisse, donec oblata est cõditio, ut in medio essent priusquàm muro uallarentur. At ubi repudiata conditio est, tum uerò ob suam uolũtatem æquam se iam nullo cum illis fœdere teneri: deq; se male meruisse illos rati, rursus eodem modo productos singulos percontati sunt, Nunquid eo bello de Lacedæmonijs socijsq; bene meriti essent. Cùm nihil dicerent, illinc abductos interfecerũt excepto nemine: Platæensium quidem non pauciores ducentis: Atheniensium uerò qui unà obsessi fuerant, quinq; & uiginti, fœminis in captiuitatem abductis. Vrbem autem Megarensibus propter seditionem domo profugis, & reliquis Platæensibus qui cum illis senserant, Thebani incolendam dederunt. Anno uertente, demoliti illam ad solum à fundamentis totam, prope Iunonis templum extruxerunt diuersorium, quoquo uersus ducenum pedum circundatum domicilijs, supra infraq; sumptis ad hunc laquearibus ac ianuis Platæensium, alijsq; quæ ex auro & ferro, muros prætexuerant: atq; id lectis cõstructis Iunoni dedicauerunt, eidemq; templum ex lapidibus centum pedum ædificauerunt. Agrum publicatum ad decem annos

Platæensium cædes.

Platæarum demolitio.

Iunonis templum.

locatum coluêre Thebani, nonnihil & propémodum omnino Lacedæmonij Thebanorum gratia, qui auersi à Platæensibus fuêre, existimantes bello quod iam tum excitatum erat, perutiles illos fore. Hunc finem habuerunt quæ gesta sunt ad Platæam nonagesimotertio anno quàm Platæenses inierunt cum Atheniensibus societatem.

Quadraginta autem Peloponnensium naues, quæ Lesbo uenerant auxilio, postquàm per pelagus persequentem Atheniensium classem fugientes, prope Cretam tempestate iactatæ illic palantes Peloponnesum tenuerunt, offendunt apud Cyllenen triremes tredecim Leucadiorum Ambraciorumq́, cum Brasida Tellidis filio Alcidæ cõsiliario, qui illuc superuenerat. Habebant enim in animo Lacedæmonij, quoniam eos Lesbus fefellisset, adauctam classem mittere in Corcyram seditione laborãtem, cùm duodecim omnino naues Atheniẽsium ad Naupactum essent. Vtq́ id prius quàm Athenis plures subuenirent, Brasidas & Alcidas occuparent, instructi erant.

Corcyrensium intestinæ discordiæ.

Etenim Corcyrenses intestinis agitabantur discordijs, ex quo ad eos uenerãt ij qui pugna nauali ad Epidamnum capti domum à Corinthijs remissi fuerant, uerbo quidem ob octoginta talenta, quæ Corcyrensium hospites pro ipsis fide iusserant: re autem, ut Corinthijs Corcyram ab eis persuasi subijcerent. Et solicitantes isti singulos ciues, nitebantur ab Atheniensium societate abducere. Cumq́ Attica nauis & item Corinthia uenisset, utraq; cum legatis, ac uentum in colloquium esset, censuêre Corcyrenses, Athenienses quidẽ ex conuentis socios esse, Pelopõnenses uerò quemadmodum prius amicos.

Pithiæ accusatio.

Siquidem Pithias qui præerat ciuitati, uoluntarius erat Atheniensium hospes. Eum homines illi in iudicium uocant, ponentes in crimine, quòd Corcyram subigeret Atheniensibus. Absolutus hic inuicem reos facit quinque ex eis maximè locupletes, quòd diceret illos præcidere uallos è Iouis phano & Alcina: quorum pro singulis singuli stateres erat pœna constituta. Quam pœnam cùm soluere deberent, & ob eius magnitudinem apud templa sederẽt supplices, ut multa soluenda modificaretur, Pithias suadebat alijs (ad hæc enim senator erat) ut lege uterentur. Illi quandoquidem lege compellebantur, & simul audiebant Pithiam quoad senator esset, multitudini suasurum, ut eosdem amicos hostesq́ duceret, quos Athenienses, facta manu

Pithiæ cædes.

arreptisq́ pugionibus repentè in senatum irrumpunt, ac Pithiam obtruncant, & aliorum tam senatorum quàm priuatorum ad sexaginta. Pauci eorum qui cum Pithia sensẽrãt, ad Atticam triremem quæ adhuc aderat, effugiũt. Hac illi re perpetrata, conuocatis Corcyrensibus, inquiunt optimè sic habere se rem, & minimè redigi iam eos posse ab Atheniẽsibus in seruitutem: quod reliquum est,

neutros,

neutros, nisi pacifici cum singulis ueniant nauibus, recipiendos: si cum pluribus, pro hoste habendos. Vbi hæc dixerũt, & ad ea decernenda adegêre populum, statim legatos Athenas mittunt, qui & rem gestam doceant, tanquam ita fuerit opus facto: & eis qui illuc confugissent persuadeant, ut nihil inconueniens agerent, ne quid turbaretur. Hi cùm Athenas peruenissent, tanquam res nouas molientes, & ij quoscunque persuaserãt, ab Atheniensibus comprehensi sunt, & apud Æginam in custodiam habiti. Interea Corcyrensium optimates, sub aduentum Corinthiæ triremis, legationisque Lacedæmoniorum, populum adorti sunt, ac pugna commissa uicerunt: noctisque interuentu, in arcem populus atque urbis superiora confugit, ibique frequentes cõmunito loco, portum Hyllaicum tenebant. Victores forum ceperũt, ubi permulti ipsorum habitabant: & portum qui in forum & in continentem spectat. Postero die nõnihil inter eos missilibus certatum est, & ab utrisque in agros missum ad solicitanda seruitia sponsione libertatis. Sed ad societatem potius populi, multitudo seruitiorum se contulit. Ad alteros uerò octingenti è continente auxiliares. Atque uno die interiecto, commissa iterum pugna populus uicit, tum locorum ui, tum hominum numero superior, fœminis quoque eum adiuuantibus, quæ audacter & supra sexum sustinentes tumultum, tegulis hostem è domibus feriebant. Facta sub crepusculum fuga, ueriti optimates ne sublato clamore, ipso impetu aduersarij naualia occuparent, & se occiderent, circumiectas foro domos & illis contiguas, ne qua in eos fieret impressio, incendunt, neque suis neque alienis parcentes. Itaque ingentis pecuniæ res negociatorum sunt concrematæ: uenissetque in periculum urbs ne tota absumeretur, si uentus flammæ urbem uersus ingruisset. Vbi à pugna utrinque cessatum est, quieti noctem in custodia egerunt: & quia populus uicerat, nauis Corinthia clandestina discessit: itemque auxiliariũ plerique latentes hostem, se in continentem receperunt. Postera luce Nicostratus Diotrephis filius, Atheniensium dux, ex Naupacto ad opem ferendam uenit cum nauibus duodecim, quingentisque Messeniorum armatis. Atque quo in cõcordiam reducat, persuadet ut inuicem concederent decem uiros ad condemnationẽ, qui præcipui malorum autores extitissent (qui tamen iudicium non expectarunt) cæteri urbem habitarent, icto inter se & cum Atheniensibus fœdere, ut eosdẽ pro amicis, eosdem pro hostibus haberent. Hæc cùm transegisset, abiturusque esset, egerunt cum eo primores populi, ut quinque ex suis naues ipsis relinqueret, quo minus altera se factio mouere posset, totidem ex seipsis explerẽt, ac cum illo mitterent. Quo obsequente, suos aduersarios in naues deligebant. Sed illi extimescentes ne Athenas ablegarentur, in templo Pol-

lucis &

Corcyrensium intestina pugna.

Fœminarum Corcyrensium uirtus.

Pollucis & Caſtoris templũ.

lucis & Caſtoris ſederunt, Nicoſtrato excitante eos ac cõſolante, ſed fruſtra. Itaq; populus hac ratione, tãquam nihil ſani cogitarent diffiſi cum Nicoſtrato nauigare, omnia è domibus illorum arma ſummouet: & nonnullos (ut quiſq; incidebat) obtruncaſſet utiq;, niſi Nicoſtratus prohibuiſſet. Quod fieri cernentes alij, conſederunt in templo Iunonis ſupplices, non pauciores quadringentis. Cæterùm ne quid ab ijs innouaretur ueritus populus, perſuaſos erexit, & in inſulam, quæ è regione templi Iunonis eſt, transportauit: quæq; ad uſum uitæ erant, mittebat. Cùm in hoc ſtatu ſeditio eſſet, quarto quinto'ue à tranſportatione in inſulam die, naues Peloponnenſium ex Cyllene ueniunt, ſtatione illic habita poſt reditum ex Ionia, numero tres & quinquaginta, duce Alcida, ut prius, ſocio conſiliorum Braſida. Ingreſſæq; portum Sybota, qui eſt in continente, ſub exortum auroræ in Corcyram tendũt. Hic magno tumultu trepidãtes oppidani, tum circa res urbanas, tum circa hoſtium aduentum, ſexaginta pariter inſtruunt naues: & ut quanq; expleuerãt, in occurſum hoſtiũ mittunt, Athenienſibus ut ſe priores exire ſinerent, illiq; poſtea cum omni claſſe ſuccederẽt, hortantibus. Vbi ſparſim euntes hoſtibus uicinæ fuernnt, duæ protinus ad illos tranſeunt. In cæteris hi qui erant Corcyrenſes, inter ſe præliabantur nullo ordine, ſed omnia tumultuoſe agẽtes. Conſpicati id Peloponnenſes, duodecim in hos naues dirigunt, reliquas in duodecim Atticas, quarũ duæ erant Salaminia & Parala. Et Corcyrenſes quidem & membratim & incompoſitè concurrentes, à ſeipſis profligabantur. Athenienſes uerò timentes hoſtium multitudinem, neue circumuenirentur, non in cõfertas, neq; in earum medium quæ ex aduerſo inſtructæ erant, incurrunt: ſed in cornu impactæ, unam nauem demergunt: deinde in orbem digeſtæ, hoſtem circumeundo turbare conabantur. Quo cognito, qui aduerſus Corcyrenſes erant, timore perculſi ne idem quod ad Naupactum contingeret, auxilio ueniunt: addenſatæq; omnes pariter in Athenienſes dirigũt curſum. Illi iam retrò euntes, ſe ſubducebant, uolentes & dum ipſi lentè retrocedũt, & hoſtes ex aduerſo inſtructi ſunt, fugam occupare Corcyrenſes. Taliſq; pugna in ſolis occaſum extracta eſt. Corcyrenſes ſuſpicati in ſe urbem'ue hoſtem ut uictorem uenturum, aut ex inſula uiros recepturum, aut aliud quippiam noui moliturum, ſumptos illos ex inſula, reportant iterum in delubrum Iunonis, urbemq; cuſtodiũt. Hoſtis quanquam uictor, tamen non auſus urbem petere, cum tredecim quas ceperat Corcyrenſium nauibus, in continentem unde profectus fuerat conceſſit: nihiloq; magis poſtero die auſus, etſi perturbata uehementer ac trepida ciuitate: quamuis Braſida (ut fertur) Alcidam adhortante, cùm numero ſententiarum eſſet inferior, egreſſus eſt in Leu-

Salaminia nauis.
Parala nauis.

Corcyrenſes uincuntur à Peloponnenſibus.

in Leucimnam promõtorium, agrosq; uastauit. Interea istius aduentum metuẽs populus Corcyrensis, uenerat in colloquiũ cum supplicibus alijsq; de cõseruanda urbe: & eorum nonnullis, ut naues cõscenderent, persuaserat. Nam utcunq; triginta expleuerant, & hostium opperiebantur aduentum. At illi ad meridiem usque terram populati, uela fecerũt: per noctem autem lumina eis significauerunt, sexaginta Atheniensium naues proficiscentes à Leucade. Quas Athenienses facti certiores de Corcyrensium seditione, deq; classe quæ illuc cum Alcida erat itura, miserant, duce Eurymedonte Thucleis filio. Itaque eadem nocte festinabundi domum se itinere terrestri receperunt, nauibus ne in circumeundo conspicerentur, per Leucadium isthmum in contrarium littus traductis. Harum discessum, & Atticas aduentantes ubi sensère Corcyrenses, in urbem Messenios qui prius extrà erant, introducunt: nauibusq; quas expleuerãt iussis Hyllaicum adire portum, dum circũuehuntur, si quem hostiũ nanciscerentur, occiderunt: & quoscunq; ad conscendendas naues induxerant eiectis, abierunt. Et ad delubrum Iunonis profecti, quum ex supplicibus circiter triginta ad subeundum iudicium persuasissent, omnes morte damnauerunt. Quod cernentes qui persuasi non fuerant, ibidem in templo se mutuò interemerunt: quidam ex arboribus seipsos laqueis suspenderũt, omnes ut cuiq; licuit sibi mortem cõsciuerunt: septemq; intra dies quibus Eurymedon cum sexaginta nauibus mansit, Corcyrenses eos qui ipsorum uidebantur inimici, morte multarunt, crimini illis dantes, quòd statum populi dissoluerent. Occisi sunt etiam quidam priuatæ simultatis causa: quidam & pecuniarum creditarum ab ipsis debitoribus. Omnis denique mortis species uisebatur, nihilq; non contingit quod in huiusmodi casu fieri solet, atque etiam amplius. Etenim pater filium uita priuauit: homines à templis ad necem abstrahebantur, atque adeò intra ipsa necabantur. Alij obstructo Bacchi delubro, ui mortui sunt. Eo usq; processit cruenta seditio: ob id quoq; uisa maior, quòd prima hæc apud eos extitit. nam postea in omni propè Græcia grassata est, ubiq; factionibus exortis, cùm primores populi accerserent Athenienses: optimates, Lacedæmonios: hanc in pace non habentes causam pariter & occasionem, quàm in bello: ut alterutris in societatem accitis, sui corporis hominibus prodessent, & diuersis nocerent. Quibus illecebris cupidi rerum nouarũ facilè inducti sunt, multaq; per seditionem ciuitatibus & acerba acciderunt, & accident semper quoad eadem natura hominũ erit, uel atrociora, uel mitiora, uel alijs modis uaria, prout quæq; mutationes fortuitorũ contingent. Siquidem in pace ac rebus secũdis, tum publicè, tum priuatim melius homines sentiunt, quod in odiosas necessitates

Corcyrensium cruenta seditio, cædesq; intestinæ.

Seditionum occasiones.

Seditionis male commemorantur.

non incidunt. Bellum uerò copiam rerum subtrahens quotidiani uictus, uiolentus magister est, & ad præsentem conditionem impetum multorum accõmodat. Agitati sunt itaq; seditionibus status ciuitatum, & quicquid alibi actum audiebatur, aliorum animos ad id postea superandum acuebat, uel rerum nouitate, uel conatus solertia, uel ultionis insolentia, cõsuetis rerum uocabulis in excusationem immutatis. Temeritas enim fortitudo amicorũ studiosa uocabatur: considerata cunctatio, honesta formido: modestia, ignauiæ uelamentum, in omnibus solertia, in omnibus segnities: præceps indignatio uirilitati ascribebatur: tutò consultare, excusata tergiuersatio erat: qui exæstuaret, is fidelis semper: qui huic contradiceret, is suspectus habebatur: cui insidiæ succedebant, hic erat astutus, & eo astutior, si alterius insidias prouidisset: qui prospiciebat ne foret in partibus, amicitiæ dissolutor, & aduersariorum timens. Omnino qui in nocendo alterum præuenisset, laudabatur, & qui ad hoc non cogitantem exhortatus esset. Quinetiam cognati erant alieniores quàm socij, quia essent ad audendum sine occasione paratiores. Non enim huiusmodi conuentus per leges latas ob utilitatem, sed contra leges ob auaritiam fiebãt. Nec fidem inter se magis habebant iure diuino, quàm aliquo in Republica scelere. Ea quæ ab aduersarijs probè dicebantur, non animi generositate admittebant obseruabantq;, sed si ad suã utilitatem redũdarent. Pluris faciebant talionem reddere, quàm nihil iniuriæ pati. Iusiurandum, si quando inuicem interponeretur de fide præsentis recõciliationis, tamdiu ualebat, quãdiu nihil aliunde uirium accedebat. Quacunq; in re quis audendo alterum occupasset, quem securum uidisset, hoc sibi iucundius propter illius fidei fiduciam ducebat, quàm si ex professo id faceret. Quoniam id & tutum factu esse, & quia malitia uicerat, certamen extitisse prudentiæ arbitrabatur, cùm facilius nocentes (quæ magna multitudo est) uocentur industrij, quàm imperiti boni: & in hoc quidem homines erubescant, in illo quidem glorientur. Quarum rerum omnium causa est auaritia, & honorum appetitus, & ubi de illis certamen est, partium studia. Nam qui in ciuitatibus præerant honesto utrique nomine, alteri statum popularem, æqualitatem ciuilem: alteri paucorum regimen, optimatum appellantes, præferebant, & uerbo quidem Rempublicam fouẽtes certabant. Sed hoc inter eos quoquo modo uincendi erat certamen, tum atrocissima quæq; audiendo, tum atrociores pœnas irrogãdo, non illas ex modo iustitiæ, aut ex utilitate ciuitatis, sed sua semper uoluptate metientes, quàm utriq; de alteris utcunq; capiebant, siue per iniqua suffragia condemnatis, siue ui oppressis, expediti ad implendam ita tum animi concitationem. Adeò neutri deorum religionem

ullius

ullius momenti faciebant in contrahendo, ſed qui aliquid commodius tranſegiſſent colore uerborum, ij ab omnibus melius audiebant. Quiſquis ciuium in partibus nõ erat, is ab utraque factione occidebatur, uel quod ab illa non ſtabat, uel propter inuidiam, quòd malorum erat immunis. Ita propter ſeditiones omne facinoris genus in Græcia extitit. Et ſimplicitas quæ præcipuè generoſitatis eſt particeps, cum deriſu exterminabatur, mutuoq; conſilia cum perfidia intercipere, res excellens exiſtimabatur. Inter reconciliatos enim nullus ſermo robur habebat, nullum iuſiurandum timori erat, & cuncti ad diffidendum, quàm ad fidendum proniori cogitatione, malebant ſibi proſpicere, ne quid calamitatis acciperent, quàm credere. Infirmioris quoq; conſilij homines, plerunq; ſuperiores erant. Quippe qui & ſui ſibi defectus conſcij, & aduerſariorum prudentiam intelligentes, ueriti ne eorum & diſertæ orationi eſſent impares, & agilitate ingenij præuenirentur, ad rem agendam temerarij deſcendebant. At illi tum præ horum contemptu quod longius prouiderent, tum quia non oportebat facto aggredi, quæ cõſilio agere liceret, incauti magis opprimebantur. Apud Corcyram itaque multa huiuſmodi audaciæ exempla ſunt edita, & item quæcunq; facerent, uel qui ſe aduerſus ultores damni, iniuria dati potius, quàm iure, rurſus ulciſcerentur, uel qui ex diuturna inopia eximi uellent, uel qui uicinorum bona affectantes (quæ maxima cauſa fuit) contra ius aſſequi ſe illa confiderent, uel qui non auaritia, ſed indignatione ducti, propter inſcitiam, quod id æquum præcipuè cenſerent, ſæuè & ineffrenatè inuaderent. Perturbataq; tunc uita in ciuitate, uictrix legum ſoluta hominis natura, oſtendit illas libenter ſe uiolare, impotenti ira imbecillior, iure potentior, plura poſsidẽtis inimica, uindictam ſanctitati, lucrum innocentiæ præponens, potentiæ nihil ipſi nociturae inuidẽs, & cõmunes de his leges, in quibus repoſita eſt omnibus ſpes ſalutis inter aduerſa diſſoluẽs, in expetenda aliorum ultione, nec aliquid ſibi relinquens, ſi quando ipſa in diſcrimen adducta, egeat aliqua illarum. Eiuſmodi igitur iras ante omnia inter ſe Corcyrenſes in urbe exercuerunt, & Eurymedon Athenienſesq; cum claſſe profecti ſunt. Poſt hæc ij qui profugerãt Corcyrenſiũ (ad quingentos enim eos euaſerant) captis muris quæ in continente erant, ſua potiti ſunt terra: atque illinc egreſsi, prædas abigebant ex inſula, hominibus loci magnam cladem inferentes. Ex quo ingens fames ciuitatem inuaſit. Iidem miſſa Lacedæmonem Corinthumq; legatione de reditu ſuo, cùm nihil profeciſſent, aliquanto poſt tempore comparatis nauibus, auxiliaribusq; militibus, in inſulam tranſierũt, numero omnes circiter ſexcenti: atq; incenſis nauibus, ne qua alia quàm potiendæ terræ ſpes foret, montem Iſtonem

conscenderunt, ac muro ibi extructo, eos qui intra urbem erant, uexabant, terra potiti.

Extremo huius æstatis, Athenienses uiginti naues in Siciliam dimiserunt, ducibus Lachete Melanopi & Charœada Euphileri filio. Syracusani nanque cum Leontinis bellum gerebant. Erant autem Syracusanorum sociæ præter Camarinam cæteræ Dorides ciuitates: quæ cum Lacedæmonijs ante cœptum bellum societatem contraxerant: Leontinorum uerò Chalcidicæ Camarinaq́.

Syracusanum bellum. Ex Italia Locri Syracusanis, Rhegini, utpote cognati, Leontinis studebant. Miserunt itaque socij Leontinorum Athenas, qui pro uetusta societate, & quia Iones essent, persuaderent illis ut naues sibi trajcerent. Prohiberi enim se à Syracusanis, & terræ usu, & maris. Et traiecerunt Athenienses per speciem necessitudinis, eo tamen consilio, ut neque illinc frumentum exportaretur in Peloponnesum, & tentarent nunquid possent Siculas res sibi subjjcere. Igitur cùm Phegium appulissent, additis socijs bellum gerebant. Et æstas excessit. Hyeme ineunte, morbus iterum corripuit Athenienses, nunquam ille quidem omnino quietus, sed

Atheniensium pestis. aliquantulum tamen interquiescens, tunc uerò immoratus non minus solido anno, prius autem etiam biennio. Itaque nihil fuit quod magis Atheniensium uires afflixerit. Neque enim pauciores quatuor millibus & quadringentis ordinariorum militum, trecentorumq́ equitum extincti sunt. Nam alterius turbæ numerus iniri non potest. Extiterunt præterea tremores terræ frequentes, & Athenis & in Eubœa, & cùm in cętera Bœotia, tum uerò in Orchomeno. Eadem hyeme, qui in Sicilia erant Athenienses ac Rhegini cum triginta nauibus inuaserũt Æoli (ut uocãt) insulas, æstate tutas ab hostibus aquæ penuria. Colunt autem Liparæi Cnidiorum coloni, sed ex ijs unam incolunt non grãdem nomine Liparam, & ex hac transeuntes uiri alias serunt Cidymam, Strongylem, & Hieram. Creduntq́ in Hiera Vulcanum exercere ærariam, quòd ea noctibus cernitur permultũ ignem, diebus fumum reddere. Sunt autem sitæ eæ insulæ Siculum uersus ac Messanum agrum, sociæ tunc Syracusanorũ. Vastata horũ terra cùm dedere se recusarent, Rhegium rediêre Athenienses, hyemsq́ & quintus annus exijt huius belli, quod Thucydides conscripsit.

Appetente æstate Peloponnenses ac socij sumpta in Atticam

Sexti anni initium. expeditione, ad Isthmum usq́ uenerunt, duce Agide Archidami filio Lacedæmoniorum rege: sed cùm crebri terræmotus fierent, priusquàm Atticam inuaderent, retrò se receperunt. Per hæc tempora tremoribus terræ Eubœam agitantibus, apud Orobias mare ab ea quæ tunc erat tellus cum æstu supergressum partem quandam urbis restagnauit, cámque alibi deseruit, alibi diluit, cum

nece

necæ omnium qui excelſa curſu ſuperare nequiuerūt, & quod antea tellus fuerat, nunc mare eſt. Simillima huic alluuio extitit circa Atalātam inſulam apud Locros, & Athenienſium tum caſtellum ex parte ſubruit, tum duarum nauiū quæ ſubductæ erant alteram diffregit. Et in Peparetho reſtagnatio quędam extitit, citra tamen alluuionem, & terræmotus nonnihil muri diruit, atq; horreum, & alias aliquot domos. Cuius rei fuiſſe cauſam reor, quòd terræmotus qua parte uehementiſsimus extitit, illinc expulit mare: & cùm rurſus illud uiolētior repentè retraxit, fecit alluuionē. Sine terræmotu autem non uidetur mihi contingere, ut hoc fiat. Eadem æſtate alij quoque in Sicilia, ut quibuſq; contingebat, belligerabant: & ipſi Sicilienſes inter ſe, alij alijs arma inferentes, & Athenienſes ſocijs iunctis. Quæ autem aut hi contra hos, aut illi geſſerint maximè digna memoratu, horum habebo mentionem. Etenim Charœada Athenienſium duce occiſo à Syracuſanis in bello, Laches, penes quem ſumma poteſtas nauiū erat, cum ſocijs profectus eſt Mylas Meſſaniorum, ubi erant præſidio duæ cohortes illorum: quæ cùm inſidias quaſdam claſsicis tetēdiſſent, ab Athenienſibus ac ſocijs in fugā uerſi, multos è ſuis amiſerūt. Et admotis ad munitionem copijs, pactionē facere coacti ſunt, ut & arcem dederēt, & aduerſus Meſſanam unà militarent. Et mox Mamertini, progredientibus Athenienſibus ſocijsq;, deditionem & ipſi fecerunt, datis obſidibus, & quæcunque ad fidei tutelam pertinent præſtitis. Eadem æſtate Athenienſes triginta quidem circū Peloponneſum naues dimiſerunt, quibus præerant Demoſthenes Alciſthenis, & Procles Theodori filius. Sexaginta uerò in Melum cum duobus millibus armatorum, quibus præerat Nicias Niceratí filius. Melios enim, cùm eſſent inſulani, quòd dicto audiētes eſſe nollēt, & militiæ ſocietatem abnuerent, ſubigere uolebant. Vbi uaſtato agro, nihilo magis illi ad paciſcendum deſcendunt: Athenienſes in Oropon, quod eſt è regione, trajciunt. Cumq; per noctem quieuiſſent, protinus armati è nauibus itinere pedeſtri in Tanagram Bœotiæ ire pergunt. Et ex Athenis cunctus populus ducibus Hipponico Calliæ, & Eurymedonte Thuclis filio, dato ſigno eodem loci, per terram occurrunt. Communitisq; caſtris hic diem commorati, in Tanagra populationem fecerunt. Ac poſtridie ſuperatis prælio, qui progreſsi inuaſerāt, Tanagræis, & aliquot qui auxilio uenerant Thebanis, detractis armis, trophæo poſito abierunt, hi ad urbem, illi ad naues. Cum quibus nauibus profectus Nicias, ubi Locridis oram populatus eſt, domū redijt. Per idem tempus Lacedæmonij Heracleam in Trachinia coloniam poſuerunt hac de cauſa: Mylienſes in tres uniuerſi partes diſtinguūtur, Paralios, Hieres, & Trachinios. Ex his Trachinij cùm ab Oetæis

Siculum bellū.

Charœade cædes.

Mylæ.

Mamertinorū deditio.

Mylienſium partes.

finitimis bello uexarentur, habuerunt in animo à principio Athenienses asciscere, sed illorum diffisi fidei Lacedæmonem mittunt Tisamenum pro legato, cum quo ad idem rogãdum perrexerunt Dores, quæ est Lacedæmoniorum metropolis, & ipsi ab Oetæis uexati. Hos cùm audissent Lacedæmonij, cepêre cōsilium mittendæ coloniæ, tum ad Trachinios Doresq; protegendos, tum quia bello Atheniensi commodè sibi urbs sita fore uidebatur. Quippe ad instruendas contra Euboeam naues exiguum traiectum esse, & in Thraciam euntes opportunum diuerticulum habituros. Itaq; omni ope ad condendum oppidum incumbunt, cōsulto primùm apud Delphos deo. Quo annuente, colonos miserunt, tum suorum, tum circa populorũ, aliorumq; Græcorum, uoluntario quoque sequi iusso, præter Iones, & Achæos, & aliquot alias gentes, tribus Lacedæmonijs ponendæ coloniæ ducibus Leonte, Alcida, Damagonte. Hi collatis colonis urbem ex integro muris cingunt, quæ nunc Heraclea nominatur, tractu ferè quadraginta stadiorum à Thermopylis, dimidio à mari distãs. Naualia quoq; & præparauerunt, & cœperunt facere iuxta Thermopylas atq; ipsas angustias ad tutelam rerum suarum. Hac urbe instituta, Athenienses à principio timere cœperunt, ac sentire aduersus Euboeã præcipuè illam conditam esse, quòd breuis illinc esset ad Cæneum Euboeæ traiectus. Sed eis postea, præter opinionem, quia nihil inde calamitatis euenit: idq; ob hãc causam, quòd & Thessali qui ibi rerum potiebantur, & ij quorum in solo urbs condita erat, ueriti ne præpotentes accolas haberẽt, infestarunt, assiduecq; bello nouos colonos lacessiuerunt, donec ad paucissimos redigerent, cùm fuissent initio permulti: audacter uno quoq; illuc eunte, tanquam stabili futura ciuitate, cuius autores Lacedæmonij essent. Tametsi Lacedæmonij principes illuc traijcientes, uel ipsi maximè & statũ destuxerunt, & homines ad paucitatem redegerũt, tum deterrendo plurimos, tum nonnullis in rebus asperè imperando. Ex quo facilius finitimi eos superauerunt. Eadem æstate & eodem tempore quo apud Melon Athenienses tenebantur, triginta eorundem naues quæ Peloponnesum lustrabãt, primùm apud Ellomenum Leucadiæ insidijs positis quosdam ex præsidijs interceperunt: deinde ampliore cum classe Leucadem petiuerunt, comitãte cuncto populo Acarnanũ, præter Oeniades, Zacynthijsq;, & Cephalensibus, ac Corcyrensium quindecim nauibus. Qua tanta hostium manu oppressi Leucadij, cum ipsorum ager tam extra quàm intra, ubi Leucas ipsa sita est, & Apollinis templũ, uastaretur, quiescebant. Et quidem Acarnanes agebant cum Demosthene Atheniensium duce, ut eos muro intercluderet, existimantes tum eam ciuitatem facilem fore ad expugnandum, tum se illa semper ipsis

hoste

hoste liberandos. Cæterùm ille tunc à Messenijs solicitabatur, tanquam honestum esset tanto exercitu coacto arma Ætolis inferre, quòd & Naupacto hostes essent: & si hos superassent, facilè his copijs cæteram Epirum in potestatem Atheniensium redacturos. Nam & si gens Ætolorum grandis esset & bellicosa, tamen cùm uicos muris carentes, & hos inter se ualde distantes habitaret, & leui armatura uteretur, aiebāt non difficulter eam subigi posse antequàm succurreretur: iubebantq́ ut primùm inuaderent Apodotos, dehinc Ophioneos, post hos Eurytanes, quę maxima est pars Ætolorum, lingua ignotissimos: & quemadmodum dicuntur omophagos, hoc est cruda carne uescentes. His enim captis, facilè cæteros concessuros. Demosthenes qua erant apud eum Messenij gratia, his uerbis adductus est, cùm præsertim arbitraretur se sine Atheniensiū copijs tantùm Epiroticis socijs cum Ætolis posse itinere terrestri aduersus Bœotios ire per Locros Ozolas, ad Cytinium Doricum, quod Parnassum ad dexteram habet, donec ad Phocenses descēdatur: quos sperabat perpetua cum Atheniensibus amicitia studiosè cōmilitium præstituros, aut certè coactos. Et Phocensibus contermina Bœotia est. Igitur soluens à Leucade cum omnibus copijs nauigauit in Solion Acarnanibus inuitis. Cum quibus suum consilium cùm communicasset, neq; id illi admisissent, quòd Leucadem non interclusisset, ipse cum reliquo exercitu Cephalænensium Messeniorum trecentorumq́ ex suis classiarijs Atheniensium (nam quindecim Corcyrensium naues abierant) bellum intulit Ætolis, profectus ex Oenone Locridis. Erant autem hi Ozolæ fœderati cum Locris, erantq́ Atheniensibus præstò futuri cum omni exercitu in mediterraneis. Quippe cùm finitimi sint Ætolis, & genere armorum similes, ad hæc & pugnæ illorum & locorum periti, magno usui eorum auxilia fore uidebantur. Et cùm statiua in templo Nemæi Iouis habuisset (quo in templo fertur Hesiodus Poeta ab incolis interemptus, cùm oraculum accepisset se in Nemæa hoc esse passurū) sub auroram motis castris in Ætoliam pergit: ac primo die Potidaniam expugnat, sequenti Crocylion, tertio Tichion. Vbi subsidens, prædam in Eupolion Locridis misit, habens in animo, cùm cætera in potestatem redegisset, sic aduersus Ophiones, nisi se dederent, postquàm Naupactum redisset, tendere. Sed non latuit Ætolos hic apparatus, ac ne tum quidem cùm primùm cœpit consilium inuadendi. Postquàm omnis exercitus introgressus est, tum ingenti manu omnes auxilio uenêre, etiā ab ultima Ophionia, qui ad Maliacum sinum pertingunt, Bomienses, Gallienses q́. Ibi Demosthenem Messenij tale quiddam quale prius admonendo, faciles esse Ætolos ad bellādum, hortabantur ut quàm primùm iret ad uicos, nec

expectaret dum uniuersi conferta acie occurrerent, sed oblatam semper occasionem raperet. Quibus ille uerbis obtemperans, ac fortuna fretus, nihil dum aduersi expertus, Locros qui uēturi sibi auxilio erant, non præstolatus, cùm præcipuè iaculatoribus leuis armaturæ egeret, contendit aduersus Ægitium, aggressusq; expugnat. Nam oppidani fuga dilapsi erant, & colles, qui oppido imminent, insidebant. Est enim situm excelsis in locis remotum ferè octoginta stadijs à mari. Ibi Ætoli (iam enim ad auxiliū uenerant) alij ex alijs tumulis decurrentes, Athenienses sociosq; inuadunt, missilia ingerūt: & quoties Atheniensium exercitus instat, pedem referunt, referentibus pedem instant, diuq; huiusmodi fuit pugna alterutra insecutione ac fuga, & in utraque inferiores erant Athenienses. Itaq; quoad suppeditarunt sagittarijs tela, licuitq; munere suo uti, restiterūt. Nam Ætoli, utpote leuiter armati, dum sagittis peterentur, se subducebant. At ubi sagittariorum præfectus occubuit, cæteri dissipantur multo iam continentiq; labore defessi, & Ætolis urgentibus iaculantibusq; sic in fugam terga uerterunt, atque incidētes in rupes inuias, ac loca sibi ignota (siquidem eorum dux itinerum Chromon Messenius occiderat) interiêre. Quorum cùm multos in ipsa fuga assecuti cominus Ætoli iaculis occiderūt, homines ueloces ac leuiter armati, tum uerò plures uijs aberrantes, tum delatos in inuias syluas, immisso igne cōcremarunt, ut nullum non genus fugæ ac mortis in Atheniensi exercitu uiseretur, ægreq; qui superfuerūt, ad mare, & ad Oenonem Locridis, unde profecti fuerant, euaderent. Perierunt autem cùm ex socijs multi, tum Atheniensium armatorum circiter centum uiginti. Hi tot uiri & ætate florētes, & in hoc bello ex populo Atheniensi præstantissimi amissi sunt. Perijt quoq; alter ex ducibus Procles. Victi uictoribus concessa uictoria mortuos suos recuperarunt, & in Naupactū se, dehinc Athenas nauibus receperunt, Demosthene apud Naupactum & eadem circa loca relicto, quòd Athenienses ob ea quæ gessisset, timeret.

Ætolorum uictoria.

Procles cædes.

Per eadem tempora Athenienses qui circa Siciliam agebāt, cùm in Locridem nauigassent, in ingressu quodam Locros qui loco auxilium ferebant, superant, ac Peripolion capiunt, quod oppidum situm est ad flumen Halecem. Eadem æstate Ætoli iam antea missis Corinthum ac Lacedæmona legatis Tolopho Ophionensi, & Boriade Eurytane, ac Tisandro Apodoto: suadent ut sibi aduersus Naupactum mittantur auxilia, propter Atheniensium ingressum. Et miserunt Lacedæmonij tria millia grauis armaturæ ex socijs, quorum fuêre quingenti ex urbe Heraclea, tunc recens apud Trachiniam condita, duce Eurylocho, comitibus eius Massario & Menedato, omnibus Spartiatis. Coacto apud Delphos exercitu, Eury-

Peripolion capitur.

tu, Eurylochus Locris Ozolis, ut sibi præstò essent, edixit. Illac enim in Naupactum iter erat, & simul eos ab Atheniensibus abducere uolebat, habens præcipuè sui studiosos Amphisses, qui propter odium Phocensium timentes, & primi dederũt obsides, & alios ad dandum induxerunt, aduentu exercitus territos, & ante omnes sibi finitimos Myones, qua parte Locris inaccessa est maximè. Deinde Ipnenses, Messapios, Tritanes, Chalæos, Tholophonios, Hesios, & Oeanthẽses, qui omnes militiam secuti sunt. Nam Olpæi sequi noluerunt, tantum obsides dederunt. Hyæi ne obsides quidem dederunt prius, quàm eorum uicus captus est, nomine Polis. Vbi cuncta in expedito fuêre, & obsides in Dorico Cyrinio depositi, aduersus Naupactum per Locros cum exercitu contendit. Inq; ipso itinere faciendo Oeneonem de Locris capit, & Eupolion. Nam imperata facere recusauerant. Cùm in Naupactiam uentum est, & Ætoli uenêre auxilio, regionem populantur, & suburbana muris carentia capiũt. Profectiq; Molycrion Corinthiorum coloniam, sed Atheniensium ditionis, expugnant.

Demosthenes autem Atheniensis (nam adhuc post reditum ab Ætolica clade circa Naupactum agebat) præscito hostium aduentu, ac de urbe solicitus adiens Acarnanes persuadet, etsi ægrè, propter discessum à Leucade, ut Naupacto subueniãt, à quibus missi cum eo mille armati nauibus ingressi urbem tutati sunt. Metus enim uehemens erat, cùm muri magni essent, & propugnatores pauci, ne parum ad defensionẽ sufficerent. Eurylochus & qui cum eo erant, ubi cognouerunt ingressis copijs oppidum expugnari non posse, abierunt, non in Peloponnesum, sed in Æolidem, quæ nunc Calydon uocatur, & Pleuronem, aliaq; circa loca, necnon in Proschion Ætoliæ. Nam eos Ambracij adierant, suadentes ut secum Argos Amphilochicum cæteramq; Amphilochiam, præterea Acarnaniam, subigerent, affirmantes si potiantur ijs, fore ut totam Epiroticam gentem in Lacedæmoniorum societatem adducerent. His persuasus Eurylochus, omissis Ætolis per illa loca conquieuit, dum Ambracijs auxilio ueniẽtibus aduersus Argos eundum esset, æstasq; excessit.

Sub hyemẽ autem qui in Sicilia agebant Atheniẽses cum socijs Græcis, & quicũq; Siculorũ uel ab imperio Syracusanorũ ad ipsos defecerant, uel rerũ socij erant, aggressi sunt Nisam Siciliæ oppidum, cuius arcem Syracusani tenebãt. Quã cùm expugnare nequissent, abierũt. Sed in abeuntes impetu dato, illi ex arce postremos Atheniensiũ socios in fugam uertunt, paucos occidunt. Post hæc Laches & Atheniẽses egressi è nauibus, nonnulla in loca Locridis, iuxta Caicinũ amnem. Locrenses ad arcendã uim occurrentes, cum Proxeno Capatonis filio, circiter trecẽtos ceperũt, detra- *Nisa oppugnatur.*

ctisq;

ctisq; armis abierunt. Eadē quoq; hyeme Delum expiauêre Athenienses ex oraculo quodā. Nam & Pisistratus tyrannus eam prius expiauerat, sed nō omnē, uerùm eatenus, quatenus à templo prospectus patebat. Tunc autē omnis expiata est, idq; ad hūc modum: Quæcunq; in Delo defunctorum extitêre monumenta, omnia sustulerunt, & in posterum edixerunt, ne quis in insula, neq; moreretur, neque nasceretur: sed morituri iam ac perituri in Rheniam transportarentur insulam, ita parum à Delo distantem, ut Polycrates Samiorum tyrannus, cùm aliquando & classe polleret, & aliis insulis imperitaret, captā Rheniam catena annecteret Delo, Delioq; Apollini cōsecraret. Tunc quoq; primùm post lustrationem Athenienses lustralia festa, id est quinto quoq; anno fecerūt. Fuerat autem alias prisca memoria ingens apud Delon celebritas Ionum, & ex circuniectis insulis hominum, qui cum coniugibus ac liberis spectabant, ut nunc ad Ephesia festa Iones confluunt, fiebatq; certamen gymnicum, musicumq;, & ciuitates choros ducebant. Quæ ita fuisse declarat in primis Homerus his uersibus, quę sunt ex procemio Apollinis:

Deli expiatio. *Rhenia insula.* *Delia festa.* *Lustrationes.* *Ephesia festa.* *Homeri uersus ex Hymno qui inscribitur, εἰς ἀπόλλωνα.*

Tunc tibi magnopere in Delo mens gestit Apollo,
Cum natis quoties cum coniugibusq; frequentes
Iones influxa celebrant tua compita ueste,
Cestibus & uariis certamina sacra choreis
Oblectant, referuntq; tuas modulamine laudes.

Quod autem & musici certamine proposito, illuc se certaturi conferebant, in his uersibus indicat, qui sunt ex eodem procemio. Siquidem Deliacum fœminarum chorum laudans, ita uersus eius laudationis finit, in quibus & suiipsius meminit:

Verùm age dum nobis adsis cum Phœbe Diana,
Vos etiam cunctæ me discedente ualete:
Et memores estote mei posthac, homo si quis
Venerit huc alius peregrè, dicatq;, puellæ,
Quis uir in his uersans unquam lepidissimus oris
Pectora præcipuè demulsit uestra canendo?
Vos uno assensu sic respondete fauentes,
Vir qui luminibus captus Chion incolit altam.

His Homerus significauit iam olim apud Delum magnum conuentum ac festum consuesse celebrari. Ad quæ postea & insulani & Athenienses choros cum sacris missitarunt. Sed certamina & cætera pleraq; aduersis casibus, ut credibile est, exoleuerunt, primiq; Athenienses certamen instituerunt, & cursus equorum, quod antè non fuerat.

Eadem hyeme Ambracii sicut spoponderant Eurylocho, cum exercitu præstò fuerunt, profectiq; Argos Amphilochicum, cum

tribus millibus armatorum, atq; Argiam ingressi, Olpas capiunt, ualidum in colle murum mari imminentem, quo Acarnanes eius autores aliquando pro publico iudicij loco utebantur, distantem ferè quinq; & uiginti stadijs ab Argiuorum, quæ maritima est, urbe. At uerò Acarnanes partim Argos suppetias ferunt, partim utiq; qui ex Amphilochia erant, ne se lateret Peloponnensiũ, qui cum Eurylocho ueniebant, in Ambracios transitus, custodias eo loci agebant, qui Fontes uocantur. Mittunt præterea tum in Ætoliam ad Demosthenem, qui fuerat Atheniẽsium dux, ut sibi præesset, tum ad uiginti quæ circa Peloponnesum erant naues Atheniensium, quibus præerat Aristoteles Timocratis, & Hierophon Antimnesti filius. Qui apud Olpas erant Ambracij, mittũt & ipsi ad urbem, ut sibi ueniat omnis populus auxilio, extimescentes ne Eurylochus cum ijs quos habebat, Acarnanes pertrãsire non possit, néue sibi aut destitutis præliandum foret, aut redire uolentibus minimè tutum. Hos ubi uenisse senserunt Eurylochus ac Pelopõnenses, motis è Proschio castris, confestim ad ferenda eis auxilia proficiscuntur. Ac transmisso Acheloo per Acarnaniam, ob missa Argos præsidia uacuam, iter faciunt, ad dextram habentes & urbem & præsidium Stratiorum, ad sinistram reliquã Acarnaniam. Et cùm illorum agrum pertransissent, per Phytiam, & rursus per Medeonis extrema, dehinc per Limnæam ad Agræorum regionem, quæ non Acarnaniæ iam, sed ipsis amica erat, pergunt, occupatoq; Thyamo monte inculto, ac superato, in Argiam iam nocte deueniunt. Atq; illinc inter urbem Argiorum & Acarnanum ad fontes custodiam furtim itinere facto, cum Ambracijs qui apud Olpas erant, miscentur: ac simul illuxit, conferti ante urbem quæ uocatur Metropolis, consistunt, castraq; metantur. Nec ita multò pòst, hinc naues uiginti Atheniensium Argijs auxilium laturæ ad Ambracieum affuerunt, illinc Demosthenes cum ducentis Messeniorum armatis, & Atheniensium sagittarijs sexaginta. Et classiarij quidam milites nauibus egressi, tumulum circa Olpas inuaserunt. Acarnanes autem & Amphilochorum aliquot (nam eorum pleriq; ab Ambracijs distinebantur) cùm iam Argos conuenissent, se præparabant tanquam cum aduersarijs pugnaturi, delecto duce socialis exercitus Demosthene, cum ipsorum prætoribus. Hic præmotis copijs, prope Olpas castra posuit, dirimente utrosq; ingenti rupe, & dies quinq; cessatum est. sexto ad pugnandum se utriq; instruebant. Nam maior factus erat, ac superabat Peloponensium exercitus. Demosthenes uerò ne circumueniretur metuens, in quadam caua & dumosa uia collocat tam ex armatis quàm ex leui armatura ad quadringentos: ut cùm hostis numero superior esset, in ipso congressu surgentes ex insidijs eum à tergo aggrede-

Demosthenes Ambraciotarũ dux destinatur

Pugna ad Olpas.

aggrederentur. Vbi utrinꝙ instructũ, ad manus itum est. Dextrũ cornu Demosthenes cum Messenijs & paucis Atheniensibus tenebat: alterum Acarnanes, ut quiꝙ erant instructi, & qui aderant Amphilochorum iaculatores. Peloponnenses & Ambracij instructi promiscuè erãt, præter Mantineos. Hi enim in læuo potius, nec eo extremo, conferti stabant. Nam eius extremum tenebat Eurylochus cum suis cõtra Messenios Demosthenemꝙ. Cùm iam manus consererentur, Peloponnensesꝙ circunuenirent sinistro suo dextrum aduersariorum cornu, atꝙ concluderent, superueniunt his à tergo ex insidijs Acarnanes, datoꝙ impetu hostem auertũt, ita ut uirtutis immemor non resisteret, sed territus maiorem exercitus partem ad fugiendũ induceret. quippe ubi uidit Eurylochi cornu, quod erat ualidius, cædi, multo maiori metu perculsus est, & ab ea parte Messenij cum Demosthene rem conficere annituntur. Sed Ambracij, & qui in dextro cornu erant, à sua parte uicerunt, hostemꝙ ad Argos usque sunt persequuti. Nam illorum circa populorum pugnacissimi sunt. Ii quum reuertuntur ad suos, eosꝙ maxima ex parte superatos, & in se tendentes cæteros Acarnanes conspicantur, ægrè ad Olpas salutem sibi peperêre, multis eorum interfectis, dum incompositi & nullo ordine inuadunt, præter Mantineos, qui ex omni exercitu maximè compositè sese receperunt. Cessauitꝙ sub uesperum pugna. Postero die Menedæus defuncto Eurylocho ac Macario suscipiens ipse imperium, ob acceptam ingentem calamitatem dubius quónam modo aut remanens ferret obsidionem terra ac mari obseptus, aut tutò discederet, mẽtionem facit apud Demosthenem ducesꝙ Acarnaũm de discessu paciscendo, recipiendisꝙ cæsis. Illi cæsos quidem reddiderunt, ac suorum ferè trecentis receptis, trophæum statuerunt. Abeundi uerò facultatem nõ palàm indulsêre omnibus, sed clàm & Mantineis tantùm cum Menedæo ac cæteris Pelopõnensium ducibus, & quicunque ex eis erant præcipuè dignitatis, uolentes cùm Ambracios & peregrinum militem mercede conductũ, desertos esse, tum uerò Lacedæmonijs ac Peloponnensibus apud Græcos illos conflare inuidiam, tanquam proditoribus, qui suæ ipsorum, nõ sociorum, saluti consuluissent. Hi receptos mortuos suos festinabundi pro præsenti copia sepelierunt, & de abeundo ij, quibus data facultas erat, clanculum deliberabant. Ibi Demosthenes cum Acarnanibus certior fit Ambracios primo illo ex Olpis nuncio excitos uenire auxilio, ac uelle per Amphilochos ijs qui in Olpis essent, se committere, nihil admodum eorum quæ gesta essent scientes. Itaꝙ protinus partem quandam copiarum mittit ad obsidendas insidijs uias, ac tutissima quæque loca occupanda. Cæteras copias ad ferenda ijs auxilia instruit. Interea Mantinei, &

nei,& ij cum quibus transactum erat,per causam legendi holera ac sarmenta paulatim egredientes abibant,& quum legendo ea, quorum gratia exierant,iam procul ab Olpa erant progressi,tunc se ocyus proripiebant. Quos abire Ambracij ubi sensêre,& cæteri qui sic frequentes eò se cõtulerant,& ipsi prodeunt,capessuntq; cursus,uolentes assequi socios. Eos arbitrati Acarnanes initio omnes æqualiter sine pactione abire,Peloponnenses insequi cœpêre,& fuêre qui in quosdam è ducibus insequi uetantes,ac dicentes data fide illos abire,iaculum emiserint,existimantes se proditos esse. Tunc omissis Mantineis ac Pelopõnensibus Ambracios trucidabant,eratq; ingens & contentio & error,quisnam Ambracius,quis'ue Peloponnensis esset,& ex eis ad ducentos cæsis,cæteri in Agraidem,quæ contermina erat,diffugiunt. Quos Salynthius Agræorum rex,utpote amicus,excepit. Inter hæc Ambracij qui ex urbe ad hos iter habebant,ad Idomenen perueniunt. Sunt autem Idomene duo excelsi tumuli,quorum eum qui maior est,occupauerunt qui è castris à Demosthene præmissi fuerant,cùm hostem inueniendo ac præueniendo latuissent. Minorem illi priores ascenderant atq; insidebant. Demosthenes à cœna ac primo crepusculo statim cum cętero exercitu uiam ingreditur,dimidium eius secum habens,altero dimidio per amphilochicos montes eunte,ac sub exortum auroræ inuadit Ambracios adhuc iacentes,nec dum aliquid rerum gestarum gnaros,quinimo opinantes potius istos ex suis esse. Nam astutè Demosthenes primos omniũ Messenios ire iusserat,ac Doricè alloqui ad faciendam primis excubatoribus fidem,præsertim non cernentibus quum adhuc nox esset. Vbi igitur cum omnibus copijs impetus factus est,in fugam uertuntur,multi ibidem cæduntur,cæteri montes uersus fugæ se mandant. Verùm occupatis iam itineribus,ad hæc Amphilochis,tum leuiter armatis,tum regionis peritis aduersus armis graues,& quò se uerterent ignaros,& in loca aut prærupta,aut ab insidiantibus iam infessa incidentes trucidabantur. Et cùm omne fugæ tentarent genus,nonnulli ad mare non ita distans contendebant,ac conspectis quæ terram legebant Atticis nauibus,ad eas (ita rei conditio urgebat) annatabant,existimantes præsenti in metu satius esse ab ijs qui in nauibus erant,si oporteat,interfici se,quàm aut à barbaris aut ab inimicissimis Amphilochis. Hunc itaque in modum Ambracijs profligatis,è multis pauci in urbem euaserũt, Acarnanes spoliatis cadaueribus trophæisq; erectis,Argos rediêre. Et ad eos posterò die caduceator uenit ab ijs Ambracijs,qui ex Olpa ad Agræos fugerant,petiturus eorum corpora,qui post primam pugnam cæsi fuerãt: dum nulla fide accepta cum Mantineis & alijs qui fidem acceperant,simul exissent. Cæterùm intuens spo

Mantineorum fuga.

Ambraciorum cædes.

lia Ambraciorum, qui ex urbe prodierant, admirabatur numerũ: neq; enim resciuerat cladem, sed ea sociorum suorum esse arbitratur. Et cum quidam opinatus ab ijs uenire, qui apud Idomenen essent, quidnam admiraretur interrogat, & quot ex ipsis perissent. Circiter ducentos, inquit ille. Atqui non ducentorum arma hæc sunt, excepit qui interrogabat, sed plus quàm mille interfectorum. Et ille rursus: Non ergo sunt eorum qui nobiscum in acie steterunt. Cui idem respondit: Sunt sanè uestrorum, siquidem uos heri in Idomene pugnastis. Atqui nos, inquit ille, heri cum nemine pugnauimus, sed nudiustertius quum abiremus. Et hic, Nos uerò, ait, cum istis heri certauimus ex urbe Ambraciorum auxilio uenientibus. Quo audito, caduceator intelligens auxiliorum urbanorum stragem, edito gemitu re infecta, continuò abijt, attonitus præsentium malorum magnitudine, nec ulterius cæsos repetijt. Hæc enim clades hoc bello maxima extitit, utique una in ciuitate, & intra tam paucos dies. Nec numerum cæsorum scripsi, ut incredibilem, quoniam maior esse fertur, quàm pro magnitudine ciuitatis. Hoc scio, Acarnanes atq; Amphilochos, si Athenienses ac Demosthenem audire uoluissent, ipso clamore Ambraciam fuisse expugnaturos. Nunc pertimuerunt, ne tenentes illam Athenienses, grauiores ipsis accolæ forent. Post hæc tertia spoliorum parte Atheniensibus in sortem data, reliquum inter ciuitates diuiserunt. Et quæ Atheniensibus cesserunt, pleraq; fuêre intercepta. Nam quæ in templis affixæ uisuntur trecentæ solidæ armaturæ, eæ peculiariter Demostheni datæ, & ab eo nauibus apportatæ sunt. Cui ob has res gestas tutior in patriam, post calamitatem in Ætolia acceptam, reditus fuit.

Ambraciorum cæsorum incredibilis numerus.

Ambraciorum exuuiæ.

Vbi uiginti Atheniensium naues Naupactum rediêre, & Athenienses ac Demosthenes abiêre, Acarnanes & Amphilochi publica fide interposita ueniam dedêre Ambracijs atq; Peloponnensibus, qui ad Salynthium & Agræos confugerant, ex Oeniadis abeundi. Aditoq; Salynthio cum Ambracijs in posterum ad centum annos fide data societatem coierunt, his legibus, ut neq; cum Acarnanibus Ambracij Peloponnensibus arma inferrent, neque cum Ambracijs Acarnanes Atheniensibus, sed mutuo sibi auxilio forent, redderentq; Ambracij Acarnanibus quicquid aut oppidorum aut finium de Amphilochis tenerent, nec opem Anactorijs ferrent Acarnanum hostibus. His conuentis bellum soluerunt. Post hæc Corinthij præsidium ex suis ad trecentos armatos in Ambraciam miserunt, cum duce Xenoclide Euthyclis filio, qui ægrè itinere per Epirum facto peruenerunt. Ita se habent res ad Ambraciam gestæ.

Acarnanũ Ambraciorũq; fœdus.

Eadem hyeme qui apud Siciliam erant Atheniẽses, cùm egressi è naui-

è nauibus in Imeræa essent, Siciliensibus unà supernè inuadentibus extrema Imeræ: cumq; ad Æoli insulas nauigassent, in Rhegium se receperunt. Vbi Pythodorum Isolochi filium Atheniensium ducem offendunt, successorem Lachetis in nauium præfectura. Nam Sicilienses socij aditis Atheniensibus persuaserant, ut se maiore classe adiuuarent. Quippe Syracusani quum terra forent illis superiores, & mari paucis nauibus impedirentur, talem classem instruxerant, ut post hac contemni non possent. Itaque sexaginta naues expleuerunt Athenienses, tanquam socijs mittendas, & tamen tum existimabant citius ibi bellum finitum iri, tum uolebant fieri nauium experimentum. Igitur unum è ducibus Pythodorum cum paucis nauibus miserunt, missuri cum pluribus Sophoclem Sostratidæ filium, & Eurymedontem Thuclei. Pythodorus, accepta iam Lachetis præfectura, profectus est sub extremum hyemis ad præsidium Locrorum, quod ceperat Laches, & uictus à Locris in pugna discessit. Per idem uer proluuiū ignis ex Ætna monte omnium Siciliæ maximo emanauit, quemadmodum alias, & aliquantulum soli Catanensium corrupit sub Ætna incolentium. Fertur autem proluuium hoc quinquagesimo à superiore emanasse anno, & ad summum ter extitisse, ex quo Sicilia à Græcis incolitur. Hæc per eam hyemem gesta sunt, & sextus exijt annus huius belli, quod Thucydides conscripsit.

Ætnæ proluuium ignis.

THVCYDIDIS HISTORIARVM PELOPONNENSIVM, LIBER QVARTVS.

Ineunte æstate, quum frumenta iam extant in spicis, profectæ decem Syracusanorum naues, totidemq; Locrentium, Messanam in Sicilia ceperunt ab ipsis oppidanis acciti. Defecit autem ab Atheniensibus ea ciuitas præcipuè, opera quum Syracusanorum, qui cernentes id oppidum inuadendæ Siciliæ opportunum, metuebant ne se maioribus copijs aggrederentur illinc profecti Athenienses, tum Locrensium, qui Rheginos sibi inuisos uolebant utrinque oppugnari. Itaque in eorum agrum cum omni exercitu inuadunt simul, ne Mamertinis illi ferrent auxilia, simul inducti ab Rheginis, qui apud ipsos erant, exulibus. Nam Rhegium permulto tempore seditionibus agitabatur, nec in præsenti poterant Locrenses arcere, quo etiam magis illi ingruebant, qui postea quàm agrum populati sunt, redière cum peditatu. Nam naues ad Messanam in præsidio erant, eodemq; aliæ quæ instrue-

Septimi anni initium.

Messana capitur.

bantur uenturæ, atque illic bellum gesturæ. Per idem uer nondum adultis frumentis, Peloponnenses ac socij Atticam ingressi sunt, duce Agide Archidami filio Lacedæmoniorum rege, statiuaque habentes eam populabantur. Athenienses uerò, ut instruxerũt quadraginta naues, in Siciliam miserunt, cum ijs qui erant reliqui, ducibus Eurymedonte ac Sophocle. Nam Pythodorus ex ijs ducibus tertius iam eódem abierat. Mandaruntque ut Corcyræorum quoque, qui intra urbem erant, curam in transitu haberent, exercentibus in eos latrocinia exulibus, qui in monte agebant. Et sexaginta Peloponnensium naues illuc uenerant, ad ulciscendos eos qui in monte erant: existimantes rem facilè confectum iri, ciuitate admodum fame laborante. Mandarunt item Demostheni, qui priuatam à reditu ex Acarnania uitam degebat, hoc ipsum flagitanti, ut his nauibus circa Peloponnesum, si uellet, uteretur. Hi quum oram Laconicam præterueherentur, accepissentque ad Corcyram iam esse Peloponnensium naues, Eurymedon quidem ac Sophocles in Corcyram tendere properabant. Demosthenes autem, ut prius in Pylum, & cùm loco potiti essent, & quæ oporteret egissent, in Corcyram tenderent iubere, illis contradicentibus, opportunè tamen exorta tempestas quum classem detulissent Pylum, postulare ut confestim muro locum munirent. Eam enim ob rem simul se nauigasse, ad hoc ostendere affatim materiæ ac lapidis adesse, & situ locum munitum desertumque, ac magno circa tractu desertum. Abest nanque Pylus à Sparta stadia circiter quadraginta, sita olim in agro Messenio, quem Lacedæmonij uocant Coryphasion. Illi dicere multa esse in Peloponneso promontoria deserta, si libeat in ijs occupandis exhaurire ciuitatem. Cæterùm huic nonnihil à quolibet alio differre uideatur hic locus, quod adiaceret ei portus, quodque Messenij quondam incolæ illinc prodeuntes plurimùm infesti Lacedæmonijs propter linguæ commercium futuri essent, fideles que loci custodes. Vbi neque ducibus, neque militibus persuadet, etiam postea cum præfectis re communicata quieuit, nondum apto ad nauigandum mari, donec ipsis militibus ocium agentibus cupido incessit cõcludendi munitionibus locum. Itaque rem aggressi moliuntur, & cum lapidarijs carerent ferramẽtis, collectos passim lapides ferebant: & ubi quisque quadrabat coagmentabãt, lutum, sicubi opus illo esset, uasorum penuria humeris comportantes, ut id commodissimè illic maneret, incuruì, ne'ue deflueret manibus post tergum confertis, omnique ratione annitentes, opportunissimis quibusque oppugnationi partibus communitis anteuenire succursum Lacedæmoniorum. Nam plerunque loci suopte situ munitum muro non indiget. Lacedæmonij quum hoc accepissent (agebant autem tunc fortè festum quoddam solenne

Peloponnenses Atticam inuadunt.

Sedulitas militum Atheniensium.

lenne) contempserunt, tanquam dum exissent, aut hoste non expectaturo, aut se oppidum paruo negocio recepturis. Nonnihil etiam eos exercitus qui ad Athenas erat, remoratus est. Athenienses cōmunito intra sex dies loco terram uersus, ubi maximè oportebat, ad tutelam eius Demosthenem cum quinq; nauibus relinquunt, cum cæteris in Corcyram ac Siciliam ire pergunt. At Pelopōnenses, qui in Attica erant, ut Pylum captam acceperunt, properè domum rediêre, quippe quùm Lacedæmonij Agisq; rex domesticum sibi existimarent ad Pylum bellum: & quia præmaturè fuerant egressi, adhuc uiridi frumento permulti commeatu deficerent, adhæc cœli tempestas maior quàm pro anni tempore uexauerat exercitum, adeò ut (quod sæpe alias) contigerit eos ocyus discedere, & in hac expeditione quàm breuissimè immorari. nam quindecim dies in Attica manserunt. Per idem tempus Simonides Atheniensium dux, coacta paucorum Atheniensium, qui in præsidijs erant, & magna illinc sociorum manu, Eiona, quæ est in Thracia, Mendæorum coloniam, sed tunc hostem, per proditionem cepit: ilicoq; Chalcidensibus ac Bottiæis suppetias ferentibus expulsus est, ac multos milites amisit. Regressis ex Attica Peloponnensibus, Spartiatæ quidem ipsi & finitimorum proximus quisque properanter ad ferenda auxilia Pylum iêre. Cæterorum uerò Lacedæmoniorum tardior profectio extitit, modò reuersorum ex alia expeditione. Edixerunt autem per Peloponnesum ut primo quoq; tempore Pylo subueniretur, & ad suas sexaginta naues quæ apud Corcyram erunt, miserunt. Quæ transportatæ per Leucadium isthmum, cùm Atticam classem, quæ ad Zacynthum erat, latuissent, Pylum peruenerunt, quum iam præstò esset pedester exercitus. *Pylus oppugnatur.* Demosthenes adhuc eo cursum tenentibus Peloponnensiū nauibus, occupat duas ex suis summittere ad nunciandum Eurymedonti, alijsq; qui apud Zacynthum cum classe erant Atheniensibus ut præstò essent, tanquam loco in discrimen adducto. Et illi quidem sicut Demosthenes mandârat, festinanter adfuerunt. Lacedæmonij uerò uelut oppugnaturi à terra & mari locum se instruebāt, sperantes facilè expugnaturos se opus quod & à properantibus esset extructum, & à paucis teneretur. Cæterùm quum Atticarum nauium è Zacyntho auxilia expectarent, in animo habebant, nisi prius expugnassent, obstruere fauces portus, ne illum subire fas esset Atheniensibus nauibus. Insula enim nomine Sphacteria portui prætenta atq; uicina efficit & portum tutum, & introitus angustos, ut hinc quà uergit ad Atheniensium munitiones & Pylum bina nauigia, illinc quà uergit ad reliquam continentem, octona nouena'ue transeant, syluestris tota, propter solitudinem inuia, quindecim fermè stadiorum magnitudine. In-

troitum igitur intercludere ſtatuerunt nauibus confertim foras ſpectantibus. Quinetiam in ipſam inſulam, timentes ne ſibi ex ea bellum fieret, armatos tranſportarunt, alijs in continente collocatis. Ita nanq; Athenienſibus & inſulam fore hoſtilem & continentem, ut quæ egreſſum illis nō præberet. Nam cætera circa Pylum extra hos introitus pelagus ſpectantia importuoſa ſunt, nec talia unde illi proficiſcerētur ad ſuos adiuuādos: ſe uerò, citra pugnam naualem citraq; periculum, ut credibile erat, locum expugnaturos, in quo commeatus non eſſet niſi ad breue tempus ſumptus. Vbi hæc eis proſpecta ſunt, & milites in inſulam tranſportati ex omnibus ſortiti cohortibus, alijq; ſubinde atque alij per uices traiecti, poſtremi qui illic relicti, trecenti ac uiginti fuerūt, præter eorum ſeruitia, duce Epitada Molobri filio. Demoſthenes cernens Lacedæmonios peditatu pariter & claſſe aggreſſuros, & ipſe ſe inſtruit, ac triremes quæ ſibi reliquæ erant, ſubducit ad munitiones clatriſq; præfigit, earum nautas ſcutis inualidis armat, & ſalignis pleriſq;. Neque enim poterant inculto in loco ſuppeditare arma. Quin hæc ipſa ceperant è triremi Meſſeniorū actuarioq; nauigio, quum fortè illuc appuliſſent Meſſenij numero ferè quadraginta, quibus unà cum alijs Demoſthenes uſus eſt. Is igitur cùm multos & inermium & armatorum ſuper tuta ipſo ſitu, ſed præcipuè ſuper extructa, qua parte in continentē uergunt, diſpoſuiſſet, præcipit ut peditatum, ſi aggrediatur, arceant. Ipſe delectis ſibi ex omnibus ſexaginta armatis, & aliquot ſagittarijs, muros egreditur mare uerſus, qua maximè parte illos deſcendere conaturos in loca aſpera petroſaq; ad mare uerſa, & qua murus ipſorū fragiliſſimus erat, eum reuellere auſuros ſuſpicabatur. Murum enim fragilem fecerat, quod putabat nunquam fore ut nauibus ſuperior eſſet hoſtis: & ſi ſuperior eſſet ad egrediendum in terram, oppidum captum iri. Itaque ad maritimam partem profectus, illic armatos diſpoſuit ad arcendum quoad poſſet hoſtem, eoſq; his uerbis eſt adhortatus:

Demoſthenis induſtria.

Oratio Demoſthenis ad milites.

VIri qui mecum hoc ſubiſtis periculum, nemo ueſtrûm malit in hac neceſſitate uideri intelligēs, reputādo omnes quæ nos circunſtant difficultates potius, quàm ſecurè & bona cum ſpe audacter hoſtes inuadere, ex eis incolumis euaſurus. Quæcūq; enim ut hæc ipſa, in neceſſitatem deuenerunt, ea minimam rationem, celerrimum periculum deſiderant. Quāquam ego plura nobiſcum facere uideo, ſi & manere, nec ea quæ potiora nobis adſunt prodere uolumus, multitudine illorū deterriti. Etenim partē loci, quam tenemus, inacceſſibilem arbitror, adiutricemq; fieri nobis perſtantibus: recedentibus uerò, & ſi difficilem, acceſſu tamen facilem fore nullo

re nullo prohibente. Hostem quoq; ex hoc acriorem habebimus, quod ei si à nobis urgeatur, non facilis rursus sit sui receptio. Nam & dum in nauibus est, facilimè illi resistitur: & dũ egreditur, iam æquo in loco ipsius multitudo, quãlibet magna (in exiguo enim dimicatur) non ualde timenda est, ob littoris in quod descẽditur iniquitatem. Neq; exercitus ille in terra est utiq; futurus maior ex loci æqualitate, sed è nauibus pugnat in mari, ubi necesse est periculosa multa cõtingere. adeo suas illis difficultates existimo instar esse, qualis nostra est hominum paucitas. Super hæc uos obsecro, cùm sitis Athenienses, & experientia in alios è nauibus desiliendi gnari, si quis perstet, nec terrore illisorum fluctuum, & cum impetu incurrentium nauium summoueatur, hunc nunquam ui summoueri, ut maneatis, ad ipsas littoris salebras arcendo hostem, uosq; ipsos pariter ac locum conseruetis.

His tantũ exhortato Demosthene, Athenienses alacriores effecti, degressiq; ad mare se disposuerunt: Lacedæmonij uerò progressi *Lacedæmoniorum conatus.* castris peditatu munitiones, nauibus uerò, quæ tres & quadraginta erãt, Thrasymelida Cratesiclis Spartiata nauarcho, partem qua Demosthenes opperiebatur inuadunt: Atheniẽses & ipsi utrinq; à terra & à mari resistebãt. Illi delectis aliquot nauibus, quoniam pluribus adiri non poterat, per uices alijs quiescẽtibus adnauigabant, omni audacia atq; exhortatione utẽtes, si quo pacto reiectis hostibus loco potirentur. Inter quos maximè extabat Brasidas *Brasidæ consilium.* unus è trierarchis: qui cùm cerneret locum accessu difficilem, & sicubi accedi posse uidebatur, trierarchos gubernatoresq; formidãtes, ac nauibus cauentes ne colliderẽtur, uociferabatur, dicens improbum esse dum lignis parcunt, spectare illic hostem ubi muros extruxisset, iubebatq; ut illisis littori nauibus ui in terram descẽderent, ne'ue pigeret socios in præsentia naues suas pro acceptis magnis beneficijs Lacedæmonijs impendere, sed illis impactis quacunq; ratione in littus egressos & uiris & loco potiri. Talibus uerbis Brasidas alios instigans, gubernatorem suum ad applicãdum *Brasidæ casus.* nauem adegit, pergensq; ad pontem conatus descẽdere, ab Atheniensibus percutitur: & cum multis uulneribus sauciatus esset, linquente animo, in remigium collabitur, clypeusq; eius defluxit in mare, & ad terram appulsus est: quo recepto, Athenienses postea ad trophæum sunt usi, quod de hac aggressione statuerunt. Alijs item Lacedæmonijs aderat quidem animus ad egrediendum, sed facultas deerat tum locorum asperitate, tum Atheniensiũ nihil cedentium perseuerãtia. Atq; eò fortuna peruenit, ut Athenienses è terra, & ea Laconica, Lacedæmonios applicare prohiberẽt, illi aduersus hos in terrã suam tunc hostilem descẽdere conarẽtur. Nam ferè eo tẽpore de utrisq; talis opinio erat, ut hi mediterranei pede-

stribus copijs longè præstantissimi essent, illi inter maritimos plurimùm re nauali præcellerent. Atque hoc die ac parte insequentis aliquoties aggressi destiterunt. Tertio die aliquot naues ad materiam machinarum in Asinam dimiserunt, sperantes se murum qui portum spectabat, altum quidem, sed egressioni præcipuè opportunum, machinis expugnaturos. Hoc interim tempore naues Atheniensium sexaginta ex Zacyntho adfuerunt. Nam accesserunt eis auxilio aliquot præsidiariæ ex Naupacto, & quatuor Chiæ. Hæ ubi uident & continentem & insulam armatis refertam, & naues quæ in portu erant non prodire, ambigebant quónam intenderent. Cæterùm tunc contenderunt in primam insulam, & desertam, nec ita distantem, ibiq; stationem habuerunt. Postero die uelut ad nauale prælium instructi procedunt, si uoluntas hostium ferret in apertum mare obuiam ire: sin minus, in portum ipsi ingressuri. Illi neque obuiam iêre, neque quemadmodum constituerant, aditum obstruxêre, sed quieti in terra naues explebant, & se præparabãt tanquàm in portu, qui non paruus esset, si quis ingrederetur pugnaturi. Quo cognito Athenienses ab utroq; ingressu in illos tendunt, inuectiq; in eas, quæ plures & iam exteriores infestis proris erant naues, in fugam uertunt: ac persequuti ut in breui spatio multis laceratis, quinq; capiunt, & earum unam cum ipsis uiris, cæteras quæ in terram refugerant, inuadunt: quarum quæ adhuc plenæ erant, prius quàm subducerentur, feriunt: quasdam unde uiri fugam fecerant, alligantes uacuas, trahunt. Quæ conspicientes Lacedæmonij, & eam iacturam ægrè ferentes, quòd qui apud insulam essent, intercipiendi forent, ad auxiliũ ueniunt: utq; erant armati, mare ingressi, apprehensas è contrario naues retrahunt, existimantes per se quisque id opus impediri cuicunq; ipse non adesset, eratq; ingens tumultus, commutata amborum ad naues forma dimicandi. Quippe Lacedæmonij præ studio atq; formidine nihil aliud quàm (ut sic dicam) à terra nauale prælium: Athenienses uerò uincentes, ac pręsenti fortuna quàm plurimùm procedere uolentes, de nauibus pedestre prælium gerebant: multoq; labore, ac multis inuicem uulneribus acceptis dirempti sunt, & à Lacedęmonijs uacuæ naues, præter eas quæ principio captæ fuerant, seruatæ. Regressis in sua utrisque castra, Athenienses erecto trophæo, restitutis mortuis, potiti naufragijs, protinus insulam circumueniunt nauibus, custodiuntq;, tanquam uiris qui in ea essent captiuis. Peloponnenses autem, qui iam ex omni mediterranea regione auxilio uenerant, è diuerso circa Pylum stationem habebant. Postquàm Spartæ, quæ ad Pylum gesta sunt renunciata, placuit eis uelut super ingenti clade magistratus ad castra se conferre, consultaturos re inspecta quàm primùm quid-

Athenienses Lacedemonios persequuntur.

nam

nam agendum uideretur. Illi autem ubi animaduerterunt nulla ratione poſſe ſuis ſuccurri, nec periclitandum putarent, ut illi uel fame aliquid paterentur, uel à multitudine opprimerentur, caperentur'ue, uiſum eſt cum Athenienſium ducibus agendum, ut quum induciæ belli ad Pylum, ſi uellent, factæ eſſent, legatio Athenas de conuentionibus mitteretur: operaq; daretur ut legati quàm celerrimè portarentur. Accepta per duces Athenienſium conditione, ita conuenit. Lacedæmonij quidem naues quibus pugnaſſent, & quæcunque in Laconica ora longæ eſſent, contractas ad Pylum traderent Athenienſibus, nec arma inferrent munitionibus, neq; à terra, neque à mari, Athenienſes ſinerent illos è continente comportare ſuis in inſulam certum moliti frumenti modum, binas chœnicas Atticas, & totidem cotylas uini, & carnem uiritim, dimidium ſeruis: idq; Athenienſibus inſpectantibus, neue ullum illuc nauigium furtim iret, & nihilominus inſulam cuſtodirent, ne quà illi abirent, ne'ue arma Lacedæmoniorum caſtris inferrentur uel terra uel mari. Quicquid autem horum uel quantumlibet alterutri tranſgrederentur, ibi induciæ ſolutæ eſſent. eæ autem durarent dum Athenis Lacedæmoniorum legati rediſſent, quos Athenienſes portarent trireme atq; reportarent, ſub eorum reditum induciarum tempus exiret: utq; has naues cuiuſmodi accepiſſent Athenienſes, eiuſmodi reſtituerent. Ad hunc modum induciæ pactæ ſunt, nauesq; traditæ circiter ſexaginta, ac legati miſſi: qui cùm Athenas perueniſſent, talibus diſſeruerunt.

Lacedæmonij ab Athenienſibus inducias petunt.

Oratio Lacedæmoniorum apud Athenienſes.

Lacedæmonij nos miſerunt huc, Athenienſes, ad trāſigendum de ijs qui in inſula ſunt uiris, ſuadentes quod uobis emolumentum, idem nobis, ut in hoc calamitoſo caſu, dignitatem maximè allaturum. Neque uerò longiorem præter conſuetudinem habemus orationem, ſed noſtri inſtituti eſt ubi pauca ſatis ſunt, non uti multis: rurſus uti pluribus quoties poſtulat tempus, nos docere uerbis, quid in primis operæprecium ſit facere. Quæ uos nolite hoſtili animo accipere, neq; tanquam imperiti doceamini, ſed admonitionem eſſe exiſtimate de benè conſulendo, ad homines peritos. Etenim licet uobis præſentē proſperitatē rectè collocare, retinendo quę in poteſtate habetis, & inſuper accipiendo honorē & gloriā, nec admittere id quod quidam faciūt, adepti aliquid inſueti boni, qui ſemper propter pręſentē ex inopinato proſperitatē ſperantes, maiora cōcupiſcunt. At ij quibus crebrę alternantis fortunę uiciſſitudines contigerūt, debent eſſe minimè creduli proſperitatibus, id quod præcipuè & ueſtræ ciuitati ob experimentū, & noſtrę meritò conueniat. Quod licet intelligatis reſpicientes ad noſtros caſus, qui cùm ſimus ſummæ apud Gręcos dignitatis, tamen

Lacedæmoniorū in dicēdo obſeruantia.

uos

uos adiuimus ad ea poſtulanda,quæ dare antehac ipſi,ut credimus,potentiores eramus,non delapſi in hoc infortunium,aut inopia militum, aut copia inſolenter habita,ſed more rerum humanarum opinione decepti,ubi omnium æqua conditio eſt. Quo minus oportet uos præſenti ciuitatis ueſtræ robore,& acceſſione aliarum rerum fretos,opinari fortunam uobiſcum perpetuò futuram,quum ſit prouidorum hominum,felicitatem ſuam pro certo habere,in incerto poſitam eſſe,ut ferendis accidentibus ſint inſtructiores:neq; exiſtimare,quatenus uoluerit quis aggredi bellum, eatenus ei facultatem adeſſe,ſed ut fortuna duxerit.Huiuſmodi homines quia animos non tollunt ſua proſperitate confiſi,minimum labuntur,& in felicitate maximè requieſcunt.Quòd ſi erga nos hoc tempore facietis Athenienſes,bene uobiſcum agetur:ſin nos reſpuetis,& poſtea quid aduerſi patiemini,qualia multa contingunt,putabimini hunc rerum ſucceſſum fortuna duce conſequuti fuiſſe,quum poſſitis nullo cum periculo famam & potentiæ & prudentiæ relinquere ad poſteritatem,Lacedæmonij uos ad fœdera,ad finiendum bellum prouocant,offerentes pacem,ſocietatem,& aliam in poſterum quamcunq; amicitiam familiaritatemq;,pro his repoſcentes eos,qui in inſula ſunt uiros,ſatiusq; utriſque fore exiſtimantes,non adire diſcrimen,num illi effugiant, oblata aliqua ſalutis occaſione, an expugnati potius capiantur, exiſtimamusq; uehementes inimicitias ita demum uſquequaque diſſolui,non ſi dimicando pars altera in bello iam multo ſuperior alteram ad iuſiurandum adigat, neque ex æquo paciſcatur:ſed ſi dum licet idem facere,modeſtius agat,& ipſa uirtute uictrix,cōmiter præter alterius expectationem reconcilietur. Nam ille iam obnoxius,non ad obſiſtēdum,tanquam coactus,ſed ob uerecundiam ad referendam gratiam propenſior ſtabit conuentis.Quod citius faciunt homines erga maiores, quàm erga mediocres aduerſarios:quum ſit natura comparatum, ut ſæpe ſponte cedentibus, libenter cedamus, inſolentibus etiam contra animi propoſitum,cum periculo aduerſemur. Nobiſcum uerò utriſque ſi unquam alias, nunc profectò præclarè agitur ſi in gratiam redeamus, prius quàm aliquid indignum nos interea pati contingat, ex quo neceſſe ſit nos æternum erga uos gerere odium publicè priuatimq;, & uos earum rerum amittatis arbitrium,quas nunc flagitamus. Sed quoniam adhuc anceps euentus eſt,reconciliemur,uos cum gloria noſtraq; beneuolentia,nos cum mediocri tolerabiliq; iactura deuitato dedecore:& ipſi pro bello pacem eligamus, & cæteris Græcis finem malorum præſtemus, quorum culpam potius in uos illi refundent,niſi hoc conceſſeritis. Nam hactenus bellum gerunt, neſcientes utri autores belli extiterint:

facta

facta uerò reconciliatione, cuius nunc penes uos maior potestas est, gratia uobis habebunt. Quòd si ita faciendum esse censueritis, licebit Lacedæmonios uobis firmos amicos effici, quum & ipsi prouocauerint, & uos eis magis gratificati fueritis, quàm uim feceritis. In quo quot bona inesse credibile sit, considerate. Nam hæc nobis uobisq; tractantibus, cætera Græcia, ut scitis, inferior dignitate comprobabit.

Hæc demum Lacedæmonij dixerunt, rati Athenienses cupidos quidem fœderum pristinorum, sed per ipsos prohiberi, oblatam uerò pacem libēter accepturos ac reddituros quos haberent. At illi quia hos habebant, arbitrantes, quoties uellent, secum ad faciendum fœdus paratos esse Lacedæmonios, maiora affectabant, præsertim urgente Cleone Clæneti filio, homine populari ea tempestate, & in dicendo multitudini acceptissimo. Is persuasit respondendum, oportere prius eos qui in insula essent, & armis & se ipsis traditis Athenas portari, secundo loco ubi reddidissent Lacedæmonij Nisæam, & Pegas, & Troezena, & Achaiam, quæ bello non cepissent, sed Athenienses ex superiore pactione cladibus affecti concessissent, tum uerò aliquanto decentius pacíscentes recipere suos, ac fœdera inire tam diuturna, quantum utrisque placuisset. Ad hoc responsum Lacedæmonij nihil cōtradixerunt, iusserunt tamen eligi sibi assectatores, apud quos quiete singula exponendo audiendoq; conueniretur in ijs, quæ alteri alteris persuasissent. Tunc Cleon uehementer instare, dicendo, Agnoscere se etiam antè nihil fuisse in quo ius haberent, & nunc esse manifestos, qui nihil dicere apud multitudinem uellent, sed apud concilium paucorum: si quid sani cogitarent, iubere ut apud uniuersos loquerentur. Illi cernentes neq; sibi fas esse ad populum loqui: & si quid calamitate adducti concedendum illis putarent, apud socios inuidiosum fore, reorata & non exorata, neque Athenienses moderatè se gesturos in ijs ad quæ prouocarentur, infecto negocio Athenis discesserunt. Atque ubi ad castra peruenerunt, induciæ confestim ad Pylum factæ solutæ sunt, & repetentibus naues ex conuento, Athenienses reddere recusarunt, dantes crimini quòd contra conuentum munitionibus incurrissent, aliaq; quæ non exigua uidebantur, hac ratione nitentes, quod in conuentis dicebatur: ea soluta fore, si quid esset quantumlibet trāsgressum. Contradicentibus illis, & hoc improbè agi clamantibus, discessum est: itumq; ad bellum parandum, & omni ope ad Pylum ab utrisque decertatum est, binis nauibus è regione semper interdiu insulam obeuntibus, noctu omnibus deinceps in statione manentibus, præter eas quæ ad pelagus, quoties uentus esset, excubabant, ad quas accesserunt ex Athenis ob eandem causam uiginti, ita ut

Atheniēses pacem Lacedæmonijs denegant.

ita ut uniuersæ numero essent septuaginta. At Peloponnenses à terra castra habentes, subinde muros adoriebantur, obseruabātq; si qua occasio offerretur suos liberandi.

Interea apud Siciliam Syracusani ac socij, sumpta cætera classe quam construxerant, bellum ex urbe Messana aduersus præsidiarias intra urbem naues gerebant, solicitati maximè à Locrensibus ob inimicitias Rheginorum, iam & ipsis in horum agrum cum omni manu egressis, uolebantq; naualem experiri pugnam, quòd uidelicet cernerent paucas adesse Atheniensium naues, sed plures adfuturas, cùm insulam illi oppugnari audissent. Sperabant enim si classe uicissent, terra mariq; aggressos se Rhegio potituros, ac res suas iam potentiores futuras. Et quum in propinquo sint Rhegium Italiæ promontorium, & Messana in Sicilia, non permissuros ut ingrediantur Athenienses, fretumq; obtineant. Est autem fretum inter Rhegium atque Messanam mare, qua breuissimo interuallo Sicilia distat à continente, & hoc appellatur *Charybdis.* Charybdis, qua fertur Vlysses pertransisse, haud ab re sic existimatum, quòd cadat rabidè per angustias pelagi Tyrrheni ac Siculi. In hoc igitur medio Syracusanorum sociorumq; paulò plus quàm triginta naues *Pugna naualis.* coactæ sunt sub serum diei pugnare, cum Atheniensium duodeuiginti & Rheginorum octo nauibus, circa nauigium quod illac cursum tenebat concurrentes, ac uicti ab Atheniensibus celeriter in sua castra, qua quæcunq; sors tulit contenderunt, una ad Messanam & ad Rhegium naui amissa, quum nox prælio intercessisset. Postea Locrenses è Rheginorum agro discesserūt, & Syracusanorum sociorumq; in unum coactæ naues oram Peloriden, quæ est agri Mamertini, subierunt, eisq; adfuit peditatus. Quas intuiti uacuas Athenienses atque Rhegini aggressi, iniecta ferrea manu unam ex eis perdiderūt, uiris natando elapsis. Mox easdem ingressis Syracusanis, & fune trahentibus, Messanam uersus, rursus Athenienses occurrunt, & illis dato signo prius inuadētibus, alteram nauim amiserunt. Hunc in modum Syracusani & in faciendanauigatione, & in nauali certamine nō inferiores, in portum *Camerina.* se Messanæ receperunt: Athenienses uerò in Camerinam, quam prodi Syracusanis acceperant, per Archiam & qui eum sequebantur. Mamertinorum interea omnis populus à terra pariter & na*Chalcidica.* uibus aduersus Naxum Chalcidicam, quæ in finibus sita est, pro*Naxus.* ficiscitur: ac primo die intra muros repulsis Naxijs, agrum popu*Acesine fluuius* labatur: postero cum classe pernauigans ad amnem Acesinum, agrum uastat, peditatum oppidum oppugnante. Atq; interim Siculi montani ad ferendam Naxijs opem, frequentes in Messenios descendunt. Quos ut conspexêre Naxij, addito animo seipsos mutuò adhortātur, tanquam sibi ueniant auxilio Leontini, cum alijs

Græcis

Græcis socijs: & subitò ex urbe erumpētes in Messenios irruunt, & in fugam uertūt, ac supra mille occidunt, cæteris ægrè domum elapsis. Nam Barbari in uijs aggressi permultos trucidauerunt, & naues quæ Messanam tenuerant, mox in suam quæq; urbem remearunt. Statimq; Leontini ac socij cum Atheniensibus Messanã ut conquassatam oppugnatum contēdunt: Athenienses quidem à portu cum classe, peditatus uerò à terra. At illi, & ex Locrēsibus aliquot cum Demotele post cladem acceptam ad præsidium relictis, repentina eruptione inuadentes exercitum Leontinorū, pleruntq; in fugam uertunt, ac multos occidunt. Quo inspecto Athenienses egressi nauibus auxiliū ferunt, rursusq; Mamertinos persequuti sunt ad urbem usque, perturbatis instantes, ac posito trophæo Rhegium reuerterunt. Post hæc Græci, qui in Sicilia erant, inter se sine Atheniensibus alij alios bello infestabant.

Messeniorum cædes.

At ad Pylum Lacedæmonijs in continēte statiua habentibus, sui adhuc obsidebantur in insula ab Atheniensibus, eratq; illis admodum laboriosa custodia, tum cibi & aquę inopia. Nullus enim erat nisi unus in uertice Pyli fons, & is non magnus. Sed effosso plerīq; ad mare sabulo, qualem credibile est aquã potabant, eratq; loci angustia, in quo posita erant castra: & nauibus stationem non habentibus, aliæ per uices è terra frumentum conuehebant, aliæ exterius excubabāt, cum summo animi angore, quem lòngior expectatione mora afferebat, opinantibus eos qui in insula deserta essent, salsaq; aqua uterentur, paucis diebus expugnandos. Cuius rei causa erant Lacedæmonij, qui edixerant, ut quisquis uellet illuc frumentum molitum, uinum, caseum, & si quid aliud esculentum esset obsessis utile, comportaret, ingenti id precio taxantes, seruis quoq; libertatem spondentes idem facientibus. Ita cùm alij, tum uerò serui adito periculo comportabant, transmittentes à Peloponneso quæcunq; poterant, & noctu quoq; tendentes ad eam insulæ partem, quæ pelagus spectat, obseruato maximè uento illuc ferente. Quia quum flatus à ponto erat, facilius latebant custodiam triremium, quibus tunc tutum non esset circum insulam habere stationem, & illi nauigia sua littori impingebant securi, tum taxato pro illis precio. tum armatis socijs qui in insula erant, ad descensus in insulam nauium custodientibus. Quicunq; tamen tranquillo periculum fecerunt, intercepti sunt. Commeabant etiam illuc per portum natantes urinatores funiculo trahentes in utribus papaueris mellitum semen, & lini pinsitum. Quibus cùm à principio latuissent, custodes appositi sunt, omniq; ratione pro se utriq; comminiscebantur, illi ut cibaria transmitterent, hi ne laterent. Athenienses qui in urbe erant, ubi resciierunt cum exercitu suo misere agi, & frumentū in insulam transportari, inopes consilij erant,

Lacedæmoniorum ad Pylum obsidio.

uerebanturq́;, ne custodiæ suorum hyems intercederet, cernentes neq; necessaria illis circa Peloponnesum posse sumi, utique in loco inculto, neque per æstatem sufficientia transmitti, neque stationem suis fore locis importuosis, & illos qui forent in insula, si custodia intermitteretur, futuros incolumes, aut eisdē nauibus quæ frumentum ipsis attulissent, obseruata tempestate abituros, & quod ante omnia timebant, existimantes aliquantulum iam meliore conditione Lacedæmonios caduceatorem non missuros ad ipsos de pacificatione. Adeò penitebat eos fœdera non admisisse. Quæ ne fierent se impedimento fuisse Cleon intelligens illos suspicari, negabat uerum dicere qui ea nunciarent: quumq́; ij qui inde aduenerant hortarentur, ut si ipsis fidem non haberent, aliquos speculatum mitterent, ipse pro speculatore ab Atheniensibus cum Theogene est delectus. Sed animaduertens fore necessario, ut aut eadem diceret, quæ illi quibus detraxerat, aut contraria dicendo mendax agnosceretur, suadet Atheniensibus, quos cernebat animatos ad plusculum copiarum quàm constituerant mittendum, non expedire mitti speculatores, neq; tempus omittendo expectare: sed si uera uiderentur quæ renunciabantur, illuc classem ire. Significabat autem Niciam Nicerati filium, cui erat inimicus, tunc ducem, exprobrans facilè esse apparata classe proficiscentes, si uiri essent imperatores, capere eos, qui in insula forent: idq; facturum se, si esset imperator. At Nicias uidens tum Athenienses nonnihil succensentes Cleoni, quod ne nunc quidem, si facilè sibi uideretur, nauigaret, tum illum ipsi exprobrantem, iussit eum, ut sumptis copijs si quas uellet officio ipsius fungeretur. Hic uerò à principio ratus uerbo duntaxat eum sua iura cedere, ubi cupientem agnouit, tergiuersabatur, inquiens non se, sed illum esse imperatorem, uidelicet uerebatur iam, cùm non existimasset sibi illum cedere ausurum. Rursus Nicias idem iubens, præturam aduersus Pylum susceptam deposuit, Athenienses testatus. Illi quo magis Cleon subterfugiebat nauigationem ac tergiuersabatur, eo magis (qualia uulgus facere gaudet) iubere Niciæ ut traderet magistratum, & conuitiari Cleoni ut iret. Ille ubi nihil habuit quo à dictis suis se eximeret, munus suscepit: procedensq; inquit, non se timere Lacedæmonios, nauigaturumq́; nullo è ciuibus sumpto, sed Lemnijs atq; Imbrijs armatis qui aderāt, & peltatis qui ex Æno auxilio uenerāt, & aliunde sagittarijs quadringentis. Hos super eos qui ad Pylum essent habentem se, ait, intra uiginti dies aut Lacedæmonios uiuos adducturū, aut ibi occisurum. Cuius sermonis leuitas Atheniensibus etsi risum mouit, tamen iucunda extitit prudentibus, alterum duorum bonorum fore considerantibus, aut se liberatum iri Cleone, quod magis sperabant:

Cleonis consilium.

Cleonis cum Nicia simultas.

rabant:aut ſi opinione fallerentur, Lacedæmonios in ipſorum manus uenturos. Perfectis omnibus in concione rebus, Cleon delegata ſibi per ſuffragia Pylo prouincia, uno ſibi delecto Demoſthene ex ijs imperatoribus qui ad Pylum erant, é ueſtigio proficiſcitur. Delegit aũt Demoſthenẽ, quòd audiret & ipſum in animo habere in inſulam deſcendendi. Etenim milites locorum difficultate male accepti, & obſeſsi potius quàm obſidentes, ad periclitandum animati erant, & huic addebat animum inſula iam cremata. Nam cùm prius eſſet pleraq; ſyluaris & inuia, propter perpetuam deſolationem, reformidabat Demoſthenes, idq; magis eſſe pro hoſtibus arbitrabatur, quòd ſibi cùm magnis copijs egreſſo in terram, illi ex abditis locis adorti nocere poſſent, ipſe uerò non item illorũ, aut errores, aut copias ſubter ſyluam agnoſcere: cùm ſui exercitus peccata omnia in aperto eſſent, adeò ut quácunque hoſtis uellet, ex improuiſo impetum dare poſſet, penes quem foret arbitrium manus conſerendi. Et ſi hoſtem in locum arboribus denſum compelleret, etſi numero inferiorem, tamen quia loci expertus eſſet, ſuperiorem multitudine inexperta iudicabat. Suum quoq; exercitum, cùm multus eſſet, ignoraturum ſicubi laborantibus oporteret mutuò ferre auxilia, quia nullus foret in ſaltu proſpectus. Et cùm per ſe mouebant hæc Demoſthenem, tum uerò poſtquàm apud Ætoliam male pugnauerat, cuius ei cladis maxima pars extitit ſylua. Cùm autem milites anguſtia inſulæ coacti fuiſſent propter hoſtium propinquitatem adhibere ad prandendum cuſtodiam, & quidam ſyluæ paululum inuitus accendiſſet, accidit ut ſyluæ magna pars inſcijs illis concremata fuerit. Ita Demoſthenes apertius intuens plures eſſe Lacedæmonios, quã quibus fuerat ſuſpicatus mitti frumentum, & rem dignam eſſe ob quam ſerio laborarent Athenienſes, inſulam quoq; faciliorem ad deſcendendum, accingebat ſe ad inuadendum, euocatis é uicino ſocialibus copijs, ac cætera præparans. Ad hunc Cleon præmiſſo de ſuo aduentu nuncio, cum ijs quas flagitauerat copijs, uenit ad Pylum, congreſsiq; ambo, ante omnia ad hoſtium caſtra, quæ erant in cõtinente, caduceatorem dimittunt, prouocatum illos, an iubere uelint ſine periculo eos, qui in inſula eſſent, & arma & ſeipſos dedere, aſſeruandos tolerabili cuſtodia, donec aliquid de ſumma rerum fuiſſet tranſactum: ac non accepta ab illis conditione, unum diem ſuperſederunt. Poſtridie armatis omnibus in paucu- las naues impoſitis noctu diſcedunt: & cùm ſub aurora in inſulam deſcendiſſent, utrinque & à pelago & à portu octingenti ferme armati curſu tendunt aduerſus primum hoſtium in inſula præſidium. Ita nanque diſpoſiti erant, excubabant autem in ea prima ſtatione triginta circiter armati, Nam media, & planiſsima

Syluæ incenſio

quæque, & aquis circumiecta, tenebat pleraq; pars cum Epitada duce: aliquot alij extremum insulæ Pylon uersus, quod præceps in mare, atque à terra minimùm expugnabile erat, propter castellum illic quoddam uetustum, saxis pasim lectis constructū, quod sibi profuturum arbitrabantur, si qua maiore ui retroire cogerentur. Atq; ita quidem illi dispositi erant. Athenienses uerò quos inuasêre in prima statione custodes, ilicò trucidauêre, nacti eos in cubilibus, & adhuc arma capientes, quippe quos descensus hostium latuisset, opinantes ex consuetudine naues noctu ad stationem commeasse. Exorta statim aurora, reliquus exercitus nauium paulò plus quàm septuaginta præter Thelamias superuenit, ut quisq; erat instructus, cum sagittarijs octingentis, nec paucioribus peltatis, Messenijsq; auxiliaribus, & alijs quicunq; circa Pylon tenebant, præter munitionum custodes. Hi à Demosthene dispositi inter se distabant duceni, & eo plures, alicubi pauciores, occupatis locorum cacuminibus, ut quamplurimùm hostes angerentur undiq; conclusi: nec habentes quorsum se dirigerent, sed ipsa multitudine ancipites essent, feriendi ab ijs qui in fronte stabant, si in eos qui à tergo erant, tenderent: ab ijs utrisq;, si in transuersos, assiduè in terga eorum quacunq; cederent hæsuris leuiter armatis, & qui non cominus, sed eminus strenui sunt sagittis, iaculis, lapidibus, fundis, in quos inuadere non licebat, quippe cùm fugiendo uincāt, & instent cedentibus. Hoc quidem consilio Demosthenes & in ingressu prius, & in re gerenda postea est usus. Illi uerò qui circa Epitadam erant (quæ maxima in insula eorum portio erat) ut uiderunt & primum præsidium profligatum, & in se uadentem exercitum, aciem instruūt, & in Athenienses armatos (ij enim ex aduerso stabant, ex transuerso uerò & à tergo, leuis armatura) tendunt, uolentes uenire ad manus: sed nequiuerunt manus cōferere, neq; sua militare scientia, prohibentibus utrinq; leuiter armatis. Ita in occursum non iêre, sed quieti stetêre, nisi quòd qua maximè parte in ipsos impetum dabat leuis armatura, progressi eam fugabant. Illi tamen inter fugiendum sese defensabant, utpote homines expediti, & facilè fugam occupantes per loca aspera, & ob pristinam solitudinem salebrosa, Lacedæmonijs qui arma gestarent persequi non ualentibus. Sic aliquantisper inter eos leui certamine actum est. Et cùm Lacedæmonij iam non possent celeriter erumpere quà lacessabantur, eosq; iam tardiores effectos animaduerteret leuis armatura, & ipsa plus audaciæ sumere, ac præ se ferre, quòd plures multò ipsi essent, quódque assueti iam minus terribiles illos putare, à quibus non statim qualia suspicabantur passi fuissent, cùm primùm in terram egressi sunt, tanquam captiui futuri. Itaque quòd in Lacedæmonios

Thelamiæ naues.

irent,

irent, parui facientes, ſublato clamore confertim tendunt, miſsilibusq; inceſſunt, lapidibus, ſagittis, iaculis, prout aliquid quiſq; habebat ad manum. Hoc clamore edito atq; impetu, terror incuſſus eſt hominibus huiuſmodi pugnæ inſuetis: & cùm puluis ſyluæ nuper incenſæ in ſublime ferretur, arduum erat proſpicere ſibi aduerſus multorum hominum ſagittas, ſaxaq;, quæ unà cum puluere ferebantur. Ibi res difficilis Lacedæmonijs extitit, quorum neque pilei eos à ſagittis protegebant, & haſtæ dum emitterentur, frangebantur. Quiq; non proſpicere circunſepti, non exaudire quæ ipſis præciperentur, poterant, magis ac magis uociferante hoſte, nullam undique circunſiſtente periculo ſpem habentes, quó nam modo ſe tutantes oporteret euadere. Poſtremò multis iam ſaucijs, cùm aſsiduè eodem in loco uerſarentur, conferti euadunt in extremæ inſulæ caſtellum, haud ita diſtans, & ad ſummum ibidem præſidium. Quo ubi conceſſère, tunc uerò leuiter armati maiore & clamore & audacia inſtare, & quoſcunq; ex Lacedæmonijs à ſuis digreſſos excepiſſent, trucidare. Sed pleriq; ad munitiones elapſi, cum illarum cuſtodibus ſeſe inſtruebant, tanquam defenſuri locum, qua parte oppugnabilis erat. Athenienſes uerò eos inſecuti, cùm ſe circunfundere, & locum concludere ſitus difficultate non poſſent, aggreſsi aduerſa fronte propellere conabantur. Diuq; ac maxima diei parte utriq; enecti pugna, ſiti, ſole, tam obnitebantur hi quidem, ut illos è loco ſuperiore detruderent, quàm illi ne truderentur, quod facere quam antea eis facilius erat, quia neque circuiri iam poterant, neq; à lateribus inuadi. Sed cùm nullum res haberet exitum, dux Meſſeniorum, Cleonem atque Demoſthenem adiens, inquit, in caſſum eos laborare: ſi uerò ſibi aliquantulum ſagittariorum ac leuis armaturæ uellent dare, circunuenturum ſe illos à tergo, quacunq; uiam inueniret, qua putaret ſe poſſe peruadere. Idem quæ depopoſcerat acceptis, clanculum ne conſpiceretur digreſſus, aſsiduè ſecundum prærupta inſulæ pergens, ad eam partem quam Lacedæmonij loci ſitu freti, non cuſtodiebant, ægrè ac uix circuiens illos latuit: atq; ex improuiſo & repentè in loco ſuperiore à tergo hoſtium conſpectus, hos metu conſternauit, ſuos quod expectauerant cernentes, multò magis erexit. Ita Lacedæmonij cùm utrinq; cæderentur, eo fortunæ deuenerant, qualis (ut parua magnis cõparentur) apud Thermopylas fuit. Illi enim in ſemita circunuenti à Perſis, interempti ſunt. At iſti cùm undiq; cæderentur, non amplius reſiſtebant, ſed pauci cum multis dimicantes, languidis inedia corporibus, cedebant: & iam Athenienſes potiti erant acceſsibus. Cleon uerò & Demoſthenes animaduertentes, ſi illi uel tantulum inſuper cederent, interfectum iri, pugnam ſedarunt inhibitis ſuis, uolentes ad-

Athenienſiũ in Lacedæmonios impetus.

duci uiuos illos ad Athenienses, si fortè uoce caduceatoris audita frangerentur animo ad arma tradenda, & præsenti casu uincerentur. Denunciat caduceator, nunquid uelint arma & seipsos dedere Atheniensibus, ad decernendum quicquid illis uideatur. Hoc cùm audissent, scutis pleriq; positis manus excutiebant, significantes se accipere conditionem. Factis dehinc inducijs, in colloquiũ ueniunt. Cleon Demosthenesq;, & ex illis Styphon Pharacus, Epitada (qui primus ex prioribus ducibus fuerat) occiso, & Hippagreto (qui secundus ab illo fuerat electus) inter mortuos iacente tanquam defuncto, tamen adhuc uiuo: ipse tertio loco suffectus ad imperandum ex lege, si quid illis accidisset. Is ait, & ij qui cum eo erant, uelle id se denunciare ijs qui in continente essent Lacedæmonijs, quid nam ipsos facere oporteret. Hoc non permittentes Athenienses, ipsi è continente caduceatores euocârunt. Et cùm bis térue interrogatum esset, postremus, qui è Lacedæmonijs ad eos ex continente nauigauit, renunciat, Lacedæmonij iubent uti de uobis ipsi consulatis, nihil tamen turpiter facientes. Illi inter se consilio inito, arma seq; dediderunt, atq; in custodia habiti diem illum noctemq; insequentem. Postero die Athenienses erecto in insula trophæo, cætera ad nauigationem apparabant, captiuis ad custodiam per trierarchos distributis, & Lacedæmonijs misso caduceatore mortuos reddiderunt. Tot autem in insula aut cæsi sunt aut uiui capti. Quadringenti ac uiginti numero transierant armati. Horũ trecenti minus octo uiui capti sunt, quorum ad centũ uiginti Spartiatæ erant, cæteri cæsi: Ex Atheniensibus nõ multi desiderati. Non enim pugna stataria fuit. Tempus autem uniuersum quo illi in insula obsessi sunt à pugna nauali ad hãc, duo & septuaginta dies fuêre: & eorum uiginti, quibus abiêre legati fœderum gratia, frumentum illis præbitum est, reliquo tempore clandestinis nauigationibus aliti sunt. Et erant frumenti atq; aliorum esculentorum ibi reliquiæ. Siquidem Epitadas dux parcius illa quàm pro copia præbebat. Et Athenienses quidem ac Peloponnenses è Pylo cum exercitu utriq; domum abierunt. Effectumq; consecuta est, etsi uesana Cleonis promissio. Nam intra uiginti dies, quemadmodum pollicitus est, hostem adduxit, præter opinionem cùm aliorum, tum uerò eorum Græcorum qui bello adfuerunt. Non enim de Lacedæmonijs ita censebant, ut nulla fame, nulla necessitate adacti traderent arma, sed illa retinentes, & quoad possent dimicantes, occumberent, & suis qui mortem oppetissent similes, nequa quam se dederent. Quorum captiuorũ quidam, cùm eum postea aliquando per contumeliam interrogaret aliquis ex Atheniensium socijs, nunquid ij, qui occubuissent ex eis, boni atque honesti fuissent, respondit, magni profectò faciendum esse fusum

Captiuorum numerus.

Tempus obsidionis.

Cleonis promissio.

Lacedæmonij cuiusdam responsum.

(sagit-

(sagittam uidelicet intelligens) si bonos internosceret, significans ut quisque in lapides ac sagittas incidisset, occubuisse. Vbi autem eos accepêre Athenienses, decreuêre in uinculis asseruandos, donec aliquid cum Peloponnensibus conuenisset: sin prius illi in agrum ipsorum intrassent, eductos è carcere occidendos. In Pylo autem cùm ijdem præsidium collocassent, Messenij è Naupacto missis eodem nonnullis sociorum opportunissimis tanquam in patriam (est enim Pylus Messenij, quando Messana fuit, soli) latrocinijs Laconicam infestabant, maximisque iacturis afficiebant, cùm eiusdem linguæ essent. Huiusmodi belli antea insueti Lacedæmonij, & quòd serui sui ad hostem fugiebant, ueriti ne quid ulterius apud ipsos nouaretur, non facilè ferebant: & quanquam id occultum esse uolebant Atheniensibus, tamen ad eos legationem miserunt, tentantes & Pylum recipere & captiuos. At illi maiora affectantes, identidem reuersos legatos re infecta miserunt. Et hæc quidem circa Pylum gesta.

Eadem æstate statim secundum hæc Athenienses in agrum Corinthium profecti sunt cum nauibus septuaginta, duo millia armatorum nominis Attici, cumque nauibus ducentos equites ferentibus. Comitabantur eos è socijs Milesij, Andrij, Carystij. Præerat huic clasi Nicias Nicerati filius cum duobus collegis. Sub exortum auroræ inter Cherronesum ac Rhitum tenuerunt littus loci, super quem Solygius collis est, quo colle Dores quondam communito cum Corinthijs, qui Æoles intra urbem essent, belligerauerunt. Estque nunc castellum nomine Solygia, à qua littus (quod naues tenebat) distat stadijs duodecim, ab urbe Corintho circiter sexaginta, ab Isthmo uiginti. Corinthij ex agro certiores facti de uenturo Atheniensium exercitu, omnes ad Isthmum, præter eos qui extra Isthmum colunt, diu antè succurrerant, quorum sexcenti in Ambraciam & Leucadiam præsidij gratia abierant: cæteri sine delectu obseruabant ad quam partem Athenienses appelleret. Sed cùm eos illi noctu præteruecti latuissent, & signa de hostium aduentu ipsis erepta essent, relicta suorum dimidia parte apud Cenchream, si fortè aduersus Crommyonem Athenienses irent, properè auxilium tulerunt. Et Battus alter è ducibus (duo nanque prælio adfuerunt) accepto agmine pergit ad Solygiam tutandã, castellum muris non præditum: cum reliquis Lycophron cum hoste confligit, Corinthijs à principio in dextrum Atheniensium cornu, quod statim ante Cherronesum processerat, illatis: deinde cæteris copijs. Asperũ & totũ in manibus prçliũ. Et dextrũ quidē Atheniēsiũ cornu cũ Carystijs (hi enim postremi in acie erãt) Corinthios excepit, atque ægrè repulit. Illi cũ ad maceriã usque cessissent (totus enim erat locus accliuis) supernè lapidibus hostē inferius

Prælium inter Corinthios & Athenienses.

positum incessabant: cumque paeana cecinissent, rursus inuasêre, & excipientibus eos Atheniensibus, iterum pugna in manibus erat. Caeterùm cohors quaedam Corinthiorum sinistro suorum cornu suppetias ferens, dextrum Atheniensium in fugam uertit, & ad mare persecuta est. Hanc rursus Athenienses atque Carystij à naui bus fugant. Reliquus autem exercitus continenter utrinque dimicabat, praecipuè dextrum Corinthiorum cornu, in quo stans Lycophron sinistro Atheniensium resistebat. Suspicabantur enim eos Solygiam castellum tentaturos: ita diu neutri cedentes alteris obnixi perstabant. Tandem Corinthij ab equitatu qui Atheniensibus aderat (ipsi enim equos non habebant) in fugam uersi sunt, & in collem se recipientes, depositisque armis non amplius descendentes, quieuêre. In hac fuga plurimi eorum in dextro cornu interiêre, in ijs Lycophron dux. Reliqua exercitus pars neque hoste uehementer insequente, neque effusa fuga, postquàm superata est, ad altiora succedens loco se tutabatur. Athenienses ubi iam nihil lacessuntur, hostium cadauera spoliant, suorum tollunt, trophaeum continuò statuunt. Porrò dimidiae parti Corinthiorum, quae in Cenchrea subsederat custos, ne hostis in Crommyonem nauigaret, non erat apertum sub Oneo monte spectaculum pugnae, sed puluis. Quo uiso acre cognita, confestim auxilio uenit. Veniunt item auxilio ex urbe Corinthij senes, ubi quod gereretur sensêre. Quos uniuersos conspicati Athenienses in se tendentes, rati inuadi se à uicinis circa Peloponnensibus, properè ad naues recessêre, habentes spolia & suorum cadauera, praeterquàm duorum, qui cùm reperiri nequissent, reliquerunt. atque conscensis nauibus ad circuniectas insulas transfretarũt. Vnde misso caduceatore quos reliquerant mortuos è foedere receperunt. Interfecti autem sunt Corinthiorum in prima pugna ducenti duodecim, Atheniẽsium paulò minus quinquaginta. Profecti ex insulis cùm in Crommyonem (qui est agri Corinthij) centum & uiginti stadijs ab urbe distantem, eodem die uenissent Athenienses, ingressi regionem populati sunt, noctemque immorati. Postero die nauigantes primùm in Epidaurum agrum, nonnihilque egressi, in Methonem ueniunt, quae inter Epidaurum ac Troezenem sita est. Isthmumque Cherronesi ubi Methone est, capiunt, muro circundant, impositoque praesidio (quod longo postea tempore in agro Troezenio, & Haliẽsi, & Epidaurio latrocinia exercuit) domum redierunt. Per idem tempus quo haec gesta sunt, Eurymedon ac Sophocles cum classe Atheniensiũ è Pylo in Siciliã proficiscentes, cùm uenissent in Corcyrã, prodierũt in aciem, additis sibi ijs. qui oppidum incolebant, aduersus eos Corcyrenses, qui monte infesso Istone post seditionẽ transeuntes regionẽ, suę ditionis fecerant, uehemẽterque uexabant.

Vide Strab. lib. octauo, qui hũc locum annotauit.

Isti

Isti adorti municiones expugnãt, illi fugam agmine uno intendentes in locum quendam editiorem, pacti cum hostibus sunt, ut auxiliares quidem traderẽt, de se uero post traditá arma, Atheniensi populo cognosci permitterent. Ita eos in insulam Ptychiam data fide duces transportant asseruandos, donec Athenas mittantur: ita tamen ut si quis fugiens deprehensus sit, pro soluta sit omnibus fides. Verùm primores populi Corcyrenses uerentes, ne Atheniẽses illuc profectos istos non morte afficerent, huiuscemodi rem machinantur: Submittunt ad quosdam qui apud Ptychiam erant aliquot amicorum, ut eos subornent, docentes optimum factu esse, ut primo quoque tempore illinc fugam capessant, nauigio aliquo præparato: tradituros enim duces Atheniensium ipsos populo Corcyrensi. Vbi persuasi illis nauigium machinatis, profecti, intercepti sunt, pactio soluta est, traditique uniuersi populo Corcyrensi. Assenserunt huic commento in primis Atheniensium duces, quo plus occasionis ad fugam, ac minus timoris ad comminiscendum esset, præ se ferentes, quoniã in Siciliam nauigarẽt, nolle illos uiros in aliorum potestatem uenire, sed præmij loco in istorum, à quibus ipsi acciti essent. Hos cùm accepissent Corcyrenses, intra grande ædificium cohibuerunt. Productos dehinc uicenos gemino armatorum ordine utrinque stipatos, atque inter se colligatos deducebant, pungentibus percutientibusque qui circa instructi ibant, siquidem inimicum suum quis aspexisset, ac lictoribus eos qui tardius incederent prętereundo urgentibus. Atque hunc in modum eductos trucidarunt ad sexaginta, ignaris rei ijs, qui in ædificio supererant, quippe opinantibus socios aliò traduci. Vt autem resciuerunt à quodam edocti, tunc inuocare Athenienses, ac iubere ut se, si uoluntas eorum ferret, ipsi occiderent: negare se aut exituros, aut aliquẽ introire, quoad possent, permissuros. Corcyrenses uerò ne ipsi quidem uim afferendam foribus existimauerunt, sed conscenso ædificij tecto, reuulsoque lacunari, tegulis sagittisque infra positos petebant. Illi ut poterant se protegebant, ipsorumque multi mortem sibi consciscebant, partim sagittas ab hoste missas iugulis imprimentes, partim cubilium suorum, qui illic erant, funibus, partim restibus quas faciebãt ex uestibus strãgulantes. Omni denique ratione plerunque noctis (nox enim interuenit) tum sibi manus inferentes, tum à superne ferientibus absumpti sunt. Quos orta luce Corcyrẽses in plaustra aceruatim coniectos extra urbem portarunt, eorumque uxores, quæcunque intra ædificium captæ sunt, in seruitutem redigerunt. Tali morte Corcyrenses qui montem insederant, à populo sunt affecti: atque seditio, quæ multa extiterat, hunc finem habuit, quatenus ad hoc bellũ pertinet. Neque enim de alijs quicquã iam reliquũ est alicuius mométi.

Crudele Corcyrensiũ facinus.

Corcyrensium seditionis finis.

Athe-

Athenienses in Siciliam quo primùm instituerant, profecti, adiunctis illinc socijs bellum gerebant. Extremaq; æstate, qui apud Naupactum erãt Athenienses, atq; Acarnanes cum exercitu euntes Anactorium Corinthiorum oppidum, in ore sinus Ambracij situm, per proditionem ceperunt, idq; eiectis undiq; Corinthijs Acarnanes ipsi tenuerunt: atq; æstas exijt. Ineunte hyeme Aristides Archippi filius, unus è ducibus classis, ad socios ob pecuniam cogendam missus, apud Eionem, quæ est super Strymonem, cepit Artaphernem Persam, à rege missum Lacedæmona. Quo Atheniensеs perducto, epistolas legerunt ex Assyrijs literis traductas: quarũ cùm alia multa scriberentur ad Lacedęmonios, summa hęc erat: Nescire se quid Lacedæmonij uellent: nam cùm multi legati uenirent, nullum eadem dicere, si uellent apertè loqui per hunc Persam, ad se mitterent. Artaphernẽ uerò postea Athenienses unà cum legatis triremi dimiserunt Ephesum. Vbi cùm accepissent Artaxerxem Xerxis filium proximè excessisse de uita, per id enim tempus decesserat, domum rediêre.

Literæ Persæ ad Lacedæmonios.

Nouum murus Chij.

Eadem hyeme Chij nouum murum Atheniensium iussu demoliti sunt, suspicantium ipsos nouis rebus studere, etsi fidem fecerant, & quoad poterant, satis dabant se nihil aduersus illos noui cogitaturos: & hyems exijt, septimusq; annus huius belli quod Thucydides conscripsit.

Octaui anni initium.

Eclipsis solis.

Initio statim insequentis æstatis circa nouilunium, sol ex parte defecit, eodemq; mense extitit terræmotus, & Mitylenæi alijq; Lesbij exules permulti in continentẽ profecti, coacta illinc manu & auxilijs ex Peloponneso mercede conductis Rhetiũ occupant: & acceptis duobus Phocaicorum staterum millibus rursus reddiderunt prorsus illæsum. Mox ad Antandrum transeuntes, urbem interueniẽte proditione capiunt: quorũ propositum erat cùm alias ciuitates, quæ Actææ uocantur, quasq; prius incolentibus Mitylenæis Athenienses tenebant, in libertatem uindicandi, tum uerò Antandrum: & cùm ea potiti essent, quippe in qua erat magna opportunitas faciendarum nauium ob materiã, & illinc, & ex Ida suprapofita, atq; ob aliũ apparatũ, facili illinc trãsitu infestãdi Lesbum adeò uicinã, & occupãdi Æolicos uicos in cõtinẽte. Et hi quidem hæc facere cõstituerant. Eadẽ uerò ęstate Athenieñes cũ nauibus sexaginta, duo millia armatorũ & aliquot equites, ducẽtes ex socijs Milesios & alios nõnullos, duce Nicia Nicerati, Nicostrato Diotrephis, et Autocle Tolmęi filio, bellũ intulerũt Cytheris, quę est insula Laconicæ opposita oræ Maleã uersus, quæ Lacedęmonijs circũiectis habitatur: & ad quã magistratus ad ius dicendum quotannis ex Sparta trãsibat, armatumq; pręsidiũ semper mittebatur, & eius ingens à Lacedæmonijs cura gerebatur. Quoniã ipsis

Antandros capitur.

Cytheriorum magistratus.

erat

erat ex Ægypto & Lybia nauigiorum receptus, & minus latrocinia à mari, qua tantùm poterant parte grassari, Laconicam oram uexabant, utpote totam Siculo ac Cretico pelago obnoxiā. Cùm igitur appulissent Athenienses cum exercitu denum nauium, & duûm millium Milesiorum, urbem maritimam capiunt nomine Scandeam. Reliquo cum exercitu abeuntes ab insula in loca Maleam spectantia, tendunt ad maritimum oppidum Cytheriorum, oppidanosq; reperiunt omnes sub armis stantes. Commissa pugna Cytherij cùm paulisper sustinuissent, terga dātes ad urbem superiorem refugiunt. Postea cum Nicia atq; collegis transegerunt, ut sese Atheniensibus permitterent, citra tamen mortem. Fuerant autem prius habiti sermones inter Niciam & quosdam Cytheriorum, quo festinantius aptiusq; quæ ad conuentionem & in præsentia & in posterum pertinebant confecta sunt. Siquidem Athenienses Cytherios transtulerunt, tum quia Lacedæmonij erant, tum quia eorum insula adeò est Laconicæ oræ obiecta. Post conuentionem Athenienses accepta Scandea oppido sub portum sito, & Cytheris imposito præsidio, nauigarunt in Asinam, in Helos, & in plurima ad mare loca: in quibus egressi in terram considentes ubicunq; opportunum erat, terram populabantur circiter septem dies. Lacedæmonij cernentes ab Atheniensibus teneri Cythera, cùm expectarent suam quoq; terram similiter inuasum iri, nusquā illi quidem cum multis copijs putarunt occurrēdum, sed per regionem eas distribuendas, prout quisque locus præsidium postulabat. Alia quin etiam custodiebant, timentes ne quid sibi nouæ seditionis oriretur, cùm & in insula inopinata & ingens calamitas accepta esset, & Pylus ac Cythera amissa, bellumq; ipsos undiq; circunstaret repentinum & improuisum, adeò ut præter cōsuetudinem equites quadringentos, ac sagittarios cōpararent, & ad militandū si quādo aliàs, tū maximè segnes redderentur, cōtrahentes hæc in specie apparatus, quem habebant ad nauale certamen: idq; contra Atheniēses, qui quoties aliquid non aggrediebātur, ideo non aggrediebantur, quòd sibi id effecturi non uidebantur. Præterea fortuita multa quæ ipsis præter rationem acciderant, summum metum incutiebant, ne quando calamitas aliqua rursus, qualis ad Pylum, eis contingeret. Ea propter erant ad pugnandum timidiores, existimantes quicquid molirentur, id infaustum fore, decepti opinione, quòd insoliti antehac fuerant aduersæ fortunæ, Atheniensibus autem oram maritimam uastantibus ipsi plerunq; quieti erant, ut aduersus singula præsidia illis descendendum esset, censentes & numero eos & in ea re inferiores futuros. Vna autē cohors, quæ præsidio erat Corcyræ & Aphrodisiæ, turbam leuis armaturæ palatam repentè aggressa terrefecit,

sed

ſed excepta à graui armatura rurſus ſe recepit, amiſsis aliquot ſuorum atque armis. Athenienſes erecto trophęo in Cythera abierunt, atque inde in Epidaurum Limeram: mox uaſtata ſoli parte in Thyream terræ quam uocant Cynuriam, agrum Argium atque Laconicum diſterminantis, quā Lacedæmonij colentes Æginetis patria eiectis incolēdam dederant, tum ob liberalitatem quā in ipſos uſi illi fuerāt, & terræmotus tempore reſtitutis mancipijs, tum quòd Atheniēſibus ſubditi, tamen pro eis aſſiduè ſenſerant. Aduentantibus igitur cum claſſe Athenienſibus Æginetæ relicto, quem ad mare extruxerant, muro, ad ſuperiorem quam incolebant urbem refugerunt, decem ferè à mari ſtadia diſtantem: cumque eis una cohors Lacedæmoniorum, data ad præſidium loci, quæ extruendo muro ſocia fuerat, tamen muros ingredi noluit, ne precātibus quidem Æginetis, rata periculoſum ſibi fore muris includi: ſed cùm impares ſe ad pugnā exiſtimarent, nacti loca editoria quieuerunt.

Æginetæ Athenienſes fugiunt

Interea Athenienſes terram tenentes, admotis omnibus copijs Thyream capiunt, diripiunt, incendunt, Athenasque redeunt, Æginetas quicunque in certamine non occubuerant, & Tantalum portantes Patroclis filium, qui apud illos fuerat pro Lacedæmonijs dux. Viuus enim cùm uulneratus eſſet, captus eſt. Aliquot etiam ex Cytheris, qui ob uitandum periculum uiſi ſunt transferendi, & hos quidem ex Cythereis cenſuerunt Athenienſes in inſulas tranſcribendos, alij qui illic relinquerentur tributum quaterna talenta penderent. Æginetas uerò propter perpetuam ſimultatem omnes quicunque capti eſſent necandos. Tantalum autem ſupra cæteros Lacedæmonios apud inſulam captos alligandum.

Thyrea capitur.

Eadem æſtate in Siciliam inter Camarineos atque Geloos induciæ primùm initæ ſunt. Mox cæteri Siculi legatis ſingularum ciuitatum ad Gelam coactis, inter ſe tractabant, ſi quo pacto reconciliarentur. Et cùm multæ ultrò citroque ſententiæ dicerentur diſſentientium, & prout quiſque ſe lædi arbitrabatur expoſtulantium, Hermocrates Hermonis filius Syracuſanus, qui præcipuè eos ad commune bonum hortabatur, huiuſcemodi habuit orationem:

Oratio Hermocratis ad Sicilienſes.

NOn ex ea ciuitate, Sicilienſes, quę aut minima ſit, aut maximè bello laboret, ego ortus uerba facturus ſum: ſed ut aperiam quæ mihi ſententia optima uideatur, in commune totius Siciliæ bonum. Ac quàm ſit difficile gerere bellum, & uniuerſa quę in eo ſolent contingere, cur quis longa apud ſcientes oratione exæquatur? Nemo enim aut rerum imperitia ad hoc agendum compellitur, aut ab hoc agendo, ſi quid amplius adepturum ſe ſperat, terrore coërcetur. Vſu autem uenit, ut his maiora uideantur lucra fore, quàm difficultates: illi malint ſubire pericula, quàm aliquam ia-

ctură in præsentia facere. Quòd si hæc ipsa neutri suo tempore faciant, nimirũ exhortatio de reconciliatione conducit, id quod nobis hoc tempore, si obtẽperauerimus, in primis operæpreciũ erit. Nanq; & antea ut suis quisq; rebus bene cõsuleret, bellum suscepimus, & nunc inuicẽ altercantes tentamus in pristinã redire gratiã, rursum reuersuri ad bellum, nisi suum ius cuiq; reddatur. Etenim nosse uos oportet, non de priuatis modò rebus, si sapimus, coactum esse concilium, sed nunquid etiam uniuersam Siciliam ab insidiantibus, ut ego arbitror, Atheniensibus possimus eximere, atque existimare ipsos Athenienses uel magis quàm uerba mea pacis sequestros esse necessarios, qui maximam inter omnes Græcos potestatem habentes, ad obseruanda delicta nostra præstò sunt cum paucis nauibus, & societatis nomine legitimo rem natura hostilem ad utilitatem suam speciosè moliuntur. Nam si bellum elegerimus, & hos homines accersiuerimus, qui etiam nõ accersentibus bellum inferũt, ubi nos mutuò uexauerimus domesticis sumptibus, cum profectu imperij istorum, credibile est eos aliquando cum maiori classe uenturos, ac nostra omnia in suam potestatem redigere conaturos. Et certè, si sapimus, satius est unicuiq; aliena inuadendo, quàm ea quæ possidet destruendo socios accire, ac pericula suscipere, existimantem seditiones maximè perniciosas esse ciuitatibus, atq; Siciliæ, quàm nobis incolentibus uniuersis, tenduntur insidiæ, dum nostræ ciuitates alia cum alia contendunt. Quæ nos animaduertentes debemus, priuatus cum priuato, & ciuitas cum ciuitate, redire in gratiam, & communiter dare operã, ut omnem Siciliam liberemus, nec in mentem uenire cuipiam oportet, nostrates quidem Dores Atheniensibus esse hostes, Chalcidenses autem propter Ionum cognationem fideles. Neq; enim Athenienses inferunt bellum gentibus nostris partium odio, sed fortunarum auiditate, quas cuncti in Sicilia possidemus, id quod in partibus Chalcidensium declararunt ab illis acciti. Nam à quibus nunquam ex fœdere societatis adiuti fuerant, ijs ipsi libentius ius confœderationis præstiterunt. Et Atheniensibus quidem hęc prospicientibus, ac proficere uolentibus, nimirũ ueniam do, nec imperium affectantes uitupero, sed proniores ad imperata facienda. Humana nanq; ingenij natura comparatum est, ut cedenti imperet, inuadentem propulset. Ac quicũq; nostrûm hęc cognoscentes non rectè consideramus, neq; hoc antiquissimum iudicamus ut quod communiter terribile est, id omnes ritè componant, peccamus. Hoc autem metu si inuicem conueniamus, quamprimùm liberabimur. Neq; enim ex sua nos terra Athenienses inuadunt, sed ex eorum à quibus acciti sunt. Atq; ita non bellum bello, sed discordia pace sedabitur nullo negocio, Et qui accersiti uenerunt

unius terræ eiuſdemq; inſulæ, & idem ſortiti nomen Sicilienſes, qui quidem bellum geremus (ut opinor) quando conueniet, & rurſus in mutuam redibimus gratiam, habito cōmuni colloquio. Alienigenas autem huc uenientes, ſi ſapimus, ſemper coniuncti propulſabimus: ſiquidem dum aliquibus ſeparatim uis affertur, uniuerſi periclitamur. Nec ſocios unquam poſthac accerſamus, neq; reconciliatores. Quod facientes Siciliam & in præſentia duobus bonis nō fraudabimus, ut eam ab Athenienſibus inteſtinoq; bello liberemus, & in poſterum per nos liberam poſsidebimus, aliorum quoq; inſidijs minus obnoxiam.

Talia locuto Hermocrate perſuaſi Sicilienſes, inter ſe in hanc ſententiā conuenerūt, ut ab armis diſcederetur, obtinentibus quibuſq; quæ obtinerent, & fieret Morgantina Camerinorum certam Syracuſanis pecuniam reddentium. Socij uerò Athenienſiū accitis illorum primoribus dixerunt fœdera, quæ ineunda eſſent, fore cum eis communia, ijsq; probantibus pacificati ſunt. Poſt quod Athenienſium naues è Sicilia deceſſerunt. Earum duces domum reuerſos ciuitas mulctauit, exilio quidem duos, Pythodorū & Sophoclem, pecunia uerò tertium, Eurymedontem, quaſi penes eos fuiſſet Siciliā ſubigere, uerùm perſuaſi muneribus abſceſſiſſent. Adeò freti præſenti proſperitate, dignum ducebant, ut nihil ſibi obſiſteret, utq; difficilima peræque atque facilia, & ſiue magnis copijs ſiue exiguis poſſent efficere. Cuius rei cauſa erat quæ uires ad ſperandum ſubminiſtrabat, multiplex præter rationem felicitas. Eadem æſtate Megarenſes tum bello Athenienſium bis quotannis in agrum ipſorum cum omnibus copijs ingredientium, tum à ſuis exulibus, qui per ſeditionem multitudinis exacti aſsiduis latrocinijs graſſabantur, affecti, in colloquium uenerunt, de recipiendis exulibus, ne per utroſq; ciuitas perderetur. Id muſſari intelligentes eorum qui extrà erant amici, poſtulare & ipſi quàm antea apertius, ut huiuſmodi colloquium haberetur. Intelligentes quoq; primores ciuitatis plebem tolerandis malis parem non fore, timore adacti in colloquium cum Athenienſium ducibus Hippocrate Ariphronis, & Demoſthene Alciſthenis filio ueniunt, uolentes dedere ciuitatem, exiſtimantesq; ſic minus ſibi periculoſum, quàm ſi ab ipſis eiecti reuerterentur. Conuentum eſt primùm, ut Athenienſes demolirentur muros amplos, octo fermē ſtadiorum, ab urbe ad Niſæam eorum portum, ne ex Niſæa ſuccurrerent Peloponnenſes, qui ſoli illic ob eius urbis tuitionē præſidium habebant, deinde tentarent ut arx in edito ſita traderetur, res futura conceſſu facilis. Illo conceſſo, ubi ab operibus atq; à colloquio ad res præparādas utrinq; itum eſt, Athenienſes noctu ad Minoam Megarenſium inſulam profecti cum ſexcentis armatis,

Megarenſium et Athenienſiū pacta.

Megarenſium commentum.

duce Hippocrate, ad fossam consederunt, unde lateres ad extruendos muros non ita illinc longè faciebant: Platæensibus leuiter armatis alijsq; incolis cum Demosthene altero duce, apud templũ Martis, quod propius adest, ad insidias collocatis, nemine sentiente, præter eos quibus curæ fuit ea nocte sentire. Et cùm aduentaret diluculum, Megarenses, qui proditionẽ moliebantur, iam pridem commenti apertionem portarum, huiusce modi rem fecerũt: Soliti erant noctu ueluti latrones persuaso suo magistratu actuarium nauigium carro impositum, per fossam ad mare traducere, ac nauigare, & rursus ante lucem id per portas carro in muros inferre, ut sua Atheniẽsibus ex Minoa insula foret occulta custodia, cùm nullũ omnino in portu nauigium esset. Et cùm ad portas iam erat currus, cùm illæ ex more tanquam ad recipiendam nauiculam sunt apertæ, Athenienses hoc uiso (ex composito enim factum erat) ex insidijs procurrunt, uolentes priusquàm iterũ clauderentur, portas occupare, atq; irrupere dum adhuc currus in illis est impedimento ne occludantur: & cum ipsis pariter qui rerum erant socij. Megarenses custodes apud ipsas portas trucidant, & omnium primi, qui circa Demosthenem erant Platæenses, ac circum habitantes irrumpunt: quo loco nũc trophæum uisitur, confestimq; inter urbem eos Peloponnenses, qui ueniebant auxilio (senserunt enim qui in proximo agebant Peloponnenses) cõgressi superant, & superuenienti Atheniensium graui armaturæ tutas portas præstant. Illi ut quisq; intrabat tendere ad murũ Peloponnensium præsidiariorum. A principio resistentes pauci uim arcere, nõnulli occumbere, pleriq; in fugam se dare, timentes ingruentem nocte hostem: & cùm illic pugnarent Megarenses proditores, ab omnibus se Megarensibus proditos esse existimãtes. Contigit enim ut præco Atheniensiũ suopte cõsilio denunciaret, quisquis uult Megarensium ad Athenienses transeat armis depositis. Quod ubi Peloponnenses audierunt, reuera putantes ab utrisq; se oppugnari, non amplius restiterunt, sed in Nisæam fugam intenderunt. Et prima aurora iam muris captis, ac tumultuantibus intra urbem Megarensibus ijs, qui fauerant Atheniensibus unà cum alijs, conscia rei multitudine dicere portas aperiri oportere, & in pugnam exire, uidelicet conuenerat, ut apertis portis Athenienses irrumperent, & ipsi, ne læderentur, internoscendi oleo essent inuncti. Potior tamen eis extitit, quàm ex apertione portarũ tuitio. Siquidem quatuor millia peditum grauis armaturæ, & sexcenti equites Atheniensiũ, noctu itinere facto ab Eleusine ex composito aderant. Et cùm illi uncti iam ad portas essent, unus ex conscijs insidias ijs, qui inscij erant, exponit. Isti conspiratione facta frequentes ueniunt, negantq; prodire oportere (neq; enim se antea

Peloponnenses fugiunt.

hoc,

hoc, cùm ualidiores eſſent, auſos fuiſſe) neq; in apertum diſcrimen urbem eſſe deducendam: ſi quis uerò non pareat, ipſius pugnam fore. Diſsimulabant ſe ſcire quid ageretur, ſed tanquam conſultantes quod optimum eſſet, contendebant: & inſuper ad cuſtodiendas portas permanebant. itaq; non licuit inſidiatoribus cogitata perpetrare. Animaduertẽtes autem Athenienſium duces rei impedimentũ interceſsiſſe, nec ſe ſatis ualidos futuros ad urbem expugnandam, protinus Niſæam muro concludunt, arbitrantes ſi prius eam quàm aliquid ſuccurreret, cepiſſent, fore ut ocyus Megara in deditionem uenirent. Et cùm ex Athenis properè aduexiſſent ferrum, tectores, aliaq; neceſſaria, murum extruxerunt ab eo quem ipſi tenebant ſumpto initio Megarenſes uerſus, ab illo utrinq; ad mare Niſææ, utentes muris & foſſa, tum lapidibus atque lateribus ex ſuburbanis, tum arboribus quas cędebant, aliaq; materia, & ſicubi quid deerat, locum clatris munientes, exercitu muros ac foſſam deſtruente. Quin hæ ipſæ domus ſuburbanæ, acceptis pinnis, erant pro caſtellis. In quod opus totus dies inſumptus eſt, & ſequens uſq; ad ueſperum, in id quod reſtabat ad perficiendum. Vnde metu perculſi qui in Niſæa erant, tum frumenti inopia, quo ex arce quæ ſuperior eſt deuecto, in diem uiuebant, tum deſperatione celeris Peloponnenſium auxilij, tum quòd Megarenſes hoſtes eſſe ſuſpicabantur, depacti ſunt cũ Athenienſibus ut traditis armis certa ſinguli pecunia dimitterentur. Athenienſes autem liceret in Lacedæmonios eorumq; ducem, & ſi quis alius intus eſſet, libero uti arbitrio. Ita pactione facta abierunt illi, & Athenienſes longis muris ab urbe Megarenſi interciſis, ac Niſæa accepta, ad alia ſe inſtruebant. Per hæc tempora Braſidas Lacedæmonius Telidis filius circa Sicyonem & Corinthũ agens ad comparandum in Thraciam exercitũ, ut accepit de expugnatione murorum, timens Peloponnenſibus, qui intra Niſæam erant, né ue caperentur Megara, mittit ad Bœotios, iubens properè eos cum omni exercitu præſtò ſibi eſſe ad Tripodiſcum, qui eſt uicus agri hoc nomen habens, ſitus ſub monte Gerania. Eo ipſe uenit cum grauis armaturæ Corinthiorum duobus millibus ac ſeptingentis. Phliaſiorum quadringentis, Sicyoniorum ſexcẽtis, præter eos quos iam ipſe coëgerat, credens Niſææ nondum expugnatæ ſe laturum auxilia. Vbi rem accepit (noctu enim ad Tripodiſcum peruenit) egreſſus antequàm hoſti auditus eſſet, cum delecta trecentorum manu, acceſsit ad urbem Megarenſium, ignaris Athenienſibus, qui ad mare agebant, Niſæam tentaturus uerbo quidem, ſed re quoq; ſi poſſet, quodq; pręcipuum erat, urbem Megarenſiũ ſi intraſſet muniturus. Popoſcit autẽ ut ſe reciperent, quod diceret in ſpe eſſe Niſæam capiendi. Verùm utraq; Megarenſium factio

Athenienſium conſultatio.

Niſæorum deditio.

uerita, altera quidem ne illos reductis exulibus expelleret, altera uerò ne hoc timore populus in eam impetũ faceret, & secum ipsa dimicans ciuitas, ab insidiantibus è propinquo Atheniẽsibus perderetur, nõ recipiendum putauit, sed sibi quiescentibus euentum expectandum. Sperabant enim utrinque fore, ut inter Athenienses & eos qui auxilio uenerant, prælium cõmitteretur, atque ita tutius ipsi, ut quisque cum illis sensisset, adiutores accederent. Brasidas ubi non persuadet, retrò ad alium redijt exercitum, ac primo statim diluculo Bœotij affuerunt, in animo habentes, prius quàm ad ipsos Brasidas mitteret, ad succurrendum in Megara ire, tanquam non alieno ab ipsis periculo. Et cùm iam in agro Platæensi cum omni exercitu forent, aduẽtu nuntij animatiores multò effecti, duobus millibus ac ducentis armatis, equitibusque sexcentis ad Brasidam missis, cum maiori ipsi exercitus parte redierunt. Cùm autem iam afforent omnes copiæ armatorum, non minus sex milliũ, & Athenienses in acie circa Nisæam & mare instrũcti essent, & leuis corũ armatura per campos palata, hanc ex improuiso Bœotiorum equitatus in eam impetu dato, in fugam uertit ad mare uersus: quippe priusquàm alicunde Megarensibus subueniretur, inuaserat: cum quo in occursum progressi Athenienses, ad manus uenêre, ac diu equestre prælium fuit. In quo utrique non inferiores se extitisse existimarunt. Siquidem præfectũ equitum, & aliquot alios ad ipsam Nisæam profectos interemerunt spoliaruntque: & cùm cadauera, quibus potiti erant, illis ex fœdere reddidissent, trophæũ statuerunt. Verùm in omni pugna cùm neutri acriter usque adeò instarent, dirempti sunt, Bœotij ad suos, Athenienses ad Nisæam se recipientes.

Brasidæ consultatio.

Secundũ hæc Brasidas cum exercitu propius mare atque urbem Megara progressus, occupato idoneo loco instructa acie quiescebat, ratus & Athenienses se inuasuros, & Megarenses ad spectaculum stare, utrorũ sit futura uictoria, & secum bene utrocunque modo agi, ut neque ipsi priores lacesserent illos, periculumque pugnandi ultrò adirent, & ubi palàm esset eos esse paratos ad defensionem, ibi tanquam sine puluere cessuram meritò uictoriam. Itemque quod ad Megarenses attinet, rectè cõtingere: nisi enim uenisse uisi essent à Megarensibus, nequaquam se consequuturos urbem, sed haud dubiè ueluti uictos protinus urbe carituros. Nunc autem hoc certè assecuturos, ut Atheniensibus pugnare nolentibus, ipsi ea obtineant citra pugnam, quorũ gratia uenissent: quod & contigit. Siquidem Megarenses, ubi Athenienses egressi apud muros longos, instructa acie quieuerũt, idem & ipsi fecerũt. Quiescebant aũt illi, quòd eorum duces censebant, si à Lacedæmonijs non inuaderentur, haudquaque par esse discrimen suum & illorũ. Nam cùm ipsis pleraque successissent, si priores prælium aduersus

plures

plures inirent, aut uictores tantum Megara capturos, aut uictos optimam copiarum partem amissuros. Illos uerò quorum exercitus nō ex una ciuitate, sed ex singularū partibus cōstaret, haud ab re periculum facere uelle. Et satis mansum est, & ubi ab alterutris nihil tentatur, ab Atheniensibus prius in Nisæam discessum, tum à Peloponnensibus eò unde processerāt. Ita Megarenses exulum amici, tanquā Atheniensibus nolentibus iam certare, addito magis animo, portas aperiunt Brasidæ uelut uictori cum ciuitatum primoribus, & cum receptis in colloquium ueniūt, alterius factionis hominibus iam timore perculsis. Mox dilapsis in urbes suas socijs, Brasidas Corinthum reuersus, exercitum in Thraciam, quò antea constituerat, cōparabat. Reuersis quoq; Atheniensibus domum, Megarenses quicunq; participes maximè extiterant rerum ad hos trahendarum, uidentes se esse deprehensos, continuò ex urbe se subduxerunt. Cæteri habito cum exulum necessarijs colloquio, eos qui apud Pegas agebant, reuocarunt, interposita fide cū maximo iureiurando, nihil se iniuriarū memores fore, sed quæ optima essent ciuitati cōsulturos. Iidē ubi magistratus effecti sunt, dum arma recognoscunt, dispositis manipulis, deligunt ex inimicis qui præcipuè studiosi Atheniensium fuisse uidebantur, ad centum uiros, & hos adacto ad ferenda palàm suffragia populo, tanq; condemnatos interficiunt, ciuitatemq; ferè ad oligarchiam, id est, ad dominatum paucorum redigunt. Atq; hic status ex seditione secutus, diu sub paucissimis durauit. Eadem æstate cùm Antandrus à Mitylenæis, quemadmodū constituerant, munienda esset, ubi id eos moliri senserunt Atheniensium duces classis ad legendam pecuniam missæ, Demodocus & Aristides, qui circa Hellespontum agebāt (nam tertius eorum Lamachus in Pontum cum decem nauibus abierat) res momentosa uisa est eis, ne idem quod apud Anæa in Samo contingeret: ubi Samiorum exules sese communientes, Peloponnensibus gubernatores eis mittendo in rem nauticam adiumento erant, & eos qui intra urbem essent, perturbabant: & qui excederent urbe, receptabāt. Ita coacta ex socijs manu Antandrū petunt, cōmissaq; cum ijs qui ex Antandro prodierunt, pugna, iterum locū recipiunt. Neq; ita post Lamachus, qui Pontum intrauerat, cùm fluuium Calecem, qui per agrum Heracleensem fluit, subisset, naues amisit subita ui torrentium aquarū supernè deuoluta. Ipse cum exercitu itinere pedestri per Bithynos Thraces, qui trans mare in Asia sunt, Chalcedonem uenit in ore Ponti sitam Megarensium coloniam. Eademq; æstate Demosthenes Atheniensiū dux cum nauibus quadraginta, in Naupactum se cōtulit, statim à discessu ex agro Megarensi. Nam & Hippocrates de rebus Bœotijs cum quibusdam apud ciuitates uiris transegerat, cupiētibus transferre statū illū in popularē, ut Atheniensiū

Megarenses exules reuocant.

erat,autore præcipuo Pitiodoro exule Thebano,atq; hunc in modum res preparauerunt.Conſtituerant quidam per proditionem tradere Siphas,oppidum ſoli Theſpici in ſinu Criſſæo maritimū, cùm iam alij ex Orchomeno,quod quondā Minyeum,nunc Bœotium uocant, Chæroneam Orchomeni uectigalem dedituri eſſent,adiutoribus præcipuè Orchomenijs exulibus, qui ex Peloponneſo homines mercede conduxerant.Eſt autem Chæronea in extremis Bœotiæ apud Phanotidem,in agro Phocēſi,promiſcuè habitantibus Phocenſium nonnullis.Enimuero oportebat Athenienſes Delium occupare Apollinis templum,in Tanagræa Eubœam uerſus,& hæc ipſa fieri condicta die,ne Bœotij in Delium frequentes opem ferrent,ſed de ſuis ipſorum rebus ſoliciti quiq; ſatagerent. Etſi conatus rectè ceſsiſſent,& Delium muro clauſiſſent,facilè ſperabant,etiamſi non protinus innouaretur aliquid in rebus publicis Bœotiorum,tamen ſi tenerentur hæc loca,& regio latrocinijs infeſtaretur,& ſingulis è propinquo receptus eſſet,nō manſuras eo loco res,ſed tempore Athenienſes ad eos accedendo qui defeciſſent, Bœotijs non ſatis copiarum habentibus,per hæc ſibi uiam ad occaſiones munituros.Huiuſmodi igitur inſidiæ tendebantur. Hippocrates uerò qui copias habebat,erat ipſe quidē, cùm tēpus adforet,eas ex urbe in Bœotios ducturus.Demoſthenem autem cum nauibus quadraginta ad Naupactum prēmittit, ut coacto ex illis locis exercitu Acarnanum cæterorūq; ſociorum, in Siphas nauigaret ad proditionem ſpectātes,cùm oporteret,occurſurus.Et dies inter eos eſt conſtituta,qua die hæc confici oporteret. Et Demoſthenes quidem habens tum Oeniades à cunctis Acarnanibus in ſocietatem Athenienſium adactos,tum ſociorum auxilia quæ illinc undiq; euocauerat,profectus primùm ad Salynthium & Agræas,admotis copijs,alia ſimulando ſeſe prēparabat, ut quādo opus eſſet,occurreret ad Siphas.Braſidas per hoc idem æſtatis tempus, cum mille & ſeptingentis armatis ad obeundas res Thraciæ pergens,ubi peruenit Heracleam,quæ eſt in Trachine,præmittit in Pharſalum ad neceſſarios ſuos nuncium,efflagitans ut ſe atq; exercitum deduceret.Qui cùm ad eum in Melitiam Achaiæ ueniſſent,Panærus,Dorus,Hippolochidas,Torilaus,& Strophacus Chalcidenſium hoſpes,tunc ire contendit,deducentibus eum cùm alijs Theſſalis,tum uerò ex Lariſſa Niconida Perdiccæ filio,eius neceſſario.Etenim Theſſaliam ſemper alioqui difficilem tranſitu,tum ſine duce tranſire non poterat,utique cum armis, quia proxima quæque ſuſpecta reddidiſſet, cum omnibus Græcis pariter,niſi tranſitum exoraſſet,tum uerò Athenienſibus, in quorum amorem perpetuò fuit propenſum Theſſalorum uulgus.Itaque niſi Theſſali dominatu potius quàm æquitate legum

(quod

(quod ipsorum est proprium) uterentur, nunquam Brasidas pertransisset. Nanq; tunc ei ire pergenti contrariæ factionis Thessali ad flumen Enipen occurrũt, pergere prohibentes, quod dicerent iniurios esse, quia sine publica autoritate trãsirent. At ij qui duces huius erant, negare se inuitis illis transituros: sed cùm celeriter uenissent, essentq; hospites, esse excipiendos. Ipse quoq; Brasidas dicebat, per Thessalorũ terram se ire, quorum amicus esset, & Atheniensibus suis hostibus, non eis arma inferre, nec ullas scire inter Thessalum & Lacedæmonium esse inimicitias, quin uter alterius solo utatur, nunc illis inuitis progredi nec uelle nec posse, orare tamen ne prohiberetur. His illi auditis abierunt. Brasidas autẽ hortatu ductorum, antequàm plures ad inhibendum iter coirent, nusquam subsistens cursim perrexit: & eodem quo ex Melitia profectus est die, Pharsalum peruenit, & ad flumen Apidanũ castra posuit. Atq; illinc in Phacium, & inde in Peræbiam, illincq; iam Thessalis ductoribus digresis, Peræbi qui ditionis Thessalorũ sunt, ad Dion usq; deduxerunt, oppidum ex imperio Perdiccę, sub Olympo situm Macedoniæ monte, Thessaliam uersus transcurrens præuenit, prius quàm se quis ad inhibendũ præpararet, & ad Perdiccam in regionem Chalcidis se contulit. Siquidem ij qui in Thracia ab Atheniensibus defecerant, atq; Perdiccas, ubi res Atheniensiũ secundæ esse cœpêre, metu cópias ex Peloponneso abduxerunt. Chalcidenses quidem, quòd in se primùm uenturos suspicabãtur Atheniẽses, quodq; finitimæ eorum ciuitates quæ non defecerãt, clam se cõmuni consilio præparabant. Perdiccas uerò non ille quidem ex professo hostis, sed tamen & ipse reformidans pristinas cũ Atheniensibus discordias, præcipueq; Arrhibæum Lyncestarum regem deiectum uolebat. Accessit ad facilius educendum ex Peloponneso exercitum præsens infelicitas, Lacedæmoniorũ quidem qui spectabant Atheniẽses cùm cæteræ Pelopõneso, tum uerò ipsorum regioni imminentes hoc maximè modo auertere, si quid inuicem eis doleret, misso aduersus eorum socios exercitu, præsertim cùm parati essent qui hunc exercitũ alerẽt, quiq; ipsos in facienda ab Atheniẽsibus defectione accerserent. Eo quidem magis, quòd per causam hanc uolebãt seruitia emittere, ne quid noui ea tempestate Pylo capta moliretur. Cùm hoc fecissent Lacedæmonij, illorum & iuuentutẽ & turbam reformidãtes (ferè enim eis inter pręcipuas curas fuit semper seruitiorũ custodia) præceperunt ut quicũq; inter hostes strenuissimi sibi uiderẽtur extitisse, secernerẽtur tanquã liberãdi, ad explorandã illorum sententiã, rati ut quisq; primus dignũ se libertate duceret, ita maximè insidiaturũ. Quorum cũ ad duo millia discreti essent, & tẽpla coronati circuissent, tanq; libertate donati, nõ multo pòst de medio sublati sunt, neq; quo pacto quisq;

cto quisque perierit, quisque nouit. Et tunc libenter septingentos armatos ex ipsis cum Brasida dimiserunt. Nam cęteros hîc mercede adductos ex Pelopōneso eduxit. Eum autem & Lacedęmonij miserunt maximè cupidum eundi, & Chalcidenses præoptauerunt, uirum & in Sparta pro impigro ad omnia habitum: & postquàm exijt, plurimi apud Lacedæmonios factum. Etenim statim à principio iustum se & temperantem erga ciuitates cùm præberet, plurima loca ad eum defecerunt, nonnulla per proditionem sunt capta. Ex quo Lacedæmonijs euenit, ut efficerent quod uolebant, redditionem locorum ac receptionem, & in Peloponneso belli laxamentum. Quinetiam circa bellum, quod res Siculas insecutum est, Brasidę uirtus atque solertia eos qui uel experimēto cognôrant, uel ex auditu iudicabant Atheniensium socios, præcipuè cupidos Lacedæmoniorum effecit. Nam cùm primus illinc prodijsset, uisusque esset circa omnia egregius, firmā spem reliquit, cæteros eiusmodi esse. Cùm igitur ad res Thraciæ uenisse Athenienses eum acceperunt, hostem denunciauêre Perdiccam, existimātes autorem aduentus illius esse, & maiorem de socijs eius loci custodiam egerunt. Perdiccas autem sumpto Brasida, atque exercitu ipsius secum, in Arrhibęum Bromeri filium Lyncestarum Macedonum regem sibi finitimum, eundemque hostem tendit, uolens eum debellare. Is cùm ad ingressum Lynci uenisset cum Brasida atque exercitu, Brasidas dicere prius quàm bellum inferretur, uelle conuenire Arrhibæum, oratione, si posset, socium Lacedęmonijs facturus. Etenim Arrhibæus per caduceatorem edixerat, se paratum esse rem Brasidæ inter ambos disceptatores committere, & Chalcidensium, qui unà aderant legati, quo eum expeditiorem ad sua conficienda negocia haberent, cōmonefaciebant, ne pro Perdicca difficilia subiret, cùm præsertim apud Lacedæmonem, qui fuerant à Perdicca missi, tale quiddam iactassent, multa hunc ex sibi finitimis circa locis ad societatem illorum adducturum. Quo magis Brasidas postulabat, ut ex publica utilitate res Arrhibæi transigeret, Perdiccas negare se Brasidam adducere iudicem suarum controuersiarum, sed potius hostium destructorem, quos ipse denunciasset, eumque iniurium esse, si se dimidium exercitus alente faueat Arrhibæo. Brasidas tamen hoc inuito ac repugnante conuenit Arrhibęum, eiusque persuasus oratione, abduxit exercitum, nondum terram illius ingressus. A quo tempore Perdiccas tertiam pro dimidia stipendij partem dedit, sibi existimans iniuriam fieri. Eadem æstate continuò post hæc paulò ante uindemiam, Brasidas secum habens Chalcidenses, bellum intulit Acantho Andriorum coloniæ. Oppidani reciperent hunc necne, inter se illi quidem altercabantur, qui cum Chalcidensibus sentiebant, & plebs, sed ob metum

Perdiccæ in Arrhibæum expeditio.

Brasidas cum Perdicca in cōtentionē uenit.

tum fructuum, qui adhuc foris erant, persuasa est multitudo à Brasida, ut eum solum admitteret: & cùm audisset, deliberaret. Admissus, & apud illam stans (non deerat autem ei, ut homini Lacedæmonio, dicendi facultas) huiusmodi orationem habuit:

Oratio Brasidæ ad Acanthios.

QVod ego atque exercitus, Acanthij, à Lacedæmonijs dimissi huc sumus, declarat ueram esse causam, quam in bello mouendo Atheniensibus prædiximus, nos bellum gesturos ob Græciam Atheniẽsium seruitute liberandam. Si autem serò uenimus, decepti uidelicet spe ocyus debellandi Athenienses sine uestro periculo, nemo reprehendat, cùm nunc, quando tempus adest, uenerimus conaturi uobiscum illos euertere. Miror tamen, me portis exclusum fuisse, & si non libentibus uobis ueni. Etenim nos Lacedæmonij existimantes nos ad eos qui etiam ante aduentum nostrum, si non reipsa, at uoluntate quidem socij essent, uenturos, idꝙ uobis uolentibus futurum, hoc tantum periculi contempsimus, cùm alienam terram multorũ dierum itinere peragrauimus, exhibito omni erga uos studio. Quòd si uos aliud in animo habetis, aut si uestræ ipsorum ac cæterorum Græcorum libertati obsistetis, graue fuerit, non modò quia obsistis, uerũetiam quia quos aggressus fuero, minus mihi obsequentur, nimirum hac re deterriti, quòd uos, quos primùm adiuero, qui & magnam satis urbem præbeatis, & prudentia præditi esse uideamini, me nòn admiseritis. Nec potero probabilem causam reddere, sed uidebor aut iniustam libertatẽ afferre, aut imbecillis atꝙ inualidus uenire ad propulsandam Atheniensium uim, si inuaserint. Certè & dum ad Nisæam cum his quas nunc habeo copijs auxilio uenissem, Athenienses cùm plures essent, non sunt ausi confligere, ut credibile non sit eosdem huc esse missuros aduersus uos tantũ copiarum, quantum classiarij exercitus ad Nisæam miserunt: & ego non ad perniciem, sed ad libertatem Græciæ adueni, maximo iureiurãdo apud magistratus Lacedæmoniorum interposito, quoscũꝙ illis asciuero socios, suis utiꝙ legibus esse uicturos. Neque ut uos aut ui, aut fraude socios habeamus, sed è cõtrario, ut uobis in seruitutẽ Atheniensium redactis socij simus in bello. Quapropter dignũ me censeo, qui neꝙ suspectus sim, summam de hoc fidem faciẽs, neꝙ inualidus ultor existimer ad uos magis animandos uenisse. Quòd si quis priuatim ob aliqua metuens ne quibus ego ciuitatẽ tradam, cunctatur, is ante omnes uelim confidat. Ego enim neꝙ ad concitandam seditionem uenio, neque occultam opinor esse, quam affero libertatem, si omisso patrio instituto, aut plebem paucis, aut pauciores plebi subiecero. Nam odiosius fuerit hoc, quàm æternum imperiũ, & nobis Lacedæmonijs gratia laborum nostrorum

non

non deberetur, sed pro honore & gloria potius accusatio, quod quibus criminibus insectamur Athenienses, ea ipsi habere uideremur, magis inuisa in nobis, quàm in eo qui hanc uirtutẽ non profitetur. Fraus enim cùm in omnibus fœda est, tum uerò in his qui maiori dignitate sunt præditi, fœdior est quàm aperta uiolentia. Nam uiolentia iure potentiæ, quam fortuna ipsi largita est, fraus autem insidijs iniusti propositi grassatur. Ita nos multam in maximarum rerum momentis adhibemus circunspectionem, nec uos maiorem præter iusiurandum confirmationem sumatis, quàm unde facta rationibus respondentia necessariã opinionem præbent, sicut etiam conducit, ut dixi. Quòd si me uobis hæc proponente, tamen negatis uos posse obsequi: & cùm benè uobis uelitis, postulatis ut sine noxa quiescatis, quòd libertas uobis non sine periculo fore uideatur, iustumq; esse eam illis offerri, qui possint recipere: inuitum autem compelli neminem: deos testabor, & heroas indigenas, me bono uestro uenientem nihil uerbis proficere, eoq; experiar uastandis agris ad hoc uos compellere, existimans non iam iniuria agere, sed iure, & duabus necessarijs rationibus: una propter Lacedæmonios, ne amore uestro, si non accedatis nobis, illi damno afficiantur à uobis, pecunia quam Atheniẽsibus penditis: altera propter Græcos, ne per uos eximi de seruitute prohibeantur. Neq; enim probè fecerimus hoc, ac ne debemus nos quidem Lacedæmonij inuitos asserere in libertatem, nisi causa alicuius publici boni, neq; dominatum affectamus, sed alios potius dominatu abdicare properamus. Essemusq; iniurij in plerosq;, si uniuersis sua iura restituentes, omitteremus uos huic facto aduersantes. De his benè cõsultetis, annitaminiq; tum ut principes sitis apud Græcos capessendæ libertatis, tum ut sempiternam uobis gloriam pariatis, tum ne uestra priuatorum bona detrimẽtum accipiant, tum ut uniuersæ ciuitati honestissimum nomen imponatis. Hactenus Brasidas. Acanthij uerò multa prius ultrò citroq; altercati, clam datis suffragijs, tum propter Brasidæ uerba ad persuadendum apposita, tum fructuum amittendorum metu, pleriq; censuerunt ab Atheniensibus deficiendum, habitaq; fide iuriiurando quod iuratus hic à Lacedæmoniorũ magistratibus missus erat, socios quos ascisceret, suis usuros legibus, ita exercitum admiserũt. Hos sequuta est non multò pòst Stagirus Andriorum colonia. Hæc sunt per eam æstatem gesta.

Fraus uiolentia fœdior.

Acanthij Brasidæ obsequũtur

Principio statim insequentis hyemis quemadmodum Hippocrati atq; Demostheni Atheniensium ducibus erat constitutum circa res Bœotiæ, & oportebat hunc cum classe ad Siphas occurrere, illum ad Delium, factum est errore dierum, quibus debebat uterq; cum exercitu ire, ut quum Demosthenes prior ad Siphas appli-

applicasset, habens in nauibus Acarnanes, & multos ex his locis sociorum, res frustra esset, detectis per Nicomachum insidijs, hominem Phocensem Phanoteum. Nam is Lacedæmonijs nunciauit, & illi Bœotijs. Ita omni Bœotia succurrente, quum nihildum Hippocrates qui in mediterraneis erat, læsisset, occupatæ sunt Siphæ & Chæronea. Quod delictum ubi resciuerunt qui rem tractauerant, nihil agitandum in ciuitatibus censuerunt. Hippocrates autem excitato omni populo Atheniensi, ciuibus incolis, & quicunque aderant hospitibus, posterior contendit ad Delium, Bœotijs iam reuersis à Siphis, positisque castris, Delium muro concludit Apollinis templum ad hunc modum: Fossam circum phanum ac delubrum ducunt, humum egestam pro muro aggerunt, in ea uallos defigunt, clatrantque: uinea quæ circuniecta phano erat, excisa: lapides etiam ac lateres ex proximis ædibus detractos inijciunt, omni denique ratione munitiones excitant, positis ubi opportunum erat, ligneis turribus, nec ullo phani ædificio existente. Nam porticus quæ fuerat, conciderat. Itaque tertio ad ingressum è domo die quum incepissent, quartum & quintum ad prandij tempus in opere consumpserunt. Deinde quum pleraque perfecissent, exercitus illinc abijt decem fermè stadia, tanquam rediens domum, statimque quæ maxima multitudo erat leuis armaturæ discessit, cæteri depositis armis quiescebant, Hippocrate relicto ad custodias: & quod reliquum erat circa propugnacula opus facto, constituendum. Per hos dies in Tanagra Bœotij cogebantur, & ubi ex omnibus ciuitatibus adfuerunt, cognoueruntque hostem se domum recipere, cæteri Bœotiorum magistratus, qui undecim sunt, dissuadebant prælium, quoniam hostis intra Bœotiam iam non esset: in conterminis enim Oropiæ erant Athenienses quum arma posuerunt. Sed Pagondas Thebanus Æoladi filius, unus è magistratibus, cum Arianthide Lysimachi filio, penes quem tunc imperium erat, cupidus ibi pugnæ committendæ, quod satius esse arbitrabatur periclitari, hortatus singulas cohortes, ne uniuersi arma relinquerent, suasit Bœotijs, ut irent aduersus Athenienses, & certamen committerent, huiuscemodi oratione:

Delium obsidetur.

Bœotiorum magistratus.

Oratio Pagondæ ad Bœotios milites.

Par erat, uiri Bœotij, nemini uestrûm in mentem uenire, qui magistratus estis, non esse consentaneum, ut cum Atheniensibus, nisi eos in Bœotia assequuti, prælium ineamus. Nam quum in Bœotia munitiones extruxerunt, & eam è finitimis locis profecti sint afflicturi, nimirum pro hostibus habendi sunt, & quocunque in loco deprehenduntur, & undecunque uenientes, gesserunt hostilia. Nunc si cui non pugnare tutius uidebatur, is mutet sen-

tentiam. Neq; enim eadem prouidentiæ ratio habenda eſt, quorū de agro per alium occupato agitur: & ĳs qui cùm ſua ipſorum poſſideant, plura concupiſcentes ultrò aliena inuadunt. Et uobis certè cùm proprium eſt, inuadentem uos peregrinum hoſtem & domi & procul à domo, tum uerò conuenit multò magis Athenienſes, & quidem finitimos propulſare. Nam ita demum cuiuſq; ciuitatis libertas paratur, ſi in reſiſtēdo uicinis par ſit. Quòd ſi iſti non modò uicinos, ſed etiam longè poſitos conantur in ſeruitutem redigere, quo tandem pacto non ad ultimum debeamus uenire certaminis, habentes exemplum è regione poſitos trans fretum Eubœos, & cæteræ Græciæ plurimùm, quomodo his ſubiectum eſt, & intelligere cæteros uicinos de finibus dimicare: nobis ſi uincimur, unum incontrouerſum in toto territorio finem eſſe ſtatuendum. Quippe noſtra, ingreſſi ui obtinebunt, tanto periculoſius, quàm cæteri, iſtos accolas habemus. Et ſanè conſueuerunt qui uiribus freti, ut nunc Athenienſes, uicinis arma inferunt, aduerſus quietum, & in ſua ſe tantummodo terra defendentem, promptius id facere, quàm facilè continere eum qui extra fines occurrat: & ſi occaſio fuerit, bellum incipiat. Cuius rei ex iſtis documenta habemus. Nam cùm eos terram noſtram ſeditione laborantem tenentes ad Chæroneā uiciſſemus, ſecuram admodum ad hoc tempus Bœotiam præſtitimus. Quorum nos memores, debemus anniti, qui maiores quidē natu ſumus, ut noſtri ſimiles ſimus. Qui uerò iuniores, egregĳs illis orti parentibus, ne domeſticas laudes dedecoremus, confidenteſq; Deo, ipſum à nobis futurum, cuius phanum iſti infando muro ſeptum incolunt: necnon ſacrificĳs, quę nobis immolantibus pulchra ſe oſtendunt, in hos pariter tendere, ac demonſtrare eis, ut ſi quæ concupiſcunt, nullis illa defendentibus aggreſſi obtineant: ſed ab ĳs quibus generoſum eſt & ſuam regionem ſemper pugnādo liberare, nec alienam iniuſtè in ſeruitutem redigere, ſine certamine non diſceſſuros.

His uerbis adhortatus Bœotios Pagondas, perſuaſit ire aduerſus Athenienſes, confeſtimq; motis caſtris exercitum eduxit. Iam enim erat ſerum diei. Et poſtquàm promouit prope hoſtem, ſubſtitit in loco quodam, unde inuicem ſe aſpicere interiecto colle nō poſſent, ac ſuos ordinat, & tanquam ad prælium inſtruit. Hippocrates, qui apud Delium erat, ubi ei nunciatū eſt infeſtos ire Bœotios, mittit ad exercitū, iubens ut aciem pręparent: nec multò pòſt ipſe adfuit, relictis fermè trecentis circa Delium equitibus, tum ad loci cuſtodiam, ſi quis illum tentaret, tum ut occaſione obſeruata, pugnæ adeſſent. Bœotĳ, diſpoſitis qui hos propulſarent, ubi cętera rectè habebant, ſuperato colle apparent, tenentes arma atq; inſtructi, quemadmodū erant pugnaturi, ſeptem millia ferè grauis

arma-

armaturæ:leuis uerò ſupra decẽ millia:equites mille ſpeɛtati quinquagenti. Dextrum cornu tenebant Thebani cum ſocijs:medij erant Haliartij & Coronæi & Copęenſes,alijꝗ ſtagni accolæ:ſiniſtrum tenebant Theſpienſes,Tanagræiꝗ,& Orchomenij.In utroꝗ autem cornu equites erant ac leuis armatura.Thebanorum ſingulis ſcutatis quini & uiceni applicati erant.cæteri ut cuiꝗ contigerat. Hunc in modum inſtructi Bœotij fuêre,atꝗ ornati.Atheniẽſium acies graui armatura par hoſtili tota octonis denſa uiris,equites pro cornibus erant.Leuis armatura ex apparatu inſtructa,neque tunc aderat,neꝗ in urbe erat.Nam qui unà in expeditionem exierant,plures hoſtibus fuerunt,& inermes multi ſecuti,utpote promiſcuo ex peregrinis qui aderant, oppidaniſꝗ exercitu. Qui ut primùm domum ire cœperant,non adfuerunt niſi pauci.Cùm autem in acie ſtarent iamiam concurſuri,Hippocrates dux ſuperueniens,Athenienſium exercitum his uerbis adhortatus eſt:

Hippocratis exercitus.

Exhortatio Hippocratis ad milites Athenienſes.

Breuis quidem Atheniẽſes,exhortatio fit apud præſtantes uiros,ſed tantundem præſtat magis in memoriam redigens ꝗ̃ iubens. Nemini autem noſtrûm in mentem ueniat, tanquam improbum ſit,nos hoc tantũ periculum uelle in aliena terra propulſare.Nam in horum terra certamen erit pro noſtra:in qua ſi uicerimus,nunquam inuadent Peloponnenſes iſtorum equitatu carentes.Vno autem prælio cùm iſtam acquiritis,tum uel magis illam liberatis.Pergite igitur in eos,uti dignũ eſt & patria,quam unuſquiſꝗ ueſtrûm inter Græcas principem habere ſe gloriatur,& ueſtris maioribus,qui duce Myronida,iſtis apud Oenophyta ſuperatis,Bœotiam aliquando tenuerunt.

Talibus hortabundus Hippocrates ad medium uſꝗ peruenerat exercitus,necdum maiorem partem adierat,cùm Bœotij adhortante eos hic quoꝗ Pagonda,perpaucis pæana modulati,de colle infeſti feruntur,& in eos è diuerſo Athenienſes,curſuꝗ confligunt. Atꝗ extremis utrorũꝗ ad manus non uenerunt,ſed idem utriſꝗ accidit ob riuos,quibus interpellabantur.Cæteri acri certamine umbonibus ſe perpellentes conſiſtebant.Et ſiniſtrum quidem Bœotiorum cornu ad medium uſꝗ uictum eſt ab Athenienſibus,in alios iam,& præcipuè in Theſpienſes,rectà tendentibus. Nam cùm ij qui contrà ſteterant,cederent,& in anguſto ab Athenienſibus circũdarentur,interficiebantur.Theſpiẽſium qui ſe defendendo manus conſeruerunt,feriebantur,& Atheniẽſium nonnulli in concludendo hoſte perturbati,dumꝗ non internoſcunt, ſe mutuò interimebant.Ab hac igitur parte Bœotij ſuperati ſunt, & ad eam quæ pugnabat confugerunt. In dextro cornu ubi Thebani ſtabant,ſuperantur Athenienſes,quos illi paulatim repulſos

Bœotiorum et Athenienſium conflictus.

primùm inſequebatur. Contigit autem ut duæ equitum turmæ à Pagonda miſſæ, cùm ſiniſtrũ eorum cornu laboraret, circuito furtim tumulo, repentè in conſpectum ſe dederint, & Athenienſium cornu, quod uincebat, terrefecerint, exiſtimantiũ ſuperuenire aliũ exercitum. Ita cùm utrinq; ab ijs & à Thebanis perſequẽtibus urgerentur, totius Athenienſium exercitus fuga facta eſt, alijs ad Delium & mare, alijs in Oropum, alijs ad Parnetem montem, alijs ut cuiuſq; ſpes aliqua tulit tendentibus, quos Bœotij inſequẽtes trucidabant: & pręcipuè equites tum ipſorum, tum Locrenſium, qui reiam in fugam uerſa, auxilio uenerant. Cæterũ noctis interuentu facilius fugientiũ turba ſalutem ſibi peperit. Poſtero die qui apud Oropum & Delium erant, relicto ibi præſidio (adhuc enim illud tenebant) domum ſe per mare receperunt. Et Bœotij trophęo poſito, cadaueribusq; ſuorum quidem ſumptis, hoſtium uerò ſpoliatis, relictoq; præſidio, reuerſi ſunt in Tanagram, inſidiantes Delio, tanquam aggreſſuri. Quorum caduceatori ad mortuos petendos iter faciens, obuius fit caduceator Athenienſis, ab eoq; reuocatur, quòd diceret illum nihil acturũ prius quàm ipſe reuertiſſet. Idem cùm ante Atheniẽſes ſtetiſſet, expoſuit mãdata Bœotiorum, haud iuſtè feciſſe eos, qui iura Gręcorum tranſgreſsi eſſent, quibus conſtitutum ſit, eos qui alienam terram inuaderent, à templis qui illic ſint, abſtinere. Athenienſes autem Delium muro circũdediſſe, incolere, & quæcunq; ab hominibus in profano fiunt, ea in illo fano facere: aquam quam nefas ipſis eſſet tangere, niſi ad abluendas in ſacrificium manus, in alios uſus haurire. Ideoq; Bœotios tum dei, tum ſua uice inuocãtes loci præſides deos atq; Apollinem, edicere illis, ut è templo excedant, ſua ſecum aſportantes. Hæc cùm caduceator dixiſſet, Atheniẽſes miſſo ad Bœotios ſuo caduceatore, negant ſe quippiam in templum iniuria feciſſe, aut in poſterum ſua ſponte eſſe facturos. Neque enim ea ſe gratia ab initio ueniſſe, ſed ut illinc eos qui potius iniuriam inferrent, propulſarent. Eſſe autem apud Græcos legem, penes quos imperium ſit cuiuſcunq; regionis, ſeu magnæ, ſeu paruæ, ut penes eoſdem ſint ſemper & templa, ubi eiſdem ceremonijs fiant ſacra, quibus conſuetũ eſſet, quoad fieri poteſt. Etenim Bœotios aliosq; permultos, quicunq; terram aliquam ui cultoribus eiectis ipſi incolunt, templa quæ prius aliena erant occupantes, pro ſuis poſsidere: & ſe quoq;, ſi plus poſſent illorum terræ occupare, habituros. Nunc in qua parte ſint, inde ſe uolentes, ut ex ſuo, non diſceſſuros. Aquam quoq; ſe in neceſsitate mouiſſe, nec per contumeliam ſibi adiunxiſſe, ſed cùm illos ulciſcuntur, qui in ſuam terram irruperunt, ad utendum compulſos eſſe. Omnia uerò licere bello, & aduerſitate aliqua circumuentis, ueniam eſſe quandam etiam apud Deum. Etenim

Athenienſium fuga.

Bœotiorum tropheum.

Sententia memorabilis.

deli

delictis non uoluntarijs refugium esse aras, scelusq; eorum uocari qui nulla necessitate sunt mali, non eorum qui propter aduersa aliquid audent. Quin etiam illos impie multo magis facere, qui pro templis mortuos reddi dignum censerent, quàm eos qui nollent quæ templis decora forent, asportari. Atq; illos aperte iubebant sibi dicere ut mortuos asportarent non ex Bœotia terra abeundo (neq; enim se iam in Bœotiorū terra esse, sed in ea quam armis sibi quęsiuissent) sed more maiorum paciscendo. Bœotij respondent: siquidem in Bœotia essent, excedentes è terra sua asportarent sua: sin in illorum, ipsi intelligerent quid foret faciendum, existimātes Oropiam, ubi contigit illos occumbere, commissa in eius cōfinijs pugna, ditionis Atheniensium esse, quos cæsos ipsi non tenerent illis inuitis. Neq; rursus pacti sunt pro terra Atheniēsium, sed censuerūt decere ut respōderent ut illi quos repetebāt mortuos, obtinerent, ea conditione ut ex Bœotiorū terra discederent. Hos Atheniensium caduceator cùm audisset, infecta re abijt. Et Bœotij tum accersitis protinus ex sinu Maliaco iaculatoribus funditoribusq;, tum duobus millibus grauis armaturæ Corinthiorum, quę secundum pugnam auxilio uenerunt, tum præsidiarijs Peloponnensibus, qui ex Nisæa unà cum Megarēsibus profecti erant, aduersus Deliū castra mouent: aggressiq; munimenta cum alijs oppugnandi generibus, tum uerò machina admota, unde & locus expugnatus est ad hunc modum: *Oppugnandi callidum inuentum.* Factam antēnam ingentem cùm geminas in partes serrauissent, omnem excauāt, eamq; rursus ueluti tibiam affabre compingunt, & in ipsius summo lebetem catenis appendunt, adunco super illud ferreo rostro, ad insufflandum, quod ab ipsa antenna procedebat, eius ligno magna ex parte ferrato. Hanc machinam longo spatio carris aduectā, muro admouent, qua maximè parte uitibus erat lignisq; cōstructus. Vbi admota est, grandibus follibus ei capiti antennæ, quod ad ipsos spęctabat, applicitis, flatum cient, qui flatus acriter actus in ahenum prunas & sulphur & picem habens, ingētem flammam excitauit, murumq; incendit: ita ut nemine super eum perstante, sed omnibus in fugam sedantibus, munimenta caperentur. Præsidiariorum alij occubuerunt: ducenti capti sunt, alia multitudo cōscensis nauibus recepit se domum. Recepto Delio decimoseptimo à pugna die, caduceator Atheniensium rei gestæ prorsus ignarus, non ita post rursus cùm uenisset, cæsorū gratia, eos Bœotij reddiderunt, non amplius eadem respondentes. Perierunt autem in pugna Bœotiorum quidem paulò minus quàm quingenti: Atheniensium uerò cum Hippocrate imperatore paulò minus quàm mille, præter leuis armaturæ atque lixarum magnum numerum.

Post hanc pugnam Demosthenes ubi nauiganti sibi ad Siphas

proditio nõ processit, cùm haberet in ea classe Acarnanũ & Argęorum & Atheniẽsium ad quadringentos armatos, egressus est in agrum Sicyonium: & priusquàm omnes appellerent naues, Sicyonij ad sua tutanda uenĩetes, eos qui egressi fuerant, fugant, ad nauesꝗ usꝗ persecuti, alios interemerũt, alios uiuos ceperunt, ac tropæo erecto, cæsos suis petentibus reddiderunt.

Per eosdem dies, quibus ad Delium res gesta est, Sitalces Odrysarum rex uita excessit, uictus in prælio à Triballis, quibus intulerat arma. Cui successit in regno Odrysarũ, ac cæteræ cui hîc imperauerat, Thraciæ, Seuthes Sparadoci germani Sitalcis filius. Eadẽ hyeme Brasidas cum ijs, quos in Thracia habebat socijs, bellũ intulit Amphipoli Atheniensium coloniæ ad Strymonem fluuium.

Amphipolis colonia.

Hunc locum ubi nunc sita est urbs, primus tentauit incolere Aristagoras Milesius, cùm regem Darium fugeret, sed ab Edonibus eiectus est. Deinde Athenienses duobus pòst & triginta annis eò missis decem millibus incolarum, tum suorum, tum aliorum quicunꝗ ire uellent, quę à Thracibus apud Drabescum sunt interempta. Rursus undetricesimo anno Athenienses reuersi Agnone Niciæ filio coloniam deducẽte, expulsis Edonibus hanc urbem condiderunt, quæ prius Nouem uiæ uocabantur. Profecti autem fuẽre ex Eione, quam ipsi maritimum emporium in ostijs fluuij habebant, quinꝗ & uiginti stadijs distantẽ ab urbe, quæ nũc est, quam Agnon ideo Amphipolim appellauit, quod pręterfluente utrinꝗ Strymone cingeretur, ductoꝗ à flumine ad flumen longo muro, conspicuam mare uersus & continẽtem collocauit coloniam.

Nouem uiæ.

Brasidæ Spartani expeditio ad Amphipolim.

Aduersus hanc igitur Brasidas ex Arnis agri Chalcidensis cum exercitu profectus, circa solis occasum peruenit in Aulonem & Bromiscum, qua stagnum Bolbæ mari infunditur: cœnatusꝗ noctu ire pergit. Erat autem tempestas, subningebatꝗ. Quo libentius iter faciebat, uolens latẽre, qui intra Amphipolim essent, pręter proditores. Nam erant ibi tum nonnulli Argiliorum, qui sunt Andriorum coloni, illic domicilium habẽtes, tum alij huius rei participes, partim à Perdicca, partim à Chalcidensibus persuasi, præcipueꝗ Argilij in proximo habitantes, Atheniensibus suspecti semper, & oppido insidiantes. Hi ubi & tempus adfuit, & Brasidas, cùm iam pridem de tradenda urbe composuissent cum suis qui munia reipublicæ administrabant, tunc eum in urbem receperunt, eademꝗ nocte ab Atheniensibus deficientes, exercitum ad pontem fluminis promouerunt, unde magis quàm à transitu oppidum abest nõdum muris cinctum, uti nunc est. Præsidium autem quoddam modicum, quod ibi collocatum erat, paruo negocio Brasidas ui submouens, tum proditionis, tum tempestatis, tum repentini aduentus beneficio pontem transit: continuoꝗ eorum potitus est,

quæ

quæ Amphipolitanorū paſsim extra oppidum habitātium erant. Hoc repētino eius tranſitu aduerſus urbem facto, & eorū qui extrà fuerant, multis captis, alijs ad urbem fuga elapſis, Amphipolitani maiorē in modum tumultuabantur, præſertim mutuò ſuſpecti. Creditum eſt (ut dicitur) Braſidam, niſi maluiſſet ſuos ad prædam, quàm ad urbem ſubitò conuertere, eam fuiſſe capturum. Nunc ſiſtens exercitum ad ea quæ extra urbem erant diripienda diſcurrit: deſtitit tamen cùm per eos qui intus erant, nihil eis ſuccederet. Cæterùm aduerſarij multitudine proditoribus præpollentes, ne ſtatim portæ aperirentur, mittunt cum Eucleo duce, qui aderat eis, ad præſidium loci pro Athenienſibus ad alterum ducem Thraciæ præſidem, Thucydidem Olori filium, qui hæc conſcripſit, agentem circa Thaſon Pariorum coloniam, quæ eſt inſula diſtans ab Amphipoli ferè dimidiati diei nauigatione, iubentes ut ſibi ueniret auxilio. Quod ſimul ac ille audiuit, cum ſeptem nauibus, quæ fortè aderant, proficiſcitur: uolens ille quidem præcipuè, antequàm Amphipolis dederetur, occurrere: ſin minus, Eiona occupare. Interea Braſidas metuens tum è Thaſo auxilia nauium, tum quod audiebat Thucydidem in omni circa Thracia officinis aurarijs præeſſe, & per ſe admodum poſſe apud primores in continente, annixus eſt urbem ſi poſſet antè capere, ne ſi ille ueniret, plebs Amphipolitana ſperans eum & claſſe & ſociorum auxilijs ex Thracia coactis, urbem defenſurum, iam ſeſe dedere recuſet. Atq; ita æquabilem conuētionem inijt, hoc edicto per præconem denunciato, Amphipolitanorum atq; Athenienſium, qui intra urbem eſſent, quiſquis uellet pari ſimiliq; iure uti, eum manere apud ſua bona: qui nollet, eum abire, exportatis ſuis facultatibus, quinque intra dies. Hoc audito pleriq; alterius uoluntatis effecti ſunt: præſertim cùm per paucos Athenienſes reſpublica adminiſtraretur: cæteri, uulgus promiſcuū, & eorū magna ex parte propinqui eſſent, qui foris fuerant capti, & præ metu æquū eſſe edictū exiſtimantes: Athenieſes quidem quod libenter exirent, non idem ſibi impēdere periculū quod alijs, rati, quodq; nō celerem ſuccurſum expectarent. Cętera uerò multitudo, quod neq; æquabili ciuitatis iure priuarentur, & prȩter opinionē periculo liberarentur. Itaq; ijs qui cum Braſida cōpoſuerant, in aperto iam edictum iuſtum aſſentientibus, quod cernerent uulgus quoq; mutaſſe ſententiā, nec amplius exaudire eum qui aderat Athenienſiū ducem, accepta conditio eſt, initaq; conuentio. Atq; hunc in modū urbs tradita. Eodem die circa ueſperum Thucydides cum nauibus ad Eiona appulſus eſt, Amphipolim tenēte iam Braſida, & nocte Eionem accepit, ſtatim ſub aurora (niſi naues celeriter auxilio ueniſſent) occupandā. Secundum hæc Thucydides quidem res apud Eionem ordina-

Thucydides.

Braſidas Amphipoli potitur.

bat, ut & statim, si Brasidas inuaderet, & postea in tuto esset, admissis ijs qui denuò fœdus inire uoluerũt. Ille autem repentè multis cùm nauigijs secundo flumine ad Eionem uectus, si fortè promontorio quod à muris excurrit occupato, fluminis ostijs potiretur: quinetiam à terra Eionem cùm tentasset, utrinq; pariter est repulsus, ob idq; ad res Amphipolitanas ordinandas se tulit, & ad eum defecit Myrcinus ciuitas Edonẽsis, Pittaco Edonorum rege à liberis Goaxis, & uxore Braure interfecto. Nec multò pòst Gapselus & Oesyma, quæ sunt Thasiorum coloniæ, Perdicca hæc transigente, cùm statim post captam urbem affuisset.

Amissa Athenienses Amphipoli ingenti metu tenebantur, præsertim quòd hæc ciuitas eis perutilis erat, tum prouentu materiæ, quæ ad ædificãdas naues exportabatur, pecuniæq;, tum quòd aduersus socios suos ad Strymonem usque deducentibus Thessalis transitus Lacedæmonijs erat. Quibus pontem non tenentibus propter ingens sanè fluminis in superioribus stagnum, haudquaquam liceret accedere triremibus, Atheniensibus ad Eionem custodientibus. Tunc autem Athenienses hæc facilia factu existimantes, & ne deficerent socij uerebantur. Nam Brasidas cùm in cæteris modestum se præbebat, tum uerò ubiq; prædicabat se ad liberandam Græciam esse missum. Quod audientes quæ Atheniensibus parebant ciuitates, & Amphipolim ab eo captã, & qualem se, quamq; mitem exhiberet, uehementissimè ad res nouandas incitabantur: atq; ad eum clàm missis caduceatoribus, accedere iubebant, pro se quiq; ad illum primi deficere uolentes. Etenim nihil periculi uidebatur eis, quippe qui falsò putarent Atheniensium potentiam esse minorem, quàm quanta postea apparuit. Ac plus iudicabant incerta deliberatione, quàm certa prouidentia, nimirum hominum more, qui solent quod concupiscunt, id spei inconsideratæ dare: quod uerò non admittunt, id arbitra ratiocinatione repudiare. Augebatur præterea eis fiducia neminem aduersus ipsos auxilio uenturum, quòd recentem in Bœotia Athenienses calamitatem accepissent, Brasidà quoq; alliciente, nec uera referente, non esse ausos congredi Athenienses apud Nisæam secum suum solius exercitum habente. Ac quod maximum est, quia id initio iucundum erat: & quia tunc primùm Lacedæmonij constituerant ea loca tentare, ipsi nauare illis operam omni ratione parati erant. Quæ sentientes Athenienses, præsidia, ut in tempore & breui & hyberno, in urbes dimiserunt. At Brasidas è Lacedæmone mitti sibi exercitum cùm iussisset, ipse super Strymonem ad compingendas naues se accingebat. Verùm hæc ei à Lacedæmonijs suppeditata non sunt, partim inuidia primorũ, partim quòd malebant suos ex insula recuperare, atq; bellum

Græcorum in Brasidam affectio.

lum finire. Eadem hyeme Megarenses maiorem murū, quem de ipsis tenuerant Athenienses, recuperatum euertunt ad solum. Et Brasidas post captam Amphipolim, sociorum exercitū quem habebat, duxit aduersus locum nomine Actam, qui à fossa regia introrsum prominet, cuiusq; Athos mons excelsus ad Ægæum pelagus terminatur. Vbi continentur urbes Sana, Andriorū colonia, ad ipsam fossam, mare uersus, quod Euboeam spectat, & Thyssus, & Cleonæ, & Acrothous, & Holophyxus, & Dius, quæ promiscuis gentibus habitantur, Barbaris bilinguibus, & aliquantulū Chalcidensibus, sed pręcipuè Pelasgicis Tyrrhenis, qui Lemnum aliquando Athenasq; incoluerunt, & Bisaltico, & Crestonico, & Edonibus uiculatim habitantibus. Harum pleraq; ad Brasidam desciuêre. Verùm Sana & Dius quia obstiterūt, earum regionem Brasidas statiua illic habens, populatus est. Et cùm imperata non facerent, continuò castra mouit aduersus Toronam Chalcidicam, quam Athenienses tenebant, solicitatus à paucis quibusdam urbem tradere paratis. Et profectus nocte iam circa diluculum cum exercitu, consedit ad templum Castoris & Pollucis, quod ab urbe tribus ferè stadijs distat, ignaris Atheniensibus, qui ibi præsidio erant, cæterisq; oppidanis, præter eos qui cum illo transegerāt, aduenturum nouerant: quorum aliquot, qui eum clam adierant, aduentum ipsius obseruabant. Qui ubi illum adesse senserunt, admiserunt ad se septem uiros nihil habentes armorū, nisi gladios. Tot enim ex uiginti, quibus negociū datum erat, ingredi nō timuêre, duce Lysistrato Olynthio. Ii per murum ad mare urgentem intro gressi, ac furtim cōscensa altissima arce urbis ad collem positę, pręsidium quod illic erat obtruncant, & portulam Canastræū uersus perrumpunt. Brasidas autem aliquantulum progressus cum cætero exercitu quiescebat, præmissis centum peltatis: qui cùm portæ aliquæ aperirentur, & signum quod conuenerat tolleretur, primi irrumperent. Et ij quidem aduentante tempore mirabundi ad urbem paulatim appropinquabant. Intus autē Toronęi illi, qui cum ijs qui introierant, pręparabant, ut & urbem occuparent, & portę apud forum diffracto uecte ipsis aperirentur, ijdem primùm circunductos quosdam per portulam introducunt, ut eos qui in urbe essent nihil scientes, & à tergo & ab utroq; latere repentè terrerent. Deinde ignem, quod signū condictū erat, proferunt, & per portas fori peltatos iam cæteros accipiunt. Et Brasidas cōspecto quod conuenerat signo, excitatis suis cursu contendit: identidem uociferantibus ad incutiendum ijs qui intus erant, metū. Quorū alij protinus in portas inciderūt, alij in trabes quadrāgulares, quę ad tollenda saxa muri collapsi, qui reficiebatur, ante illum positæ erant. Brasidas igitur cum multitudine confestim sursum uersus ad ur-

Toronę proditio.

ad urbis superiora conuertitur, uolens eam à summo ac prorsus occupare. Cætera item passim discurrit. In hac urbis expugnatione plerique omnis rei ignari tumultuabantur. Qui uerò participes fuerant, & quibus res placebat, subitò introeuntibus se associant. Athenienses autē (erant armati circiter quinquaginta in foro dormientes) ubi senserunt, aliquot eorum inter manus illorum obtrūcati sunt, reliqui fuga elapsi: pars itinere pedestri, pars ad duas naues, quæ custodias agebant, euaserunt in Lecythum, præsidiū quod ipsi tenebāt, occupata arce urbis maritimæ in angustijs Isthmi positæ, ad quos etiam confugerunt Toronæorum quicunque erant studiosi illorum. Luce orta, & urbe prorsus capta, Brasidas ijs Toronæis, quicunque ad Athenienses profugerant, per caduceatorem edicit. Quisquis exire uelit, eum tutò ad sua reuersum, iure ciuitatis usurum. Athenienses uerò iubet abire Lecytho, ut quæ sit Chalcidensium, data in hoc fide, eos & ipsorum facultates incolumes fore. Illi negant quidem se locū relicturos, sponderi tamen sibi postulant diei spatium ad mortuos tollendos. Hic fide publica dies duos indulsit. Quibus & ipse uicina ædificia firmauit, & Athenienses sua. Insuper concilio Toronæorum coacto, talia quidem locutus est, qualia apud illos qui orant in Acantho:

Oratiuncula Brasidæ ad Toronæos obliqua.

Non esse æquum existimari nec eos qui secum de tradenda urbe transegissent, cęteris deteriores aut proditores esse. quippe qui neque pecunia persuasi hoc egissent, neque seruitutis, sed libertatis & publici commodi gratia: nec eos qui huius facti participes non extitissent, rebus suis frui non debere. Se enim uenisse non ad ciuitatem perdendam, aliquémue priuatum, & idcirco edictum fecisse ijs, qui ad Athenienses fugissent, quod nihilo deteriores censeret ob amicitiam, quæ illis fuisset cum Atheniensibus, neque Lacedæmoniorum amicitiam eis cùm experti fuerūt, uisum iri minorem: sed eo propensiores ad ipsorum beneuolentiam fore, quanto ij futuri forent iustiores, nūc quidem quod inexperti essent, fuisse deterritos. Eos se hortari omnes ad se præparandum, tanquam fideles futuros socios, eosdem posthac si iam peccauerint, sontes fore: nam antehac iniustos non fuisse, sed illos potius quibus fortioribus paruissent: & si quid aduersati fuissent, ueniam dandam. Hæc dicendo, illos hortabatur. Vbi tempus sponsionis exijt, Lecythū aggreditur. Athenienses pro muris parum ualidis, & pro ędificijs pinnas habentibus, sese defensabant, unumque diem uim arcuerūt. Postero autem, quum machinam hostis admoturus esset, ex qua ignem in lignea propugnacula iacularetur, turrim ligneam super ædificium opponunt ad eam partem, ad quam iam tendebat exercitus, quæque maximè exceptura machinam putabatur, & præcipuè expugnabilis erat. Huc multas amphoras aquæ

Brasidas Lecythum expugnat.

atque

atque urnalia & saxa comportant, multiq; mortales conscendunt. Quo onere maiore quàm ut ferre posset, ædificium repentè discissum est: editoq; ingenti fragore, eos Athenienses qui cominus spectabant, maiore dolore affecit quàm metu. At ij qui eminus, & præsertim remotissimi quiq; existimantes captum iam illic oppidum, fugam ad mare & ad naues capessunt. Quos Brasidas ut uidit deseruisse propugnacula, & quod acciderat aspexit, aggressus cum exercitu, oppidum capit, & quoscunq; ibi nactus est, interficit. Ita Athenienses relicto loco nauibus ac nauigijs in Pallenen se receperunt. Denunciauerat autem uoce præconis, cùm oppugnaturus Lecythum esset Brasidas, daturum se triginta minas argenti ei, qui primus murum conscendisset. Verùm ratus non humanitùs, sed aliter expugnationem extitisse, eam pecuniam Palladi (est enim illic eius deæ templum) donauit: & ubi Lecythum euertit, reparauitq;, omne id solum dedicauit. At reliquum hyemis consumpsit, tum ea loca quæ habebat stabiliendo, tum alienis insidiando. Qua hyeme exacta, octauus belli annus excessit.

Noni anni initium.

Ineunte autem statim uere sequentis æstatis, Lacedæmonij atque Athenienses annuas inducias fecêre, quòd censerent Athenienses quidem Brasidam nihil amplius ipsis per defectionem detracturum, prius quàm per quietem reficerentur, simulq; ut si eis bene cederet, ulterior conuentio fieret. Lacedæmonij uerò, hæc ipsa sicut erat, Athenienses extimescere, & laxamento malorum ac laborum, futuros sua sponte auidiores ad agendum de reconciliatione, redditisq; captiuis, ad paciscendũ in longius tempus. Nanque suos recuperare, plurimi faciebant, & eo magis, quo Brasidas magis proficiebat, remq; augebat, habentes in animo alios confirmare, alios qui ex æquo resisterent, tentare ac uincere. Igitur ab ijs & eorum socijs induciæ pactæ sunt, in hæc uerba:

Induciæ inter Athenienses & Lacedæmonios.

Induciarum forma.

QVod ad templum atq; oraculum Apollinis Pythij attinet, placet nobis, ut qui uelint nullo dolo, nulloq; metu consulant ad patrium quisq; ritum. Lacedæmonij probauerũt hęc, eorumq; qui aderant socij, atq; dixerunt se Bœotijs hoc atq; Phocensibus quoad possent, misso caduceatore persuasuros. Quod ad pecuniam dei attinet, curæ fore ut sontes deprehendamus, & in eos iure, & ex maiorum legibus animaduertamus nos uosq;, & quibuscunq; alijs libuerit, patria instituta seruantibus. De his igitur placuit Lacedæmonijs & eorum socijs (si modò fœdera fiant) cum Athenienfibus utrosq; in sua terra manere cõtentos ijs quæ nunc habemus. Lacedæmonios quidem in Coryphasio intra Bufradẽ & Tomeũ manentes: Atheniẽses aũt in Cythereis, neutros cũ alteris societate misceri, neq; nos cũ ipsis, neq; ipsos nobiscũ. Eos qui in

Nisæa

Niſæa eſſent, & in Minoa, non tranſire iter quod eſt à Pylis præter Niſum ad Neptuni delubrum: Ab ipſo autem delubro ſtatim ad pontem Minoam uerſus, Megarenſes quoq; ac ſocios nō tranſcendere uiam hanc, & inſulam habentes quam Athenienſes ceperunt: ueutroſq; cum alteris ultrò citroq; cōmercium habere. Item eis uti licere quæcunq; nunc in Troezene habent, & de quibuſcunq; cum Athenienſibus conuenerit: necnon uti mari, quocunque placuerit, uel ad ſua ipſorum, uel ad ſociorum ire. Item Lacedæmonijs licere & ſocijs nauigare naui non longa, ſed alio nauigio quod remis agatur. ſitq; pondo uecturæ duûm millium talentorum. Item caduceatori atq; legatis, comitibusq; quãtiſcunq; ſi placuerit, diſſoluendi belli gratia & controuerſiarum, in Peloponneſum Athenas'ue euntibus, ac redeuntibus, terra mariq; fœdera eſſe. Transfugas interea non recipi, liberum ſeruum'ue neq; à uobis neq; à nobis. Item uos cauſam dicere nobis deferentibus, & nos uobis: ſecundū inſtituta maiorū in litigando, litem ſolui iudicio citra bellum. Lacedemonijs hæc ac ſocijs placita ſunt. Quòd ſi quid ijs aut honeſtius, aut iuſtius eſſe uobis uidetur, euntes in Lacedemona docete. Nihil enim quod modò iuſtum dixeritis, abnuent uel Lacedæmonij uel ſocij: ij qui ibunt, id ſpatij arbitrijq; ineundo habituri, quatenus uos nobis iubebitis. Fœdera hæc ad annum erunt. Placuerunt populo, Acamantis magiſtratum Prytaneum gerebat. Phænippus ſcriba fuit: Niciades præfuit, Laches recitauit. Quod fauſtum Athenienſibus ſit inducias fieri, prout conceſſerunt Lacedæmonij eorumq; ſocij, & ſpoponderunt in populo inducias eſſe annuas, quæ hodierno die incipiant, quarto decimo Elaphebolionis, id eſt Decembris menſis. Hoc interim tempore utrorunq; legatos atq; caduceatores inuicem adeuntes, tractare qua ratione bellum diſſoluatur, concionem aduocantibus imperatoribus ac prætoribus. Primùm de pace conſultare Athenienſes, quónam modo adeat legatio de bello ſoluendo, & per quam ſubitò legatos qui aderant, ſpondere apud populum, ſe placitis ſtaturos ad annum uertentem. Hæc conuenta ac placita ſunt inter Lacedæmonios Athenienſeſq; & utrorunq; ſocios, Geraſtij apud Lacedæmonios menſis die duodecimo. Conuentorum autores extiterunt ex Lacedæmonijs Taurus Echetimidæ, Athenæus Periclidæ, Philocharidas Eryxdaidæ: Ex Corinthijs Æneas Ocytæ, Euphamidas Ariſtonymi: Ex Sicyonijs Damotimus Naucratis, Onaſimus Megacis: Ex Megarenſibus Nicaſus Cecali, Menecrates Amphidori: Ex Epidaurijs Amphias Epeidę: Ex Athenienſibus, duces Nicoſtratus Diotrephis, Nicias Nicerati, Autocles Tolmæi. Atq; hæ quidem induciæ pactæ ſunt, & per eas aſsiduè in colloquiū de rerum maiorū fœderibus uentitabatur.

Verùm

Verùm per hos dies cùm hæc fiunt, Sciona apud Pallenam ciuitas ab Atheniēsibus ad Brasidam deficit. Aiunt autem Scionæi se Pallenenses esse, ex Pelopōneso oriundos: suosq; maiores cùm à Troia nauigarēt, tempestate qua Achiui usi sunt, in eum locum appulsos, ibi consedisse. Quos cùm defecissent, noctu Brasidas adijt, præeuntē officij gratia triremē sequens ipse eminus actuario nauigio, ut si in quod nauigio suo maius incidisset, triremis opem ei ferret. Si uerò in aliam æquè magnā triremem, non existimabat illam in minus nauigium directurā, sed in nauem, & se interea saluum fore. Cùm transfretasset, coacto Scioniorum concilio, in eam sententiam locutus est, in quam apud Acanthum ac Toronam: & hoc amplius esse istos præcipua laude dignos, qui cùm Pellene in Isthmo sita ab Atheniensibus occupetur Potidæam tenentibus, cumq; nihil sint aliud quàm insulani, tamen ad libertatem ultrò transierint, non expectātes ignauiter ut sibi necessitas exprimeretur agnoscēdi domestici boni: & esse id signum, eos aliquid aliud rerum maximarum præstanti animo subdituros. Quòd si ex sententia contingeret, haud dubiè fidelissimos Lacedæmonijs amicos existimatum iri, atq; alijs in rebus honoratum. Quibus uerbis erecto animo Scionij & omnes pariter auditores effecti, etiam illi quibus antea res acta displicuerat, constituerunt strenuè bellum ferre. Et Brasidam cùm in cæteris honestè acceperunt, tum uerò & publicè aurea corona redimerunt, tanquam Græciæ liberatorem: & priuatim tenijs coronauerunt, ac ueluti athletam frequentârunt. Ille confestim relicto eis aliquāto præsidio, retrò abijt. Nec multò pòst eôdem cum maiore exercitu trāsfretauit, uolens Mendam atq; Potidæam tentare, ac prius occupare quàm (quod suspicabatur) Athenienses, quippe insulæ, succurrerēt. Et cùm nonnihil de proditione transegisset cum his ciuitatibus, & iam rem esset exequuturus, interim ad eum ueniunt cum triremis qui inducias renunciarent: ex Atheniensibus Aristonymus, ex Lacedæmonijs Atheneus. Ita exercitus rursus Toronam reuersus est, & legati renunciant Brasidæ conuenta. Quæ quidem uniuersi in Thracia socijq; approbauerunt. Aristonymus autem cætera annuere, Scionios tamen negare in fœderibus fore, quos ex dierum supputatione sciebat post initas inducias defecisse. Brasidas contrà, multis uerbis affirmare antea defecisse, nec se urbem uelle tradere. Quæ ubi Aristonymus Athenis retulit, protinus Athenienses in expedito fuerunt Scionæ bellum inferendi. Sed Lacedæmonij missa legatione, dicere eos fœdera uiolare, & se pro ciuitate intercessuros, fidem Brasidæ habentes, paratosq; iudicio disceptare. Illi nolle iudicio periclitari, sed primo quoq; tempore cum exercitu abire, irati, si qui in insulis iam sunt, qui ab ipsis desciscendum censeant,

Sciona ad Brasidam defici

Brasidæ honores.

inutili sibi Lacedæmoniorum terrestri potentia confisi. Constabat autem re uera defectionem fuisse, quemadmodum contendebant Athenienses. Quippe duobus diebus posterius à Scionijs descitum est. Itaque facto in sententiam Cleonis decreto de Scionijs capiendis interimendisq;, cætera omittentes, ad hoc sese præparabant. Atque interea ab eis Menda defecit, ciuitas in Pallena Erythreorum colonia, quam & ipsam Brasidas recepit, non existimans se iniustè agere, quia per inducias apertè defecissent. Nam erant quæ inuicem Atheniensibus crimini daret & fœderum ruptoribus. Quo magis Mēdenses fuêre audaces, tum cognita Brasidæ propensa sententia, tum sumpta ex Scionijs coniectura, quos non prodidisset, tum quòd eis pauci cùm adessent cōscij, & ij tunc cunctarentur, non tamen omisissent: sed cùm sibi ipsis timerent ne patefierent, tamen eos qui multi erant, præter opinionē superauissent. Hæc cùm protinus Athenienses accceperunt, multò magis irritati, se aduersus utranque ciuitatem instruebant: quorum classis aduentum expectans Brasidas, liberos, uxoresq; Scioniorum ac Mendensium subduxit in Chalcidicam Olynthum, cum prę sidio quingentorum Peloponnensium, totidemq; peltatorum Chalcidensium, præfecto omnium Polydamida. Et illi quidem tanquam propédiem uenturis Atheniensibus, rectè sanè se communiter res administrabant.

Menda deficit ad Lacedæmonios.

Perdiccæ unà cum Brasida in Arrhibæū expeditio.

Brasidas autem interea pariter ac Perdiccas, rursus aduersus Arrhibęum tendunt in Lyncum: hic quas habebat copias ducens Macedonum & incolarum Græcorum: ille præter suas Peloponnensium reliquias, Chalcidenses, Acāthios, & ex alijs populis pro cuiusq; magnitudine: in summa Græcorum armatorum ferè tria millia, equites omnes qui sequebantur, Macedonum cum Chalcidensibus circiter mille, alia Barbarorū manus permulta. Ingressi regionem Arrhibæi, cùm Lyncestas ex aduerso castrametatos inuenissent, & ipsi castra ponunt. Cumq; pedites collem è regione suum utrinq; haberent, & campum qui interiacebat equites percursarēt, pugna inter eos primùm equestris commissa est. Deinde Brasidas & Perdiccas, cùm Lyncestæ pedites cum equitibus è colle priores processissent, parati ad prælium, è diuerso productis & ipsi copijs, conflixerunt. Lyncestæ in fugam uersi sunt, multi interempti, cæteri fugiendo altiora adepti, quieuerunt. Posthæc trophæo erecto, biduum triduumq; substiterunt, opperientes Illyrios, qui à Perdicca mercede conducti, uenturi erant. Verùm Perdiccas non subsidere amplius uolebat, sed aduersus Arrhibæi oppida progredi. Brasidas autem respiciens ad Mendam, ne quid pateretur, si prius appellerent Athenienses, & quòd Illyrij non aderant, non ad progrediendum, sed ad regrediendum potius ani-

matus

matus erat. Et cùm ij inter se altercarentur, nunciatum est Illyrios Perdicca prodito, cum Arrhibæo esse. Ex quo utrique uidebatur, ob illorum metum, hominum bellicosorum, esse abeundum. Cumque propter contentionem nihil esset constitutum quonam tendere oporteret, interueniente nocte Macedones, Barbarorumque multitudo, subito timore perculsi (id quod in magnis exercitibus fieri consueuit incertis causis) quòd putarent plures aduentare quàm ueniebant, tantumque nondum adesse, in repentinam fugam se dantes, domum reuerterunt. Et Perdiccam à principio ignarum rei, ut resciuit, coegerũt, antequàm Brasidam inspiceret (procul enim sane alter ab altero castra habebant) illinc discedere. Brasidas primo diluculo, postquàm accepit & abisse Macedones, & Illyrios atque Arrhibæum inuasuros, quadrato ipse agmine leui armatura in medium accepta, cõstituerat abscedere: dispositisque si qua inuaderetur iunioribus excursoribus, cum delecta ipse trecẽtorum manu in animo habebat ut postremus discederet, resistendo primis quibusque hostium sese offerentibus: & priusquàm illi aduentarent, ut in breui, milites suos adhortatus est:

Oratio Brasidæ ad milites.

NIsi uos ego suspicarer, uiri Peloponnenses, terrore perculsos, quòd derelicti estis, quodque Barbari, & ij permulti in nos tendunt, non ita uos hortarer pariter ac docerem. Nunc quod ad desertionem nostrorum, & ad hostium multitudinem attinet, quę maxima sunt, uos breui admonitione & hortatione persuadere conabor. Conuenit enim nobis bellicis strenuos esse, non propter pręsentiam sociorum semper, sed uirtutis propriæ causa, neque aliorum multitudine terreri. Quippe qui non ex eiusmodi rebuspublicis ortum ducitis, in quibus non præsunt paucis multi, sed potius pluribus pauci, nullo alio adepti potentiam quàm uincendo in prælijs. Barbaros autem quos nunc inexperti formidatis, scire debetis & ex illis contra quos pro Macedonibus pugnauistis, & ex ijs quæ ego partim coniectura, partim fama intelligo, non asperos fore. Quæcunque enim re uera sunt imbecilla, sed putantur ualida, cùm de ipsis documentum ueritatis accesserit, audaciores aduersarios reddunt. Quibus autem aliquod utique bonum adest, si quis id non pręuiderit, hic in eos ferocior fertur. Isti uerò dum uenturi sunt, terrori sunt hominibus imperitis, utpote aspectu multitudinis horrendi, & uociferationis magnitudine terribiles, & inanis illa elatorum armorum crepitatio speciem minarum habet, sed ijdem in conserendis manibus aduersus eos qui ista sustinent, non tales existunt. Neque enim pudet eos, quemadmodum nos Lacedæmonios, cùm ordinem nullum habeant, locum deserere, dum superantur: quorũ fuga eandem quam aggressio honesti gloriam

habet,ac prò irreprehēſibili re ac forti exiſtimatur. Et cùm pugna rerum domina ſit,præcipueq́ ſi cui præbeat cum decore cauſam conſeruandæ ſalutis,tutius ducunt citra ſuum periculum terrefacere nos,quàm nobiſcum uenire ad manus,id quod antè,quàm nunc fecitauerunt. A quibus quicquid aſperitatis impendeat,cer nitis re quidem modicū,aſpectu autem & auditu ferox. Eos cùm infeſti ueniunt uos ſuſtinentes,& cùm tempus erit,cum decore & ordine rurſus uos ſubducentes,in tutum properè abibitis,cognituri in reliquum tempus huiuſmodi turbas,ijs qui primùm impetum exceperint,oſtentare robur, minabundas eminus ante congreſſum: ſi acceſſeris,cominusq́ conſtiteris,ſtrenuitatem celeriter in id ut tuti ſint demonſtrare.

Talibus hortatus Braſidas,copias ſubducebat. Quo uiſo barbari multa uociferatione ac tumultu ingruebant,eum fugere opinantes, præuentumq́ ſe interfecturos. Sed cùm excurſores quacunque illi incidebant obſiſterent,& ipſe cum delecta manu inuadentes ſuſtineret,ita præter opinionem aduerſus primum impetum reſtiterunt,& deinceps excipiendo eos propulſarūt: ſeſe cùm ab illis ceſſaretur,ſubtrahentes. At cùm in ſpatioſum uentum eſt locum à Græcis qui cum Braſida erant,iam procul aberāt barbari,quæ pars relicta erat,ut hos inſecuta cum ipſis cōſereret manus. Nam cæteri curſu cōtenderant in fugientes Macedones,quorum ut in quenque incidebant,trucidauerunt. Iidem anguſto in regionem Arrhibæi inter duos colles ingreſſu occupato,ſcientes non aliam eſſe Braſidæ ad redeundum uiam, iam aduentantem illum ad ambiguum uiæ circunſiſtūt tanquam capturi. At ille re cognita,præcipit ijs qui ſecum erant trecentis,ut in eum quem magis ſuſpicabatur captum iri collem tendentes,quàm poſſent pro ſe quiſque celerrimo curſu ſine ordine conarentur extrudere Barbaros iam contrà uenientes,priuſquàm maiori illorum accedente multitudine ibi concluderetur. Ita Braſidiani eos qui in colle erant aggreſsi,impetu ſuperant,& reliquus Græcorum exercitus ad eum iam facilius conceſsit. Nam Barbari facta illinc ſuorum fuga deterriti,& quod hos ad fines eſſe,iamq́ euaſiſſe arbitrarētur,non ſunt ulterius perſecuti. Braſidas autem ubi editiora adeptus eſt,tutius iter faciēs,peruenit eodem die Arniſſam primùm, quæ erat ditionis Perdiccæ, ubi milites Macedonibus quod priores abiſſent, irati,ut in quæque incidebant intereundum,uel iuga boum,uel uaſa quæ Macedonibus deciderant,qualia ſolent in nocturno & trepido diſceſſu contingere,iuga quidem ſoluentes conciderunt, uaſa uerò ſibi uendicarunt. At hinc primùm Perdiccas Braſidam ſibi hoſtem eſſe exiſtimauit,& poſtea iudicio Peloponnenſium in Athenienſes non conſuetū odium geſsit: ſed cùm è grauiſsimis calamita-

Perdiccas à Peloponnenſibus diſſociatus Athenienſib. iungitur.

calamitatibus emersisset, dedit operã ut quoquo modo quàm primùm cum Atheniensibus cõueniret, & à Lacedæmonijs dissociaretur. Brasidas ex Macedonia reuersus Toronam, offendit Athenienses iam Mendam tenentes: & quia inualidũ se ad expellendos iam hostes si in Pallenã trãsiret, arbitrabatur, ibi subsedit ad urbis præsidium. Nam per id tempus Athenienses exierant auxilio ijs, qui apud Lyncum erant cõtra Mendam & Scioniã, quemadmodum instructi erant quinquaginta cum nauibus, quarum decem erant Chiæ, ferẽtibus mille armatos suorum populariũ, sagittarios sexcentos, Thracum mercenariorũ mille, aliosq́ illic sociorũ peltatos, Nicia Nicerati, & Nicostrato Diotrephis filio ducibus. Cum qua classe ex Potidæa profecti, cùm iuxta Neptuni templũ tenuissent, aduersus Mendenses iêre. Illi & Scioniorum auxiliares recẽti cum Peloponnensiũ præsidio, omnes armati numero septingenti Polydamida duce extra urbem castra habebant super tutum collem. Eò Nicias tramitibus quibusdã euadere cùm tẽtasset, habens secum Methonensiũ leuiter armatos centũ uiginti, Atheniẽsium armatorum delectos sexaginta cum omnibus sagittarijs, illos ab ipsis uulneratus summouere non potuit. Nicostratus alio longiore itinere cum omni reliquo exercitu aggressus peruiũ collem, eò perturbationis uenit, ut parũ abfuerit quin totus Atheniensium exercitus uinceretur. Et cùm eo die Mendenses socijq́ dedere se recusarent, digressi Athenienses castra metati sunt, atq́ insecuta nocte Mendenses in urbem concesserunt. Postero die Athenienses oram Scionæ prætereuecti, eius suburbana ceperũt, & agrum toto illo die populati sunt, nemine eodem prodeunte. erat enim nonnihil seditionis intra urbem. Et cùm proxima nocte trecẽti illi Scionij domum abijssent, postridie Nicias cum dimidio copiarũ progressus ad fines Scioniorũ, regionem uastauit: & Nicostratus pariter cum reliquis urbem obsedit à superioribus portis, quà itur Potidæam: Polydamidas (ab hac enim parte Mendensibus auxiliaribusq́ intra murũ arma posita erant) eos tanquam ad pugnam instruebat. Et cùm ad exeundum Mendenses hortaretur, eiq́ è populo quidam seditiosè contradiceret, & se exiturum negaret, neq́ belligerare oportere, & ipse hominem ut contradicebat manu abripuisset atq́ perturbasset, indignatus è uestigio populus sumptis armis tendit in Peloponnenses, & in eos qui cum illis populo aduersati essent: & impetu dato uertit in fugam, tum ob repentinum certamen, tum ob metum Atheniensium, quibus portæ fuêre præfractæ. Quippe Peloponnenses suspicabantur illos ab aliquo præmonitos in se esse uenturos. Ita quicunque non statim eorum obtruncati sunt, in arcem cõfugerunt, quam ipsi iam antea tenebant. Atheniẽses autem (iam enim Nicias reuersus ad urbem erat) cum

omnibus copijs irrumpentes,ueluti ui captã (ut quæ non ex con-
uentó aperta fuisset) diripiunt,ut uix eos cohibere potuerint du-
Mëda ab Athenienfibus occupatur.
ces'ne & homines trucidarent. Post hęc iussêre Mendenses pristi-
no ritu Rempublicam administrare, & de ijs per se supplicium su-
mere,quos esse seditionis autores censuissent. Eos autem qui in ar
ce erant,concluserunt,muro utrinque ad mare pertingenti, & in
eo imposuêre præsidium. Potiti Menda aduersus Scionam ten-
dunt. Obuiam prodeuntes oppidani cum Pelopõnensibus,in dif
ficili ante urbem tumulo considunt:quem nisi caperet hostis, ur-
bem circũuallare non poterat. Eum Athenienses strenuè aggressi,
detrusisq; pugna qui occurrerunt, castra ponunt, trophæum sta-
tuunt,oppidum cõcludere parant. Nec multò pòst cùm in eo iam
opere occcuparentur,auxilia quæ in arce Mendæ obsidebantur,
superatis qui ad mare erant custodibus,noctu abierunt. Quorum
plerique fugientes per hostium castra obsidentium Scionam in-
Perdiccæ cum Atheniensium fœdus.
trauerũt. Ea circunuallata, Perdiccas per caduceatores cum Athe-
niensium ducibus fœdus inijt,odio Brasidæ cõtracto ob reditum
ex Lynco,iam tum statim rem transigere orsus. Etenim compara-
ta apud Thessalos externorum manu, quorum primoribus sem-
per fuerat usus,simul Nicia,postquàm inter eos conuenisset, iu-
bente ut aliquid faceret quo Atheniẽsibus fidem suam probaret,
simul sua sponte,quòd nollet amplius in suam regionem uenire
Peloponnenses,prohibuit Ischagoram Lacedæmonium (is nan-
que tũc exercitum terrestri itinere deducturus ad Brasidam erat)
ne cum copijs impedimentisq; transiret,ita ut ne Thessalos qui-
dem illi tentarent. Ipse tamen Ischagoras & Amenias & Aristeus,
ad Brasidam peruenerunt,à Lacedæmonijs missi ad res inspicien
das,eductis è Sparta secum adolescentulis,qui ciuitatibus præfi-
cerentur,cùm leges id uetarent,ne ea res quibuscunque commit-
teretur. Et præfecerunt Amphipoli Clearidam Cleonymi,Toro-
næ Telidam Hegesandri filium. Eadem æstate Thebani muros
Thespiensium muri diruti.
Thespiensiũ (crimini dantes quòd sentirent cum Atheniensibus)
diruerunt,id quod semper quidem uoluerãt:sed tunc facilius fuit,
quoniam in pugna cum Atheniensibus commissa, omnis eorum
Iunonis templum crematum.
iuuentutis flos erat extinctus. Templum quoque Iunonis eadem
æstate apud Argos deflagrauit, Chryside sacerdote,cùm arden-
tem quandam lucernam coronis apposuisset, illic ita soporata,ut
incensa omnia atque flagrantia non sentiret:propter quod Argi-
uos uerita,protinus in Phliuntem nocte confugit. Argiui ex lege
quæ apud eos promulgata,aliam instituere sacerdotem nomine
Phaenidem,cùm octo annos huius belli Chrysis præfuisset,& di-
Sciona muris conclusa.
midiatum quãdo profugit. Et Sciona iam extremo æstatis undiq;
muris conclusa est:quibus imposito Athenienses præsidio, cum

cætero

cætero exercitu abierunt. Insequens hyems apud Athenienses atque Lacedæmonios quieta mãsit propter inducias. Mantinei uero ac Tegeatæ cum suis utrinq; socijs apud Laodicum terræ Orestidis conflixerũt, ancepsq; uictoria extitit. Nam altero utriq; cornu in fugam uerso, trophæa fixerunt, ad Delphos spolia miserunt, cùm multis utrinque cæsis adhuc dubio Marte pugnantes nox diremisset. Tegeatæ illic pernoctãtes, statim trophæum excitarunt: Mantinei cùm in Bucolionem discesissent, idem postea fecerunt. Exitu eiusdem hyemis, appetente uere, Brasidas Potidæam tentauit. Noctu enim adiens, scalas admouit: hactenusq; hostem latuit. Nam tintinnabulo temerè moto, sic in cassum ante ipsius proditoris reditum admotæ sunt scalæ: & cum statim sensisset hostis, Brasidas priusquàm accederet, raptim retrò reduxit exercitum, luce non expectata. Et hyems exiuit, annusq; nonus belli, quod Thucydides conscripsit.

THVCYDIDIS HISTORIARVM PELOPONNENSIVM, LIBER QVINTVS.

Deciminoni anni initium.



IN SEQVENTI æstate, fœderum annua dies quæ ad Pythia usque processerat, exijt. Per quas inducias Athenienses è Delo Delios summouerũt, rati illos ex uetusta quadam causa non esse castos ad sacra faciẽda, & hoc sibi restare expiationis, de qua superius à me commemoratum est, quasi sublatis defunctorum feretris id ritè facientes. Delij uerò Atramytteum in Asia, ut quisque adibat, eis locum dante Pharnace, incoluerunt. Cleon post exactas inducias, cum triginta nauibus ducens peditum urbanorum mille & ducentos armatos, cum equitibus trecentis ac sociorum pluribus in prouinciam Thraciæ, cùm ad hoc Athenienses induxisset, traiecit. Et cùm Scioniam primùm tenuisset iam expugnatam, sumptis illinc præsidiarijs armatis, in portum Colophoniorũ nauigauit, non admodum ab urbe Toronæa distantem. Vbi certior factus à transfugis, neque Brasidam intus esse, & qui essent, impares fore ad resistẽdum, terrestri itinere ad urbem tendit: & decem nauibus ad circumeundum portum dimissis, ante omnia pergit ad munimenta, quę Brasidas urbi circumdederat, uolens includere suburbana, & diruto ueteri muro unam efficere urbem. Adortis ea Atheniensibus, Pasitelidas Lacedæmonius dux, cum eo quod aderat præsidio succurrens, resistebat. Sed cùm repelleretur, & preterea timeret neue naues quæ circũmissæ erant, circuito

Cleonis expeditio.

Scionis ab Atheniensiũ recuperata.

portu desertam urbem occuparēt,neue in muro qui expugnabatur,ipse caperetur,eo relicto ad urbem cursu contendit. Verùm & Athenienses classici nauibus egressi,urbem priores receperũt:& insecutus cum uociferatiõe peditatus, qua subrutus uetus murus erat,irrupit,ac Lacedæmoniorum Toronæorumq; alios qui repugnabant,statim interemerunt,alios uiuos ceperunt,inter quos & Pasitelidam ducem. Brasidas autem Toronam ille quidem ad succurrendũ profectus est,sed in uia certior de expugnatione factus, redijt,præuẽturus hostẽ,nisi quadraginta fermè stadijs serior fuisset. Cleon atque Athenienses trophæa duo erexerunt,unum ante portum,alterum ante muros:uxoribusq; ac liberis Toronæorum in seruitutem arreptis,ipsos atque Lacedæmonios,& si quis alius Chalcidensium aderat,cunctos ad septingentos numero Athenas miserunt. Quorum Lacedæmonij ex fœderibus postea initis remissi sunt,cæteri ab Olynthijs accepti,totidẽ uiris permutati. Per idem tempus & Bœotij Panactum murum in confinijs,qui erat Atheniensium,proditione ceperunt. Et Cleon imposito præsidio Torone profectus,Atho prope ad Amphipolim usq; prænauigauit,& Phæax Erasistrati filius cum duobus collegis ab Atheniensibus pro legato missus in Italiam atque Siciliam,duabus cum nauibus transmisit. Nam Leontini Atheniensibus è Sicilia reuersis, post conuentionẽ cùm multos in ciuitatem adscripsissent,& plebs agrũ uiritim diuidere haberet in animo,id sentientes ij qui potentes erant,Syracusanis accitis plebẽ eiecẽre,& ea passim errabunda dedentes se Syracusanis,urbemq; deserẽtes,ac desolantes habitacula,Syracusas ut ciues cõmigrarunt. Quorum nõnulli displicente sibi facto,relictis Syracusis,locum quendam urbis suæ,nomine Phoces cepêre,& arcem in Leontino agro ualidam, nomine Bricinnias,ad quos permulti exulantis plebis se contulerunt,& pro muris stantes belligerabantur. Hoc cùm audissent Athenienses, Phęacem miserunt,si quo modo persuasis suis qui ibi erant socijs, & alijs si posset Siciliensibus,communiter tanquam aduersus crescentem Syracusanorum potentiam sumptis armis liberarent populum Leontinum. Phæax ubi aduenit,inductis Camarinæis atq; Acragãtinis,quia apud Gelam res ei è contrario eueniebat,ad cæteros non perrexit,intelligens haudquaquã se illos persuasurum: sed rediens per Siculos Catanam,& in trãsitu Bricinnias ueniens, adhortatusq; discessit. Is tamen & cùm in Siciliam transmisit,& rursus cùm redijt,apud Italiam cum nonnullis ciuitatibus de amicitia Atheniensium sermonem habuit: atque cum Mamertinis apud Locros agentibus, quò relegati erant, cùm post Siciliensium pacificationem orta inter Mamertinos seditione, ab aduersa factione accitis Locrensibus eiecti essent, factaq; aliquandiu

Torona capitur.

Messana

Messana sit Locrensium.

Messana Locrensium. Hos itaque Phæax illuc receptus, nihil læsit, quia cum Locrensibus trāsegerat Atheniensium nomine. Soli enim omnium sociorum in recōciliatione Siciliensium fœdus abnuerant cum Atheniensibus, ne tum quidem admissuri, nisi bello aduersus Itones & Melæos occupati fuissent, finitimos suos atque coloniam. Et Phæax quidem aliquanto posterius Athenas rediit. Cleon autem soluēs à Torona Amphipolim uersus, Stagirum ab Eione profectus, inuadit Stagirum Andriorū, & Galepsum Thasiorum coloniam. Sed illa non expugnata, hāc expugnat: missisque ad Perdiccam legatis, ut cum copijs ex iure societatis ad se ueniret: missis item alijs in Thraciam ad Pollen Odomatorum regem, qui quamplurima Thraces mercede conduxerat, ipse apud Eionem subsedit hos expectans. Hæc Brasidas cùm accepisset, & ipse insedit è regione Cerdilium, qui est locus Argiliorum trans flumen editus, haud sanè distans ab Amphipoli, unde omnia subijciebantur oculis, adeò ut non latuisset Cleon, si prodijsset cum exercitu, id quod facturus expectabatur ad Amphipolim, hostiles copias præ suis præsentibus contemnens. Instruxerat autem Brasidas Thracum mercede conductos mille quingentos, & Edones quos omnes euocârat, peltatos atque equites habens Myrciniorum & Chalcidēsium, præter eos quos apud Amphipolim peltatos mille, in summa ad duódecim peditum armata, & equites Grçcorum trecentos. Hos cùm haberet, Cerdylium cum mille quingentis insedit, cæteris intra Amphipolim cum Clearida instructis. Cleon tantisper ocium tenuit, dum id quod Brasidas expectabat, facere coactus est. Nam ægrè milites ferebant mansionem, reputantesque quantæ imperitiæ atque ignauiæ duci suo congrediendum esset, cum Brasida tantæ peritiæ atque audaciæ uiro, inuiti domo cum eo uenerant. Hanc mussationem gliscere quum animaduerteret Cleon, nolens ipsos quod in eodem desiderent loco grauari, contractos educit, usus eadem ratione, qua apud Pylum: quæ quia prosperè cesserat, aliquid se sapere opinabatur. Etenim neminem sperabat ad pugnandum sibi obuiam exiturum: quin potius ad inspiciendum locum sese dixit ascendere: maiorem tamen apparatum expectabat, non ut tutò, si ad hoc cogeretur, pugnaturus superaturusque, sed ut circundato exercitu urbem expugnaturus. Quum uenisset, & ualido in colle ante Amphipolim exercitum collocasset, ipse contemplabatur Strymonis restagnationem, & urbis situm Thraciam uersus, quemadmodum se haberet, existimans sibi quandocunque liberet, abscedere licere absque certamine. Etenim nemo neque super muros conspiciebatur, neque egredi portis, quæ & clausæ omnes erant. Adeò sibi peccasse uidebatur, quod etiam cum machinis non uenisset: posse enim urbem,

Braſidas Amphipolim adit.

urbem, quod deſerta eſſet, capi. Braſidas ſimul ac Athenienſes mouiſſe cognouit, & ipſe deſcendens è Cerdylio Amphipolim intrat: nullamq́ eruptionem, nullamq́ inſtruendi agminis aduerſus Athenienſes ſignificationem facit, diffiſus copijs ſuis, quas impares hoſti putabat, non numero (nam propémodum pares erant) ſed apparatu. Nam in ea expeditione militabat Athenienſium flos, & Lemniorum Imbriorumq́ robur. Itaque artem aggreſſurus adhibet, quod uidelicet ſi numerum ſuorum & quantum neceſſarium erat armatorum oſtendiſſet aduerſarijs, haud arbitrabatur ſe magis ſuperiorem fore, quàm ſi ab illis non prius conſpectus fuiſſet, & propter tenuem apparatum contemptus. Igitur delectis ipſe armatis cētum quinquaginta, ac traditis Cleaeridæ cæteris, conſtituit adoriri priuſquàm abirent Athenienſes, ratus non futurū ut aliàs eos ſimiliter ſolos deprehenderet, ſi illis ſuperuenirent auxilia. Igitur milites adhortari, conſiliumq́ ſuum aperire uolens, aduocatis omnibus, in hunc modum diſſeruit:

Oratio Braſidæ ad milites.

VIri Peloponnenſes, quoniā ex ea terra profecti uos, quæ propter generoſitatem libera ſemper extitit, & quia Dores cum Ionijs dimicaturi eſtis, quibus ſuperiores eſſe cōſueuiſtis, ſatis erit paucis rem aperire. Docebo uos quónam modo irruptionem facere deſtinē, ne quod cum paucis, non cum uniuerſis mihi periclitandum duco, uobis imbecillitatem uirium interpretantibus formidinem præſtet. Hoſtis enim, quantum conijcio, contemptu noſtri, quos non putat in ſe ad pugnam progreſſuros, locum cōſcendit: & nūc ad ſpectaculū cōuerſus, nullo ordine ſecurus agit. Quæ peccata hoſtiū quiſquis optimè animaduerterit, & pro ſuis etiam uiribus aggreditur, non id faciens ex aperto & inſtructo contrà agmine magis quàm ex præſenti opportunitate, huic plerunq́ feliciter ſuccedit. Atq́ hæc belli furta honeſtiſsimam gloriam obtinent, per quæ præcipuè quis hoſtem fallens, ſummo amicos afficiat cōmodo. Ergo dum imparati adhuc cōfidunt, dumq́ abeūdi potiuſquàm manendi (quantum mihi uidetur) animum habent, in hoc eorum ancipiti conſilio prius quàm ſententiam componant, ego cum his quos habeo occupabo in medium eorum agmen, ſi potero, incurrere & irruere. Tu Clearida, mox ubi me iam inſilijſſe conſpexeris, atq́ terrentem illos conijcies, tunc uerò patefactis repentè portis prodeas cum iſtis qui tecum ſunt Amphipolitanis ac ſocijs, annitereq́ quàm feſtinantiſsimè te immiſcere. Sic enim ſpero præcipuè eos territum iri: quoniam terribiliores ſunt hoſti qui interueniūt pugnæ, quàm ipſi pugnantes. Et quod ad te attinet, ut Spartiatā decet, uirum te egregiū præſta, & eum uos ſocij ſtrenuè ſequamini, exiſtimantes id demum eſſe benè bellare, ut

uelis,

uelis, ut erubescas, ut ducibus pareas: atque hodierno die fore ut aut liberi existatis, si strenuè uos gesseritis, & socij Lacedæmoniorum uocitemini, aut Atheniensium serui duriore etiam quàm pertulistis seruitute: cæterisq; Græcis quo minus liberi fiant impedimento sitis, si etiã optimè rem gesseritis, sed sine captiuis ac cæde hostium. Sed neque uos instrenui sitis, uidentes quantis de rebus certamen sit, & ego ostendam me non magis posse alios adhortari eminus, quàm gnauiter ipse cominus agere.

Hactenus locutus Brasidas, tum sese ad exercitum præparauit, tum alios cum Clearida ad portas quæ Thraces uocantur, ut *Thraces porta* quemadmodum dictum est, erumperent, collocauit. Verùm quia conspectus fuerat à Cerdylio descendens, & in urbe quoque conspicua rem diuinam faciens atque immolans extra templum Palladis, hoc Cleoni nunciatum est. Processerat autem tunc Cleon ad spectaculum, quia & omnis hostilis exercitus intra urbem subijciebatur oculis, & sub portis uestigia multa equorum atque hominum exeuntium notabantur. Hæc cùm audisset, eò perrexit: atq; ubi rem agnouit, iubet colligi uasa ad proficiscendum, quòd scilicet nollet pugna decernere, priusquàm sibi uenirent auxilia, quodq; arbitraretur fugam se antecapere posse: edicitq; abeuntibus ad sinistrum cornu (nam illac tantum licebat) ad Eionem se subducerent. Cumq; ocium sibi uideretur adeptus, conuerso ipse dextro cornu, & nuda hostibus præbens, abducebat exercitum. Cùm interim Brasidas, ubi opportunitatem adesse cognouit, & Atheniensium moueri castra, ad eos inquit qui secum erãt aliosq;: Isti nos non expectant, indicio est motus lancearum atque capitum. Nam hoc quicunque agunt, ij haud consuêrunt expectare inuadentes. Sed nunc aliquis mihi portas, quas dictum est patefaciat, & præstanti animo quàm celerrimè irruamus. Sub hæc per portas, quæ ferebant ad uallum, perq; primas longi, qui tum erat, muri, egressus, cursu contendit recta uia, ubi nunc per maximè ardua loci euntibus trophæum uisitur. Atque circa medium agmen adortus Athenienses, & sua confusione territos, & *Atheniensium* ipsius audacia perculsos, in fugam uertit. Et Clearidas ubi præ- *fuga.* ceptum erat, cum exercitu Thracibus portis egressus, insertur. Ex quo cõtigit ut ex inopinato ac repentino Athenienses utrinq; perturbarentur, utq; sinistrum eorum cornu Eionem uersus, sicuti progressum erat, dissipatum fugam faceret, & hoc iam fugiente Brasidas cùm in dextrum ingruit, uulneraretur: quem caden- *Brasidas uulne* tem cùm Athenienses non animaduertissent, sui qui proximi sta- *ratur.* bant, sublatum asportarunt. Eoq; magis dextrum Atheniensium cornu perstitit, Cleon ut primùm non expectandum sibi consti- *Cleonis cædes.* tuit, statim in fuga exceptus est, à Myrcinio peltato interfectus.

Qui

Qui uerò cum eo fuerant armati, conuerſi in hoſtem, ſuper tumulum bis ter'ue aſsilienti Clearidæ reſtiterunt, nec prius ceſſerunt quàm Myrciniorum Chalcidenſiumq; equitatus ac peltati circunſiſtentes atq; iaculis inceſſentes, in fugam eos uertunt. Ita uniuer- *Athenienſes in fugã uertuntur* ſus Athenienſium exercitus iam diffugiens, ægrè uarias in montibus uias intendit: & quicunq; cæſi non ſunt aut à principio dum manus conſerunt, aut ab equitatu Chalcidenſium atque peltatis, *Braſidæ mors.* Eionem ſe receperunt Braſidas, cùm eum ſui è prælio ſubtraxiſſent, in urbem perlatus adhuc ſpirans, cognouit quidem ſuos ille uiciſſe, ſed non multò pòſt deficiens expirauit. Reliquus exercitus cum Clearida perſequutus hoſtem, ubi redijt, cæſos ſpoliauit, tropħæumq; erexit.

Braſidæ honores. Poſt hæc uniuerſi ſocij Braſidam ſub armis comitatu publico ſepelierunt intra urbem ante forum quod nunc eſt, deinde Amphipolitani monumentum eius circunſtantes, tanquam heroi fanum dedicârunt, honores tribuerũt, certamina & anniuerſalia ſacrificia, coloniam quoque uelut deductori aſcripſerunt, deiectis *Agnonis monumentum.* Agnonis ædificijs, & ſi quid habitationis illius monimentum futurum erat, tum Braſidam liberatorem ſuum extitiſſe arbitrantes, tum ob præſentem Athenienſium metum, Lacedæmoniorum ſocietatem demerentes. Nam eoſdem honores habere Agnonem, neq; ita ex utilitate ipſorum erat, neq; ita iucundũ propter hoſtilitatem Athenienſiũ. Mortuos autem Atheniẽſibus reddiderunt: quorum numerus ad ſexcentos fuit, hoſtium autem ſeptem: quoniam non iuſtum prælium extitit, ſed potius ex huiuſmodi caſu, & incuſſo prius metu. Sublatis mortuis, illi domũ nauigauerunt: qui cum Clearida erant, rem Amphipolitanam conſtabilierunt.

Per eadem tempora ſub extremum æſtatis, Rhamphias & Autocharidas & Epicydidas Lacedæmonij, in prouinciam quæ erat in Thracia, tranſportârũt nongentos in ſupplementũ armatos: & cùm Heracleam quæ eſt in Thracine perueniſſent, quæcunq; non probè ſe habere uiſa ſunt eis, conſtituerunt. Quibus ibidem agentibus, præliũ hoc geſtum eſt, æſtasq; exceſsit. Initio autem ſtatim hyemis, qui cum Rhamphia erãt, ad Pierium uſq; (qui eſt Theſſaliæ mons) progreſsi ſunt: ſed inhibiti à Theſſalis, & præterea morte Braſidæ ad quem copias ducebant, domum reuerterunt, putantes haudquaquam iam tempus eſſe, cùm & Athenienſes uicti abiſſent, nec ipſi idonei forent qui aliquid eorum conficerent, quæ Braſidas animo agitaſſet: cùm præſertim ſcirent quando domo exiſſent, Lacedæmonios fuiſſe propẽſiores ad pacem. Etiam contigit, ut ſecundũ pugnã quæ ad Amphipolim geſta eſt, & Rhamphiæ regreſſum, neutri amplius quippiam belli attingerẽt, ad pacem magis ſpectantes. Athenienſes quidem quòd calamitatem

acceperãt apud Deliũ,& paulò pòst rursus ad Amphipolim,neq; iam firmam uiriũ spem habentes ut antea,cùm fœdera non admiserant,meliori se futuros cõditione,præsenti prosperitate cõfisi.Præterea & reformidabant socios,ne propter ipsorũ clades elati citius deficerẽt:& pœnitebat eos,ꝙ post rem benè gestã ad Pylum non pacificauissent. Lacedæmonij uerò,quòd secus atque opinati fuissent,sibi in bello successerat,in quo paucos intra annos putarãt potentiam se Atheniensiũ deleturos,si terram illorũ depopularẽtur. Accepta autem ad Pylum clade,qualis nulla prius in Sparta,& ijs qui è Pylo ac Cytheris prodibãt,regionẽ latrocinio infestantibus,& seruis ad hostem transeuntibus,& ijs qui supererant assiduè suspectis,ne quid noui sicut prius molirẽtur,solicitati ad præsentem statum ab ijs qui fugissent.Huc accedebat,quòd fœdera tricennalia cum Argiuis percussa in exitu erant,nec alia uolebãt illi ferire,nisi terra Cynuria sibi restitueretur,ut putarẽt Argiuis se & Atheniensibus pariter,impares ad belligerandum. Eo quidem magis,quòd nonnullas habebant suspectas in Peloponneso ciuitates,ne deficerent ad Argiuos,sicut & factũ est.Hæc igitur utrisq; animo uersantibus uisum est de pactionibus agendũ,nec Lacedęmonijs minus,desiderio recipiendi captiuos ex insula,quippe qui erant cùm Spartiatæ atq; primores, tum uerò ipsorum propinqui:eoq; iam inde ex quo capti fuerant,transigi cœptum est.Sed Athenienses elati animo,nondum uolebant æquis conditionibus finire bellum.Eosdem apud Delium clade affectos gnari Lacedęmonij tũc id magis admissuros,cõfestim annuas fecère inducias,quibus eos oportebat coire de ampliori tempore consultaturos. Postea uerò quàm ad Amphipolim ab Atheniensibus malè pugnatum est, & Cleon atq; Brasidas mortem oppetière,qui præcipuè è diuerso paci aduersabantur:Brasidas quidem quòd prosperè bellaret,& ob id honores assequeretur:Cleon autem quòd in quiete ciuitatis credebat se in sceleribus committendis manifestiorem fore,& minus habiturum fidei in obtrectando,multò magis hoc exoptabant,& ante omnes duo in sua utriq; ciuitate ad principatum properãtes, Plistoanax Pausaniæ filius,Lacedæmoniorum rex,& Nicias Nicerati,in re militari eorũ qui tunc erant longè clarissimus.Hic quidem,quòd in eo in quo nihildum dãni fecissent,uolebat operæq; precium putabat tueri felicitatem,& cùm cæteros ciues,tum uerò se laboribus in præsentia uacare,& nomen posteritati relinquere,quòd nusquam de republica malè meritus esset.Quod ita demum arbitratur contingere,si nihil periculi foret,& si quis se quàm minimùm fortunæ committeret,& fugam periculi pace præstari.Ille autem,quòd ab inimicis insimulabatur de reuersione ex Attica, & quasi ob hanc culpam ista contingerent,quoties aliquid cladis

Crimina in Plistoanactem.

accipiebant, à Lacedæmonijs ei semper inuidia fiebat. Etenim insimulabatur quòd cum Aristocle fratre uatem quæ ad Delphos erat, persuasisset ut Lacedæmonijs ad petenda oracula eò missis, hæc plerunque responderet: Ioue sati semidei prolem ex alieno solo in suum reducere, alioqui argenteo arare uomere. Eandem quoque aliquanto post tempore, ut Lacedæmonios hortaretur ad se reducendum in Lyceo exulantem propter suspicionem acceptorũ munerum, ob reditum illum ex Attica, & dimidiatas ædes templi Iouis metu Lacedæmoniorum tũc inhabitantem, undeuicesimo regni sui anno reducendum, eiusmodi choris atque sacrificijs quibus prosequi reges instituerunt, cùm primùm Lacedæmona condidêre. Hac igitur offensus criminatione Plistoanax, simulque quòd existimabat tum nihil in pace aduersi contingere, ubi Lacedæmonij suos recepissent, tum haudquaquam se inimicorum inuidię obnoxium fore, cui semper obnoxij sint, necesse est principes in ciuitate belli tempore, propter eius detrimenta, conuentionem præoptabat. Eamque per hyemem in colloquium itum, & iam instante uere apparatus à Lacedæmonijs palàm agitabatur per ciuitates, denunciantibus tãquam ad munitiones faciendas, quo magis exaudirent Athenienses. Et ubi in concilijs multa sunt utrinque iura allata, ita conuentum est ut pax fieret, utrisque ea quæ bello essent parata reddentibus, sed Atheniensibus Nisæã retinentibus. Nam cùm Platęam repeterent Athenienses, & eam se ui cepisse Thebani negarent, nec oppidanis prodentibus sed dedentibus, idem de Nisæa & illi dicebant. Tunc aduocatis Lacedęmonij socijs, pręter Bœotios atque Corinthios, Eleosque & alios Megarenses (his enim quæ fiebant haud placebant) decretoque facto de bello finiẽdo, fœdus inierunt, percusseruntque cum Atheniensibus, quòd Athenienses apud illos iurando comprobarũt. Fœdera fecêre Athenienses ac Lacedæmonij cum socijs in hæc uerba, & per urbes iurarunt.

Argenteo arare uomere.

De fœderibus agitur

Fœdera inter Lacedæmonios & Athenienses.

QVod ad templa publica pertinet, licere quicũque uelit tutò ire, consulere, consultores mittere more maiorum terra & mari. Phanum uerò ac templum Apollinis quod est apud Delphos, & Delphos ipsos uti suis legibus, uectigalibus, iudicijs, sua denique terra more patrio. Esse porrò fœdera annos quinquaginta Atheniensibus ac Lacedæmonijs & utrorunque socijs, pura & innoxia, uel terra uel mari. Nec licere arma inferre detrimenti causa, neque Lacedæmonijs neque Atheniensibus eorum'ue socijs, ulla uel arte uel machinatione. Si quid inter eos cõtrouersiæ existat, iure agant & iureiurando, quemadmodũ conuentum fuerit. Reddãt autem Lacedæmonij ac socij Amphipolim Atheniensibus. Quas autem urbes

Fœderum initorum uerba.

urbes Lacedæmonij tradiderint Atheniẽsibus, eis liceat abire quò libeat, suis cum facultatibus. Eas uerò quas Aristides tributarias fecit, liberas esse. Item non licere Atheniẽsibus atq; socijs nocendi gratia illuc ferre arma, si tributū pendāt post icta fœdera. Sūt autē hæ, Argilus, Stagirus, Acanthus, Scolus, Olynthus, Spartolus: Nec socias esse alterutris, aut Lacedæmonijs, aut Atheniensibus: Quòd si eas induxerint Athenienses, ut uelint esse sociæ, licere socias facere. Mecyuernæos, & Sanæos, & Singæos suas ipsorum urbes incolere, quemadmodū Olynthij & Acanthij, Lacedæmonij ac socij. Panactum Atheniensibus, & inuicem Athenienses Coryphasium illis, & Cythera, & Methonen, & Pteleum, & Atalātam, & quoscunq; Lacedæmoniorum captiuos in carceribus, uel apud Athenas, uel alibi intra suam ditionem haberēt reddentibus: necnon eos quos expugnatione Scionæ cepissent Peloponnensium, & quicunq; ex socijs Lacedæmoniorum apud Scionam essent, & quoscunq; Brasidas eò misisset: si quis deniq; Lacedæmoniorum socius Athenis, uel alibi ubi imperium teneant, in carceribus esset, missos facientibus: Lacedæmonijs præterea ac socijs reddentibus quoscūq; haberent, hunc in modum, Atheniensium sociorumue. Quod autem ad Sciones attinet & Toronæos & Sermylios, & si quam aliam ciuitatem haberent Athenienses, consultaturos, deq; alijs ciuitatibus quicquid sibi uideretur. Eosdem iusiurandū apud Lacedæmonios eorumq; socios per ciuitates iuraturos, & utrosq; alteris domesticum iusiurandum, quod apud utranque ciuitatem maximum est: quod quidem hoc sit: Sto his pactionibus & his fœderibus iustè & purè. Sit Lacedæmonijs ac socijs in hunc modum erga Athenienses iusiurandum. Id autem quotannis renouari ab utrisque, & titulos lapideos erigi in Olympijs, in Pythijs, in Isthmo, & Athenis intra urbem, & Lacedæmone in Amyclæo. Si quid autem alterutris in mentem non uenit, & si quid rationibus discussum æquum utrisque uisum fuerit, hoc commutari quacunque in parte utrisque uideatur. Atheniensibus ac Lacedæmonijs sub tempus fœderum præsidebat ephorus Plistolas, mensis Artemisii quarto ante finem die. Athenis præsidebat Alcæus mensis Elaphebolionis sexto ante finem die. Iurarunt autem & fœdus percusserunt, ex Lacedæmonijs Plistolas, Domagestus, Chionis, Metagenes, Achantus, Diathus, Ischagoras, Philocharidas, Zeuxidas, Antippus, Tellis, Alcinadas, Empedias, Menas, Lamphilus: ex Atheniensibus Lampon, Isthmionicus, Nicias, Laches, Euthydemus, Procles, Pythodorus, Agnon, Myrtilus, Thrasycles, Theogenes, Aristocœtes, Iolcius, Timocrates, Leon, Lamachus, Demosthenes. Hæc fœdera icta sunt sub extremum hyemis simul & initiū ueris, statim ab urbicis Dionysiis,

Iusiurandū domesticum Atheniensiū & Lacedæmoniorū.

Fœderis percussores.

decem solidis annis, & pauculis diebus à prima in Atticam incursione, & ab huius belli principio. Velim autem quis mihi consideret ad fidem habendam tempora potius, quàm aut quoslibet alicubi magistratus, aut recensionem aliquorum ex aliqua dignitate nominum res gestas significantium. Non enim exacta res est, exponere quibus nam uel ineuntibus uel gerentibus magistratum quidꝙ gestum sit, sed per æstates & hyemes distinguere, quemadmodum feci. Vnde comperiet uim anni in duo media diuidens, decem æstates totidem hyemes habuisse superius bellum.

Temporum distinctiones more Thucydideo.

Lacedæmonij captiuos protinus qui penes se erant, missos fecerunt: nam sortiti priorem locum erãt reddendi quæ haberent. Miseruntꝙ in Thraciam ad suam prouinciam legatos, Ischagoram & Menam & Philocharidam, ut Amphipolim traderent Atheniensibus, atꝙ alij fœdera quemadmodũ conuenerat, de singulis rata haberent. Quod tamen illi facere abnuerũt, arbitrantes ea nequaquam sibi utilia esse. Ne Clearidas quidem urbem tradidit, gratificari uolens Chalcidensibus, quòd negaret se posse tradere istis inuitis. Verùm properè ipse cum legatis illinc in Lacedæmonem uenit ad se purgandum, si accusaretur ab Ischagora, quod non paruisset: & præterea ad cognoscendum, si quid posset fœdus immutari. Sed cùm comperisset id comprobatum esse, celeriter redijt, mittentibus eum Lacedæmonijs, atꝙ iubentibus præcipuè ut urbem traderet: sin minus, quicunꝙ ibi forent Peloponnenses educeret. Cæterùm Lacedæmonij cùm apud eos socij essent, & iussi rata habere fœdera, negarent eadem qua prius causa se illa habituros rata, nisi aliquatenus æquiora fierent, hos non audiẽtes dimiserunt, ipsi cum Atheniensibus societatem fecerunt, rati Argiuos qui missis Ampelida & Licho fœdus inire recusassent, non acres hostes sine Atheniensibus fore, & cæteram ferè Peloponnesum quieturam: alioqui si liceret, ad Athenienses accessuram. Præsentibus igitur Atheniensium legatis, habitisꝙ colloquijs conuentum est, societasꝙ cum iureiurando inita hæc his legibus.

Societas inita inter Lacedæmonios & Athenienses.

Verba initæ societatis.

SOcij erunt Lacedæmonij annos quinquaginta. quòd si qui hostes agrum inuaserint Lacedæmoniorũ, eisꝙ noxam fecerint, opem ferãt Athenienses quocũꝙ modo, & quãtam maximã poterunt. Si ijdem hostes agrũ populati discesserint, pro hoste sit illa ciuitas Lacedæmonijs & Atheniẽsibus, afficiaturꝙ ab utrisꝙ dãno, & ab utrisꝙ pariter hoc bellum deponatur, atꝙ ista fiant iustè & impigrè & purè. Item si qui hostes terram Atheniensiũ ingrediantur, noxamꝙ fecerint, Lacedæmonij opem ferant quocunque modo, & quãtam maximã possunt. Si agrũ populati discesserint, pro hoste sit illa ciuitas Lacedæmonijs & Atheniensibus, afficiaturꝙ

ab utrisꝙ

ab utrisq; damno, & ab utrisq; pariter hoc bellum deponatur. atq; ista fiant iustè, & impigrè & purè. Quòd si seruitus impendeat Lacedęmonijs, opituletur Athenienses omni ui quoad poterunt. Hæc autem fœdera ijdem qui superiora utrinq; iurauerunt quotannis renouanda. Lacedæmonijs Athenas euntibus sub Dionysia, Atheniensibus Lacedæmonem sub Hyacinthia, erecto apud utrosq; saxeo titulo: uno quidem Lacedæmone iuxta Apollinem in Amyclæo, altero autem Athenis intra urbem iuxta Mineruam. Quòd si quid uisum fuerit Lacedæmonijs & Atheniensibus adijciendum tollendum'ue circa societatem, quicquid utrisq; uisum fuerit, id æquum sit. Hoc iusiurandum è Lacedæmonijs hi iurauerunt: Plistoanax, Agis, Plistolas, Damagetus, Chionis, Metagenes, Acanthus, Ischagoras, Philocharidas, Zeuxidas, Antippus, Alcinadas, Tellis, Empedias, Menas, Laphilus: ex Atheniēsibus Lampon, Isthmionicus, Laches, Nicias, Euthydemus, Procles, Pythodorus, Agnon, Myrtilus, Thrasycles, Theagenes, Aristocrates, Iolcius, Timocrates, Leon, Lamachus, Demosthenes. Hęc societas inita est non multò pòst fœdera, & captiuos ex insula reddidêre Lacedæmonijs Athenienses, æstasq; undecimi anni cœpit. Quæ per decem continenter annos primo bello gesta, hactenus conscripta sunt. Post fœdera uerò & societatem inter Lacedæmonios atq; Athenienses decennem post bellum initam sub Plistola Lacedæmoniorum ephoro, & Alcæo Athenis præsidente, pax fuit duntaxat apud eos qui illa admiserant.

Cæterùm Corinthij & quædam in Peloponneso ciuitates, quæ acta fuerāt cōcusserunt: protinusq; alia perturbatio extitit sociorū aduersus Lacedæmonios. Quinetiā Lacedæmonij ipsi progressu temporis in suspicionē uenêre Atheniēsibus, partim ob quædam quæ ex uerbis pactionis executi non sunt, atque ad sex annos decemq; menses temperatum est, quo minus utrinq; mutuò terram inuaderent: extra illam uerò uehementissimè inuicem se læserunt, per induciarum non synceram quietem. Mox coacti rumpere illa post decem annos fœdera, rursus in apertum iêre bellum. Hæc autem idem Thucydides Atheniensis gradatim cōscripsit, quemadmodum singula quæq; gesta sunt per æstates & hyemes, eo usque dum Atheniensium imperium Lacedæmonij cum socijs euerterunt, ac longos muros & Piræa ceperunt: ad quod tempus, anni belli omnes extiterunt septem & uiginti. Quòd si quis pactionem quæ intercesśit, spatio belli adscribēdam non putabit, is haud rectè putabit. Si enim ex rebus gestis id existimabit, inueniet non esse consentaneum eam iudicari pacem, in qua neq; tradita neque recepta sunt omnia de quibus conuenerat. Et præter hæc in Mantinico & Epidauro atque in alijs bellis utrinque clades acceptæ.

Fœdera uiolantur.

Et nihilominus in Thracia qui ſocij fuerant, hoſtes extiterunt, & Bœotij decemdiales inducias agebant. Itaq; & ex ſuperioris belli decennio, & ex ſuſpectis poſt illud inducijs, & ex inſecuto has poſteriori bello, ſi quis tot annos ſupputabit per tempora & aliquot dierũ acceſsionem, hoc ſolũ inueniet exitu comprobatũ, ex ĳs quę futura eſſe ex oraculis affirmabantur. Etenim memoria teneo, ab incepto uſq; ad finitũ bellum, à cõpluribus prædicari ſolitum ter nouenis annis bellum geri oportere. Quo omni tempore cùm per ætatem res ego iam intelligerẽ, & animaduerterem, ut aliquid dili genter cognoſcerẽ, contigit ut cùm patria exularim annos uiginti, poſtquàm in Amphipolim traieciſſem dux claſsis, cumq; rebus agẽdis interfuerim apud utroſq;, nec minus propter exilium apud Peloponnenſes, per ociũ aliquid earum rerum impenſius noſſem. Igitur controuerſiã quæ poſt decem annos extitit, & fœderũ perturbationẽ, & deinceps quemadmodũ bellatum fuerit, exequar. Nam poſteaq; quinquaginta annorum fœdera ſunt inita, & mox ſocietates legationesq; quæ ex Pelopõneſo ad hæc accitę fuerant, Lacedæmone diſceſsêre, & alĳ domũ abiêre, Corinthĳ ad Argos conuerſi primùm uerba fecerũt cum quibuſdam principibus Argiuorum, quando quidẽ Lacedæmonĳ fœdera ſocietatemq; cum Atheniẽſibus feciſſent, antea ſibi inimiciſsimis, non ob utilitatem Pelopõneſi, ſed ob ſeruitutem, oportere Argiuos cõſiderare ut ſal ua ſit res Peloponnenſis, atq; decernere, quæcunq; Græca ciuitas ſuis legibus, pari iure, æquis cõditionibus uiuens, uelit cum Argiuis ſocietatẽ facere, licere, ut unaquæq; ad alterius terrã mutua ferat auxilia: deligere autem aliquot homines penes quos ſit imperĳ ſumma, ne res foras emanet, néue fiat ad populũ mentio, ſi illi non ſit aſſenſurus. Multos enim aiebant ad Argiuos odio Lacedæmoniorum ſe collaturos. Hæc cùm demõſtraſſent Corinthĳ, domum reuerterunt. Quæ Argiui illi cùm audiſſent, & ad magiſtratus atq; ad populũ retuliſſent, facto decreto, Argiui duodecim uiros delegerunt, cum quibus liceret ſocietatẽ facere quiſquis uellet Græcorum, præter Athenienſes ac Lacedæmonios: cùm horũ neutris id liceret iniuſſu populi Argiui. Admiſerũt autem hoc Argiui eo impenſius, tum quòd cernerẽt bellũ ſibi cum Lacedæmonĳs futurũ, quoniã fœdera cum illis in exitu erãt, tum quòd ſperarẽt ſe principes fore Pelopõneſi. Siquidẽ per id tempus præcipuè Lacedæmoniũ imperiũ male audiebat, & propter acceptas clades cõtemptui erant: & inter omnes optimè Argiui ſe habebant, qui non ſumpto cum cæteris Attico bello, quod cũ utriſq; fœderati eſſent, rem ſuã auxerant. Hunc itaq; in modũ Argiui Græcorũ uoluntarios in ſocietatẽ recipiebãt, ad quos primi Mantinęi cum ſocĳs tranſierunt, Lacedæmonios ueriti: à quibus dum adhuc bellũ cum Athenienſibus

Belli Peloponneſiaci diuturnitas.

Thucydidis exilium.

Fœderũ initia apud reliquam Græciam.

Mãtinei à Lacedæmonĳs deficiunt.

ſibus

ſibus gerunt,partē quandam Arcadiæ illorū ditionis auertiſſent, Arcadia. quosq́ non credebāt neglecturos,quòd ea Mantinæi potirentur. Ita dum illi cunctātur,libēter ad Argiuos ſe cōtulerunt,ciuitatem magnā conſiderātes,& cum Lacedæmonijs uſq́ certantē,& ſtatū popularem quemadmodū ipſi habentē.Secūdum horū defectionem reliqua Peloponēſus gliſcere cœpit,tanq̃ ipſi foret idē faciendum,rata plus quiddā cognouiſſe Mantinæos quod ad Argiuos acceſsiſſent:& ſimul ſuccēſens Lacedęmonijs,cùm ob alia,tum uerò quod in fœderibus Atticis aſcriptū eſſet,periuriū eſſe quicquā adijcere tollereúe,ei quod utriq́ ciuitati uiſum ſit,Lacedæmoniæ & Athenienſi.Hæc enim particula Pelopōnenſes pręcipuè turbauit,& ad ſuſpicandū induxit,ne ſe uellent in ſeruiturē redigere Lacedęmonij cum Athenienſibus.Æquum nanq́ futurū fuiſſe,ut ea tranſmutatio uniuerſis ſocijs aſcriberetur.Itaq́ perterriti multi ad Argiuos tranſierūt,ut cum eis ſocietatē ſinguli coirēt.Lacedæmonij hunc tumultū gliſcere in Pelopōneſo ſentientes,& Corinthios illorum magiſtros fuiſſe,ac fœdus & ipſos cum Argiuis percuſſuros, *Corinthij tumultus magistri.* mittunt Corinthū legationem,uolentes quod futurū erat pręuenire,expoſtulatū,quòd illi eſſent totius rei caput:periuri etiam futuri,ſi ab ipſorum ad Argiuorū ſocietatem deficerent.Iam nunc quoq́ iniurij qui fœdera cum Athenieſibus non comprobarent, cùm dicatur in ijs,id ualere quicquid maior ſociorū pars decreuerit,niſi quòd uel deorū uel hominum impedimentū interceſſerit. Corinthij uerò adhibitis ſocijs (prius enim eos aduocauerāt,quicunq́ & ipſi fœdera non admiſiſſent)cōtradicere Lacedæmonijs, non tamen propalàm oſtendentes ubi ſibi facta eſſet iniuria:quia neq́ ipſi recuperaſſent ab Athenieſibus Solliū neq́ Anactorium, & ſi quid aliud arbitrabantur amiſiſſe:prætendere tantùm ſe deſerturos non eſſe eos qui forent in Thracia.Iure enim iurando ſuā illis priuatim fidem dediſſe ſemel,cùm primùm unà cum Potidęatibus rebellarunt,& ſæpius poſtea:negare itaq́ ſe fœdifragos eis eſſe,ſi ipſorū cum Athenienſibus ſocietatem reſpuerēt.Cùm enim deorū fidem iurauerint illis in Thracia, periuros ſe fore,ſi prodāt. Dictū autem illic eſſe,niſi dij aut heroës forent impedimēto,& uideri ſibi hoc diuinum inmpedimentū eſſe:& de ueteri quidem iureiurando hactenus reſponderunt.Quod autem ad Argiuā ſocietatē attineret,ſe habito cū amicis cōſilio quicquid iuſti fuerit facturos.Et Lacedęmonij quidē legati domū abierunt:Corinthij uerò Argiuorū legatis,qui etiam aderant,iubentes ſocietatē inire ipſos, nec differre,edicunt ut ſibi præſtò ſint proximo concilio.Aduenit mox Eleorū quoq́ legatio,& primū init cum Corinthijs ſocietatem,deinde illinc Argos petētes quemadmodū prædictū eſt,cum Argiuis idem fecit.Infenſi nanq́ Elei Lacedæmonijs erāt propter

Lepreatarum bellum. Lepreum. Nam bello quod Lepreatæ cum Arcadibus gesserunt, acciti à Lepreatis Elei in auxilium, mercede dimidiatorum fructuum terræ, cùm bellum soluissent, imposuerant ipsis Lepreatis qui solum colerent, annuum talentū Olympio Ioui pendendum. Quod illi cùm ad bellū usq; Atticum pependissent, postmodum *Eleorum atq; Lacedæmoniorum simultas.* desierunt, causati bellum: & dum ab Eleis cogerentur, ad Lacedæmonios recurrerūt. Commissa illis causa suspicati Elei non æquos futuros iudices, omissa disceptatione solum Lepreatarum depopulati sunt. Nihilo tamen minus Lacedæmonij pronunciarunt liberos esse Lepreatas, & Eleos agere iniustè: & quia Elei iudicio non stabant, armatum præsidium in Lepreum miserunt. Illi existimantes urbem quæ à se defecisset, Lacedæmonios recepisse, prolata pactione qua dicebatur, quæ quis moto Attico bello teneret, eadem retinendo prodiret in bellum, tanquam ipsi ius suum non obtinerent, ad Argiuos deficiunt, societatemq; sicuti prædictum est, faciunt. Fecerunt item statim pòst Corinthij, & qui in Thracia sunt Chalcidenses. Idem quoq; allegantes Bœotij ac Megarenses, cùm à Lacedæmonijs contemnerentur, tamen quieuerunt, quòd censerent popularem Argiuorum statum minus sibi profuturum sub dominatu paucorum degentibus, quàm Rempublicam Lacedæmoniorum. Per eadem huius æstatis tempora Athenienses *Sciona expugnatur.* expugnata Sciona, puberes interfecerūt, pueros ac mulieres in seruitute redegerunt, agrum Platęensibus colendū dederūt, necnon *Delij reducuntur.* Delios rursus in Delum reduxerunt, reputātes & præliorum detrimenta, & dei apud Delphos oracula. Quinetiam Phocenses ac *Phocensium & Locrensium bellum* Locrenses inter se bellare cœperunt, Corinthij insuper atq; Argiui iam socij Tegeam ueniunt, ut à Lacedæmonijs deducerent, cernentes secum esse ex magna parte Peloponnesum, & si hic locus accederet, totam futuram. Vbi Tegeatæ negant se Lacedęmonijs aduersaturos, Corinthij qui gnauiter hactenus egerāt, contendere desierunt, timueruntq; ne aliorum nulli posthac ad ipsos deficerent. Tamen Bœotios ipsi adeundos putauerunt, orandosq; ut sui atque Argiuorum socij fierent, cæteraq; communiter administrarent, ad hæc ut fœdera decem dierū, quæ illis erant cum Atheniensibus, factæ non longè pòst illa quadraginta annorū, se Athenas secuti, secū quoq; facerent, Corinthij iubebant: utq; Atheniensium, si hoc abnuerent, inducias renunciarent: nec cum eisdem in posterum, nisi se adhibitis, fœdera facerent. Bœotij rogātibus Corinthijs, quod ad societatem Argiuorum pertineret expectare iusserūt, profectiq; cum eisdem Athenas, decem dierum fœdera non inuenerunt. Cæterùm Athenienses Corinthijs responderunt sibi cum illis esse fœdera, si Lacedæmoniorum ij socij forent. Itaque Bœotij postulantibus Corinthijs atq; flagitantibus ut secum paciscerentur,

ciscerentur, noluerunt tamen decem dierum fœderibus renunciare. Ipsis autem Corinthijs induciæ citra fœdus extitêre cum Atheniensibus.

Eadem æstate Lacedæmonij populariter duce Plistoanacte Pausaniæ regis filio, in expeditionem ierūt aduersus Parrhasios in Arcadia Mantineis obnoxios, acciti ab eis seditione laborātibus, excisuri præterea, si possent, murum in Cypselis, quem Mantinei extruxerant, suorumq; præsidio tenebant, in Agro Parrhasio positū super Sciritium, qui est in Laconica. Et Lacedæmonij quidem regionem Parrhasiam depopulabantur. Mantinei autem tradita Argiuis custodia urbis, ipsi societatem tutabātur: sed cùm nequirent & murum in Cyselis, & in Parrhasiis urbes defendere, abiêre. Lacedæmonij ubi & Parrhasios in libertatem asseruerūt, & murum exciderunt, domum reuersi sunt. Iidem per eandem æstatem iam reuersis à Thracia militibus qui cum Brasida profecti fuerāt, quos post inita fœdera Clearidas reportauerat, decreuerunt seruos, qui sub Brasida fuissent in prælio, liberos esse, habentes ubicunq; libere habitādi potestatem, eosq; non ita multò pòst cum ijs quos recenter in ciuitatem ascripserant in Lepreo, quod in Laconico & Eleo agro situm est, collocauerūt, iam cum Eleis dissidentes. Præterea quos in insula traditis armis captos receperant, horum nonnullos iam magistratibus fungentes, ignominia notauerūt, ueriti ne propter calamitatem acceptam, illi opinātes suam imminutam esse conditionem, aliquid molirentur rerum nouarum, si honoribus uterentur. Notauerunt autem hac ignominia, ne gerendi magistratus, néue mercandi, uendendi dādi'ue aliquid ius haberent. Aliquanto tamen pòst ad dignitatem sunt restituti. Eadem æstate Thysson, quæ est in Atho, Atheniensium sociam ciuitatem, Dictydienses ceperunt. Qua omni æstate inter Athenienses ac Peloponnenses commercium fuit, sed inter se suspecti erant Athenienses & Lacedæmonij usq; ab initis fœderibus, quòd neutri loca alteris redderent. Nam Lacedæmonij quorum priores in reddendo partes erant, nec Amphipolim cæteraq; loca reddiderant, nec socios in Thracia ad recipienda fœdera adegerant, ac ne Bœotios quidem atq; Corinthios, assiduè dicentes se illos qui fœdera recipere nollent, unà cum Atheniensibus coacturos, præstituta die, citra tamen syngrapham, intra quam diem qui fœdera rata non haberent, utrisq; essent pro hostibus. Harum rerum nullam cōfici ab illis Athenienses cùm uiderent, suspicabantur nihil æquum Lacedæmonios animo agitare. Itaq; Pylum repetentibus reddere supersederunt, adeò ut captiuos quoq; ex insula, quos in uinculis habuerant, reddidisse pœniteret. Etiam loca cætera tenere perseuerauerunt, præstolantes dum illi quæ spopondissent perficerent.

Atheniēses & Lacedæmonij de reddēdis utrinq; locis dissentiunt.

Lacedæmonij

Lacedæmonij uerò dixêre, se quæ poterant, fecisse: quos enim in uinculis habuissent, Atheniẽsibus reddidisse, milites qui in Thracia, & si quis alius in ipsorum arbitrio fuisset, abduxisse, Amphipolim ut restituerent, non esse in sua potestate. Bœotios atque Corinthios ut in fœdera adducerẽt, operam daturos, utque Panactum reciperẽt, & si quis Atheniensis apud Bœotios captiuus esset. Pylum autem ut sibi redderent postulare: sin minus, Messenios illinc ad seruitia abducerent, quemadmodum ipsi ex Thracia fecissent: Athenienses per se si uellent, locum custodirent. Sæpe itaque ex multis habitis sermonibus, per hanc æstatem permouerunt Athenienses ad ducendos è Pylo Messenios, ac cæteros tum seruos, tum eos qui è Laconica ad ipsos transierant, quos in uerticibus Cephaleniæ collocauerant. Igitur æstate hac ab utrisque ocium fuit, & ad utrosque inuicem uentitatum. In sequenti hyeme (erant enim alij ephori, nec ij sub quibus inita fœdera erãt, & eorum nonnulli fœderum aduersarij) cùm legati à societate uenissent, præsentibus Atheniẽsibus, Bœotijs, Corinthijs, & multa ultrò citroque dicerentur, nec quicquam conuenirent: ut reditum est domum, Cleobulus & Xenares (ij enim præcipuè ex Ephoris fœdera solui uolebant) sermones habuêre separatim cum Bœotijs atque Corinthijs, hortantes ut maximè eadem decernerent, utque Bœotij, qui primùm fuissent socij Argiuorũ, rursus se cum Argiuis facerent socios Lacedæmoniorum. sic enim fore ut Bœotij ad accipienda Attica fœdera minimè cogerentur. Nam Lacedæmonios ante inimicitias Atheniensium, ac ruptionem fœderum, prçoptasse sibi amicos atque socios esse Argiuos. Intelligebant enim Lacedæmonios semper cupidos esse conciliandæ sibi Argorum amicitiæ, quod uidelicet existimarent bellum extra Peloponnesum sic facilius fore. Enimuerò obsecrare Bœotios, Panactum Lacedæmonijs traderent: ut pro hoc recepta, si posśint Pylo, facilius habeant aduersus Athenienses bellum. Ita edocti Bœotij atque Corinthij à Xenare Cleobuloque, & à suis amicis qui è Lacedæmonijs aderant, ut ad suos publicè referrent, utrique abiêre. Quos abeũtes duo è summo magistratu Argiui inter uiam obseruauerunt, cõgreßique cum eis, in colloquium uenerunt, si quo pacto Bœotij ipsis socij fieri possent, quemadmodum Corinthij & Elei & Mantinei: existimare enim hac re procedente, facilè iam eos & belligerari, & pacisci: etiã cum Lacedæmonijs si uellent, re inter ipsos cõmunicata, & si quibus cum alijs oporteret. Hæc Bœotijs legatis audita placuerunt. Quippe opportunè ista rogabantur, quæ amici quoque è Lacedæmone ipsis iniunxerãt. Ea sentientes ab his admitti Argiui illi, missuros se in Bœotiam legatos cùm dixissent, digreßi sunt. Reuersi Bœotij detulêre ad magistratus, quæque ex Lacedæmone, quæque

Ephori fœdera frãgere contendunt.

Argos amicum optant Laced.

ex Argiuis

ex Argiuis in congressu audissent. Magistratus quod res placita erat, erectiore animo esse. Nam ipsis cum utraq; parte cõueniebat, & eorum opera Lacedæmoniorum amici indigebãt, & Argiui ad similia properabant. Neq; multò pòst cùm legati Argiuorũ uenissent, ob ea trãsigenda quæ dixissent, probata ipsorũ oratione eos remiserunt, promittẽtes se legationẽ Argos de societate missuros. Interea uisum est eis Corinthijsq; ac Megarensibus, & legatis è Thracia, inter se coniurare, de ferendo inuicem auxilio, ut quisque indigeret, deq; non gerendo cum aliquibus bello, paciscẽdoq;, nisi communiter, & ita Bœotios Megarensesq; (nam idem ij inter se ipsi fecerant) fœdera facere iam cum Argiuis. Verùm antequàm iusiurandum præstaretur, idem Bœotiorum magistratus rem ad quatuor consilia Bœotiorũ, penes quæ summa potestas erat, retulerunt, suadẽtes ut ex usu rei Bœotiæ cum ijs ciuitatibus quæcũq; hoc uellent, coniurarent. Hoc illi qui in consilijs erant, non admittendũ censuerunt, ueriti ne Lacedæmonijs aduersarentur, si cum Corinthijs, qui ab illis defecerant, cõiurarent. Neq; enim eos certiores fecerãt sui magistratus de ijs quę ex Lacedęmone sibi Cleobulus & Xenares ephori suasissent, ut prius Argiuorum Corinthiorumq; socij facti, postmodũ fierẽt Lacedæmoniorũ: rati etiã si ipsi non dicerent, tamen non aliud illos è cõsilio decreturos, quàm quod eis ipsi præcognitum suasissent. Vbi autem res in cõtrarium cessit, Corinthij quidem & è Thracia legati infecto negocio abierunt: Bœotij uerò magistratus prius expectãtes, ut eadem persuaderent, utq; experirẽtur facere cum Argiuis societatem, nec de Argiuis ad consilia retulerunt, nec Argos quam promiserãt legationem miserũt, incuria quadam & omniũ occupatione. Hac eadem hyeme Mecybernã, ubi erat Atheniensium præsidium, Olinthij subitò adorti ceperũt. Post hæc Lacedæmonij (nam inter eos atq; Athenienses assidua colloquia habebãtur de reddendis quæ inuicem tenebãt) sperantes si Panactũ à Bœotijs Athenienses recepissent, fore ut ipsi reciperẽt Pylum, adierunt per legationẽ Bœotios, oraruntq;, ut sibi Panactũ, & qui in uinculis essent Atheniẽses traderentur, ut pro ijs ipsi Pylum reciperẽt. Illi negare se reddituros, nisi secum quemadmodũ cum Atheniensibus hi societatem separatim coirent. Lacedæmonij intelligentes hi quidẽ se iniurios fore in Athenienses, cùm dictũ sit neq; fœdus iniri, neq; bellũ, nisi communiter, cupidi tamen Panacti recipiẽdi, & pro eo Pylum recuperandi, cùm presertim qui properabãt turbare fœdera, propẽsiores in Bœotios essent, societatem fecerunt hyeme iam extrema, & sub uere statim Panactũ excisum est: Et undecimus belli annus exijt.

Græcorũ coniurationes.

Bœotiorum quatuor consilia.

Ineunte statim uere insequentis æstatis Argiui (quando neque legati Bœotiorum, quos illi missuros se dixerant, ueniebant, &

Panactum

Panactum excidi acceperant, separatimq; societatem cum Lacedæmonijs Bœotios coisse) extimuerunt ne soli relinquerentur, cæteris socijs ad Lacedæmonios transeuntibus, opinantes à Lacedæmonijs Bœotios inductos, & Panactum excidisse, & in Atheniensium societatem cōcessisse, ipsis Atheniensibus harum rerum conscijs, cum quibus quoq; iam sibi societatem facere integrū non esset, cùm antea sperassent per causam dissensionis sibi hos socios fore, si fœdera quæ Atheniensibus essent cum Lacedęmonijs, non manerent. Itaq; incerti ob hæc cōsilia, ac timore perculsi, ne sibi bellandum foret cum Lacedæmonijs pariter & Tegeatis & Bœotijs & Atheniensibus, ut qui prius fœdera Lacedęmoniorum non accepissent, sed animum Peloponneso imperandi habuissent, misêre quamprimùm potuêre in Lacedæmoniam legatos, Eustrophum & Æsonem, qui illis amicissimi uidebantur: arbitrantes se, ubi confœderati cum Lacedęmonijs essent, quocunque res caderent, pro conditione præsentium temporum optimè quietem acturos. Eorum legati cùm Lacedæmonem uenissent, sermonem habuerunt, quónam modo fœdera facienda essent, postulantibus ante omnia Argiuis, aut ciuitati cuipiam, aut priuato delegari causam suam de terra Cynuria, de qua semper disceptaretur, in finibus posita, quæ Thyream cōtinet, & urbem Athenam, coliturq; à Lacedæmonijs.

Lacedæmoniorum respōsio. Sed uetantibus mox Lacedęmonijs fieri de illa mentionem, cæterùm si uellent hi ex pristina formula fœdus facere, se ad id paratos esse dicentibus, legati hoc sibi utiq; concedi instabant in pręsentia fœdus fieri annorum quinquaginta: ea tamen lege, ut liceret utrislibet alteros prouocare ad prælium, dummodo neq; morbo neq; bello implicitos: & de hac terra decernere, quemadmodū iterum quondam factum fuisset, cùm se utriq; uictores discessisse putauerunt, sed non insequi ulterius, quàm ad huius uel illius urbis terminos. Hæc à principio Lacedæmonijs uideri stolida. Deinde quia cuperent amicum omnino habere Argos, quæ postulabantur indulsêre, & in scriptum retulêre: iubentes tamen prius, quàm aliquid conficeretur, illos redire Argos, ad hæc demonstrāda plebi: & si ei placita essent, uenire ad Hyacinthia iusiurandum præstituros: & legati quidem abiêre. Interea autem dum Argiui ista tractarent, Lacedæmoniorum legati, Andromedes, Phædimus, & Antimenidas, quibus datum erat negocium recipiendi à Bœotijs Panactum ac captiuos, Atheniensibusq; reddendi, offendunt Panactum ab ipsis Bœotijs dirutum, causantibus quoddam olim inter se atq; Athenienses ex quadam controuersia iusiurādum intercessisse, ne alterutri locum illum incolerent, sed utriq;. Cæterùm quos illi habebant captiuos, receperunt, Atheniensibusq; reddiderunt, referētes Panacti excisionem, ibiq; nullum amplius Atheniensium

niensium hostem habitaturum; per hoc existimãtes & Panactum se tradere. Hæc cùm dicerentur, grauiter sané tulêre Athenienses, iniuriam sibi fieri putantes à Lacedæmonijs, tum ob excisum Panactum, quod stans traditum oportuit, tum quòd audiebant eos cum Bœotijs quoq; societatem fecisse, cùm antea dicerent se cõmuniter adacturos ad cõfœderationem qui recusarent. Hæc atq; alia considerantes, quæ ex pacto seruata non essent, deceptos se existimabant, ut asperé responso reddito legatos remiserint. Cùm esset huiusmodi dissidium inter Lacedæmonios atq; Atheniẽses, ij qui Athenis soluta fœdera cupiebant, protinus hoc efficere instituerunt, cùm alij nonnulli, tum uerò Alcibiades Cliniæ filius, ætate iuuenis, commendatione ille quidem, sed progenitorum sané honoratus, cui satius uidebatur, ad Argiuos potius accedere, neq; ob id modò quod satius uidebatur, uerùm etiam ferocitate spiritus fœderibus erat infestus, quæ per Niciam & Lachetem cõtempta sua adolescẽtia Lacedæmonij fecissent, nec habito sibi honore uetusti iure hospitij, quod ab auo repudiatum, ipse renouatum curauerat officijs, quibus captiuos ex insula fuerat prosecutus. Ex quo prorsus sibi detractum interpretans, ab initio Lacedæmonijs uerbo aduersabatur, affirmans illos inualidos esse, & ea causa cum Atheniensibus fœderata percussisse, ut per hęc ab eis Argiuos abducerent, & rursus Athenienses destitutos adorirentur. At ubi discordia extitit, tunc uerò sine mora ad Argiuos priuatim mittit, iubens quàm celerrimé ad societatem prouocati uenirent cum Mantineis, & Eleis, tanquam opportuno tempore, ut se maximé annixuro. Quo nuncio audito Argiui, simulq; cognito non iniisse cum Bœotijs Athenienses societatem, sed à Lacedæmonijs uehemẽter dissidere, omissis suis legatis, fœdera apud Lacedæmonem tractantibus, ad Athenienses potius mentem aduerterunt, reputantes ciuitatem olim iam sibi amicam, & quæ sub statu populari regeretur, quemadmodũ ipsi, ac magnæ potẽtiæ, præsidio futuram à mari, si ipsis bellũ moueretur. Mittunt itaq; confestim ad Athenienses de societate legatos, comitantibus Eleorum ac Mantineorum legatis. Venit autem properé & Lacedæmoniorum legatio, Philocharidas, Leon, & Endius, qui uidebãtur studiosi esse Atheniensium (timebant enim ne per iracundiam facerẽt Athenienses cum Argiuis societatem) ad reposcendam Pylum in locum Panacti, & ad excusandã societatem cum Bœotijs, non se id malo Atheniensium fecisse. Ii apud concilium de his rebus cùm dicerent, seq; uenisse cum potestate summa de omnibus cõtrouersiis transigendi, Alcibiadem reformidabant, ne si ad populum eadem dicerent, inducerent uulgus, & respueretur societas Argiuorum. Verùm Alcibiades aduersus hos huiusmodi rem machinatur: Suadet

Atheniensium Lacedæmoniorumq; dissidij redintegrati occasio.

Lacedæmoniorum legati per Alcibiadem decipiuntur.

Lacedæmonijs ne palàm faciant populo ſe cum ſumma poteſtatẽ ueniſſe, data eis fide ſi hoc faciant, ſe Pylum illis reſtituturum. Perſuaſurum enim ſe Athenienſibus, quemadmodum nunc cõtradicat: & cætera reconciliaturum. Hæc Alcibiades ideo agebat, ut illos à Nicia alienaret, & ad populum inſectando, tanquam nihil unquam nec ſynceri cogitantes, nec ueri de his rebus loquentes, Athenienſibus Argiuos & Mantineos & Eleos redderet ſocios, ſicut & contigit. Nam legati, cùm ad populum proceſsiſſent, & interrogati negaſſent ſe id quod in ſenatu dixerant, cum abſoluta poteſtate ueniſſe, tum uerò Athenienſes non amplius ſuſtinuerunt, ſed Alcibiadem multò quàm antea uehementiùs in Lacedæmonios uociſerantem audierunt, parati protinus Argiuis introductis & illorum comitibus, inire cum eis ſocietatem. Verùm facto terræmotu, priuſquàm aliquid conſtitueretur, concilium dilatum eſt. Poſtero die coacto concilio, Nicias cum Lacedæmonijs deceptis, de non confitendo ſe ueniſſe præditos poteſtate, & ipſe deceptus affirmabat oportere nihilominus Athenienſes fieri ſocios Lacedæmoniorum potius, & differendo quæ ad Argiuam ſocietatem pertinerent, iterum ad Lacedæmonios mittere ac cognoſcere quid conſilij haberent, dicens honorificam ipſis, deformem illis eſſe belli dilationem. Cum ipſis enim, quandoquidem res eorum bene haberet, præclariſsimè agi præſentem tuendo felicitatem. Illorum uerò, quorum aduerſæ res eſſent, intereſſe ut quamprimùm periclitarentur. Suaſitq́ ut illuc legatos, & ſe inter illos mitterent, iuſſurum Lacedæmonijs, ut ſi quid æqui cogitarent, Panactum incolume redderẽt, Amphipolim & Bœotiorum ſocietatem miſſam facerent, niſi ita pepigiſſent quemadmodum dictum fuerat, ut neutri ſine alteris cum ullo paciſcerentur. Item denunciaturum, ſi uellent iniurij eſſe, ſe potuiſſe iam Argiuos efficere ſocios, quippe qui huius rei gratia adeſſent. Ac ſi quid aliud expoſtulabant, id omne obiecturos legatos cum Nicia miſerunt. Legati ubi peruenerunt, & poſt alia ad extremum dixerunt, niſi ſocietatem Lacedæmonij Bœotiorum dirimerent, qui fœderibus non continerentur, ſe quoque in ſocietatem Argiuos, & qui cum eis eſſent, recepturos: illi negabant ſe Bœotiorum ſocietatem dirempturos, ut ita reſponderent euincente factione Xenaris ephori, ius tamen iurandum Nicia flagitante renouarunt. Verebatur enim Nicias ne omni prorſus infecto negocio diſcederet, inſimulareturq́, id quod & contigit, quod autor fœderum cum Lacedæmonijs fuiſſe uideretur. Sub cuius reditum audientes Atheniẽſes nihil acti è Lacedæmone referri, ſubitò indignati, & ſe iniuria affici putantes, cum Argiuis (aderant enim illi) fœdera ac ſocietatem autore Alcibiade fecerunt his uerbis:

Nicia repugnat Alcibiadi.

Fœdera

Fœdera Athenienſium cum Argiuis Mantineisq; & Eleis ad annos centum.

FOedera fecère Athenienſes in annos cētum, Argiuiq; & Mantinei atque Elei, pro ſe proq; ſocijs quibus utriq; præſunt, ſine dolo ac ſine noxa tam terra quàm mari, ne liceat arma inferre detrimenti cauſa, neq; Argiuos, Mantineos, Eleos, eorumq; ſocios, Athenienſibus: neque rurſus Athenienſes eorumq; ſocios Argiuis, Eleis, Mantineis, illorum'ue ſocijs, ulla uel arte uel machinatione. Ex hac formula ſocietas ſit Athenienſibus, Argiuis, Eleis, & Mantineis annos centum. Si hoſtes terram Athenienſium intrauerint, eò ueniant Argiui auxilio & Elei & Mantinei, ſimulac palàm eis factum erit ab Athenienſibus, pro ſuis uiribus quàm ualidiſſimè poterunt. Si ijdem hoſtes eandē terram depopulati abierint, pro hoſtili ſit ea ciuitas Argiuis, Mantineis, Eleis, Athenienſibus, maloq; afficiatur à cunctis his ciuitatibus: nulliq; ipſarū fas ſit bellum, quod erit aduerſus illam ciuitatem, ſoluere, niſi id omnibus uideatur. Itemq; Athenienſes auxilium ferant Argos, Mātineam, Elim, ſi hoſtis inuaſerit terram Argiuorum, Eleorum, Mantineorum, ſimulac palàm eis factum erit ab his ciuitatibus, pro ſuis uiribus quàm ualidiſſimè poterunt. Si hoſtis terram depopulatus abſceſſerit, ea ciuitas pro hoſtili ſit Atheniēſibus, Argiuis, Mātineis, & Eleis, ab hiſq; omnibus ciuitatibus malo afficiatur: nec fas ſit ſoluere bellū aduerſus eam ciuitatem, niſi id omnibus ipſis uideatur, neq; ſinere per ſuam terrā ſociorum'ue quibus ſinguli pręſunt, aut per mare armatos tranſire inferēdi belli gratia, niſi cōmuni decreto harum ciuitatū, Athenienſis, Argiuę, Mantineæ, Eleæ, de tranſeundo. Ciuitas autem quæ accerſerit, opem ferentibus cōmeatum præſtet ad dies triginta, ex eo die quo in eam urbem auxilia accerſita intrauerint, & item abeuntibus. Eadem ſi diutiùs uti exercitu accito uelit, ſtipendium det ternos quotidie obolos Æginæas ſingulis grauis ac leuis armaturæ militibus, atq; ſagittarijs. Equiti autem ſingulas drachmas Æginæas, ipſaq; imperiū ſuper exercitum teneat, quandiu illic bellū erit. Si quo tamen uniuerſis ciuitatibus uideatur communiter in expeditionem eundum, participet imperium eis omnibus. Hæc fœdera Athenienſes pro ſeipſis proq; ſocijs iurēt, Argiui & Mantinei & Elei & eorum ſocij per ſuas quiq; ciuitates. Iurent autem proprium quiq; iuſiurandum, quod maximum eſt, apud templa auguſta, in hæc uerba:

STabo in ſocietate conuenta iuſtè & innocenter, & ſimpliciter, neq; tranſgrediar ulla neq; arte, neq; machinatione. *Iuſiurandū fœderatorum.* Iurēt item Athenis ſenatus ac tribuni plebis, idq; iuſiurandum confirment quæſtores. Apud Argos iurent ſenatus & octoginta uiri. Apud Mantineam iurent opifices ſenatusq;, ac cæteri magiſtratus, con-

firment uates, ac belli duces: In Elide opifices quæstoresq; ærarij & sexaginta uiri, cõfirment opifices, legumq; custodes. Renouent quoq; quotãnis iusiurandum Athenieñses quidem eundo in Elim, Mantineam, Argos triginta diebus ante Olympia. Argiui uerò, Mantinci, Elei eundo Athenas decem diebus ante magna Panathenæa. Describant quoq; placita hæc fœderalia ac socialia cum iu reiurando lapideo titulo: Athenienses quidem in urbe, Argiui uerò in foro apud delubrum Apollinis. Mãtinei autem in foro item & apud Iouis delubrum. Communiter uerò ponant ludis Olympiacis æneum titulum ijs quæ nunc sunt Olympijs. Quòd si quid uideatur esse satius his ciuitatibus addi ad cõuenta, quicquid cunctis cõmuniter uidebitur, id ratum sit. Et fœdera quidẽ atq; societates hunc in modum sunt initæ, neque tamen quæ inter Lacedæmonios atq; Athenienses erant, ob has abolitæ sunt, neq; ob alias. Ceterùm Corinthij Argiuorum socij eas admittere noluerunt, ac ne ratam quidem iureiurando habere iam initam cum Eleis & Argiuis & Mantineis societatem, de bellando deq; pacificando cum eisdem hostibus, quòd dicerent sufficere sibi superiorem conuentionem de auxilio inuicem præstando lacessitis bello, non autem bello lacessentibus. Ita Corinthij à societate recesserunt, rursusq; cũ Lacedæmonijs senserunt. Atq; hac æstate Olympia extiterunt, in quibus Androsthenes Arcas in Pancratij certamine primã palmam retulit, & Lacedæmonijs Elei interdixêre templo ne sacrificarent, certarent ue, nec intentato crimine illis per iudicium, ut ius Olympiacum postulabat, eos cõdemnarũt, dicentes arma illos in Phyrcum murum inferre, & armatos in suum Lepreũ, dum Olympiacum fœdus esset, dimittere. Mulcta autem erãt duo millia mnarum, in singulos armatorũ binæ, quemadmodum lege cõtinetur. His Lacedæmonij missa legatione contradicebant, negantes iustè se condemnatos, nondũ palàm facto apud Lacedæmonem fœdere, quando ipsi in Lepreum miserunt armatos: Elei inducias dicere iam apud ipsos esse, quippe qui ipsis primis denũciarent, & se quiescentibus, nec id expectantibus, utpote cùm essent fœdera, illos clàm iniuriam fecisse. Lacedęmonij excipiunt, nihil iam opus esse ut id renunciẽt Lacedæmonem, si quidem eos iam sontes esse existimant Elei. Verùm Lacedæmonios non ita ut existimentur, illud fecisse, nec adhuc ulla usquam arma importasse. At Elei in eodem sermone perseuerant: quin Lacedęmonij sontes sint, sibi non posse persuaderi. Cæterùm si sibi uelint Lepreum reddere, se illis remittere suam partem pecuniæ, & quod deo debeatur, id se pro illis soluturos esse. Illis hæc non audientibus, rursus postulare, Lepreum quidem si nollent, non restituerent, uerùm ascenderent ad Iouis Olympij aram, quandoquidem templo uti exoptarẽt, ut

coram

coram Gręcis iusiurandũ præstarent, postmodũ utiq; mulctam soluturos. Ne hanc quidem conditionẽ accipientes Lacedæmonij, prohibiti sunt ab immolatione apud templũ, atq; à certaminibus, domiq; sacrificarũt. Ludos spectauêre cęteri Græci, pręter Lepreates: ueriti tamen Elei ne per uim Lacedæmonij sacrificarẽt, armata iuuentute excubias habuêre. Ad quos accesserũt Argiui pariter & Mãtinei, ex utrisq; milleni, & Atheniẽsiũ equites, qui apud Argos diem festũ præstolabantur. Omnẽ autem illam frequentiã ingens perculit terror, ne Lacedæmonij cum armatis uenirent, præsertim posteaquàm Lichas Arcesilai filius, Lacedæmonius uirgis à lictoribus cęsus fuit in loco certaminis, quia cũ eius biga uicisset, ideoq; publica Bœotiorũ secundum certaminis potestatem pronũciata fuisset, ipse progressus in locũ ludorum, Lacedæmonijs interdictum, coronasset aurigam, auidus indicandi suum currum fuisse. Quo magis perterriti sunt omnes, suspicatiq; aliquid noui fore. Lacedæmonij tamen quieuêre, atq; ita eis ludorũ die successit. Secundum Olympia Argiui atq; socij Corinthũ iuêre, oratum illos, ut ad se transirent. Aderãt autem Lacedęmoniorum legati, & cùm multi sermones habiti essent, ad postremũ nihil est actũ, sed facto terræmotu digressum in suam cuiusq; urbem. Æstasq; excessit.

Lichas uirgis cęsus.

Ineunte hyeme pugnauêre Heraclienses, qui sunt in Thrachine, cum Ænianibus, & Dolopibus, & Meliẽsibus, atq; aliquot Thessalis. Nam hæ circa gentes illis hostes erant, quod non aduersus alias quàm aduersus se ea urbs condita esset. Ideoq; statim ab ipsa condita infestæ ei fuerunt, quoad poterant ad perniciem illius incumbentes, & in ea tunc pugna superiores extitêre, cum alijs Heracliensibus, tum uerò Xenare Cnidio Lacedæmonio illorum duce interfecto. Et hyems pariterq; duodecimus belli annus exijt.

Xenaris cædes

Principio statim insequentis æstatis, Heracleam post prælium grauiter affectam accepêre Bœotij, Hegesippida Lacedæmonio, tanquam non bene gubernãte, eiecto: ueriti ne Lacedæmonijs in Peloponneso tumultuantibus occuparent Athenienses locũ: qua ex re Lacedæmonij in illos irati fuerũt. Eadem æstate Alcibiades Cliniæ filius Atheniẽsium dux, adiutoribus Argiuis ac socijs profectus in Peloponnesum cum paucis Atheniensium armatis ac sagittarijs, & quos illinc sumpserãt socijs, coq; exercitu Peloponnesum pertransiens, cùm alia quæ ad societatem pertinẽt, constituit, tum ut muri Patreæ ad mare demolirentur persuasit, habẽs ipse in animo alios extruere in iugo Achaico: sed accurrentibus Corinthijs Sicyonijsq;, quibus obfuturi erãt illi extructi, prohibitus est.

Decimitertij anni initium.

Eadem æstate bellum extitit inter Epidaurios atq; Argiuos, titulo quidem hostiæ, quam ad Apollinem Pythiũ Epidaurij cùm adducere debuissent pascuorũ nomine, non miserãt, cuius templi

Epidauriorum cum Argiuis bellum.

maximum arbitriũ erat penes Argiuos. Veruntamen nulla subsistẽte causa, uisum ipsis atq; Alcibiadi, Epidaurũ si possent, occupare, tum ut à Corintho securi essent, tum ut ab Ægina breuior ad auxilium traiectus foret, quàm ex Athenis Scyllæo circuito. Itaq; Argiui sese præparabant tanquã ipsi aduersus Epidaurum ad exigendam hostiã exituri. Eduxerunt autem per eadẽ tempora & Lacedęmonij omnem populũ in Leuctra, quæ sunt in eorũ confinijs aduersus Lycæum, duce Agide Archidami filio rege suo, nemine quò tenderent sciente, ne ipsis quidem ciuitatibus, unde uiri in militiam mittebãtur. Sed quia sacrificãtes pro transitu litare non potuerunt, domum rediêre, edicentes socijs, ut post insequentẽ mensem (erat autem tum Maius, in quo stata sacra apud Dores sunt) se præpararent tanquã in militiam exituri. Illis digressis Argiui ante quartum diem Calendarũ Iunij egressi, & eo die quãtus fuit itinere facto, ingressi sunt Epidaurium agrum, ac depopulati. Ipsisq; Epidaurijs socios implorantibus, partim illorum mensem causabantur, partim usq; ad confinia Epidauriæ progressi, quietem egerunt. Atq; quo tempore Argiui in Epidauro fuerunt, legationes sociorum Mantineam uentitarunt, ab Atheniensibus excitæ. Et quum in colloquium uentum est, Ephamidas Corinthios negare congruere uerba cum rebus. Nam ipsos quidem de pace transigere: Epidaurios autẽ ac socios cum armis aduersus Argiuos in acie stare: oportere ergo primùm missos facere exercitus, qui utrinque uenerunt, atq; ita rursus loqui de pace. Id probãtes Atheniensium legati abierunt, Argiuosq; ex Epidauria abduxerũt. Et cùm pòstmodum reuersi eòdem, cõuenire non possent, reditum est ab Argiuis iterum in Epidauriam, populatioq; facta. Exierunt quoq; Lacedęmonij aduersus Caryas. Et cùm ne hîc quidem de progressu sacrificantes litarent, rediêre. Argiui tertia ferè Epidauriæ parte uastata, domum regressi sunt. Quibus præsidio fuerant mille armati Atheniensium, Alcibiade duce, cognito Lacedæmonios in expeditionem exisse. Hæc manus, ubi ea amplius non fuit, discessit, atque ita æstas exacta est.

Initio hyemis Lacedæmonij clàm Atheniensibus præsidiũ trecentorum militum, Agesippida pręfecto, ad Epidaurum mari summiserunt, propter quod Argiui Athenas uenerũt, expostulatum quòd cùm in fœderibus scriptũ esset, ut neutri per ea, quę suę ditionis essent, sinerẽt transire hostẽ, Athenienses suo mari dimisissent Lacedæmonios trãsire, dixeruntq; nisi Athenienses uicissim Messenios ac seruitia in Pylũ transportarẽt, iniurios fore. Illi autore Alcibiade, Laconico lapidi titulari subscripsêre Lacedęmonios peierasse, & seruitia è cranijs ad latrocinandũ in Pylũ trãsportauêre, cætera quiescẽtes. Per hãc hyemẽ cùm inter Argiuos atq; Epidaurios bellaretur,

bellaretur, nullum iustū præliū extitit, sed ex insidijs incursiones, ubi ex alterutris prout cōtingebat, nōnulli cadebant. Atq; extremò hyemis iam uergentis in uer, Argiui sumptis scalis tendūt Epidaurum, tāquam desertam propter bellū expugnaturi, sed infecto rediêre negocio, hyemsq; & tertiusdecimus annus belli excessit.

Decimiquarti anni initium.

Insequentis æstatis medio Lacedæmonij, quum Epidaurij uexarentur, & in Pelopōneso alia à se loca deficerēt, alia male cogitarent, opinantes nisi præoccuparent, protinus rem in deterius progressurā, uniuersi aduersus Argos eunt, ipsi atq; seruitia duce rege suo Agide Archidami filio, comitātibus eos Tegeatis, & quicūq; alij Arcades erāt Lacedæmoniorū socij. Nam ex cætera Pelopōneso socij, & qui extra illā erant, ad Phaliuntē cogebantur, Bœotiorū quinq; millia cum iustis armis: totidē leuis armaturæ, & quingenti equites, ac totidem sine equis, Corinthiorū duo millia armata, aliorum pro sua cuiusq; copia numerus: Phliasiorum uerò, quia in ipsorum agro exercitus erant, uniuersa adfuit manus. Argiui, tunc primùm præscito Lacedæmoniorū apparatu, cùm illi in Phliuntē tenderēt ad se cum alijs coniungendū, tunc ipsi cum exercitu prodiêre, accedentibus auxilio Mantineis, socios suos habentibus, & tribus millibus Eleorum armatis, & progresi Lacedæmonijs occurrunt apud Methydrium Arcadiæ: & utrisq; in collem acceptis, Argiui quidem ad pugnā sese præparabant, tanquā destituto socijs hoste: Agis autem sub noctem mouens, clàm in Phliuntē contendit ad socios. Quo Argiui cognito, ipso statim diluculo abeūt, primùm Argos, mox quà expectabant Lacedęmonios cum socijs, in uiā quæ fert in Nemeam, descensuros. Verùm Agis non id, ubi isti expectabant, iter tenuit, sed aliud asperius, denunciata re Lacedęmonijs & Arcadibus Epidaurijsq;, & in campū Argiuorum descendit. Corinthij quoq; Pellensesq; ac Phliasii diuerso itinere matutini perrexêre. Bœotijs autem Megarēsibusq; ac Sicyonijs præceptum erat, ut uia quæ ducit ad Nemeam descenderent, quà Argiui insidebāt: ut si illi ad arcendā uim Lacedæmoniorum in plana properarent, ipsi eos insecuti equitatu uterētur. Ita instructa re ingressus plana Agis Saminthū ac cætera populabatur. Quo Argiui cognito, iam luce ad subueniendum suis rebus è Nemea pergunt, & Nacti Phliasiorum Corinthiorumq; exercitū, aliquot ex Phliasiis obtruncant. Sed ex ipsis haud multò plures à Corinthijs obtruncantur. Et Bœotij Megarensesq; ac Sicyonij perrexerūt ut erat sibi præceptū, ad Nemeam, nec iam Argiuos adepti sunt. Illi ubi descenderant, conspicati sua uastari, ad pugnam sese expediebāt, & inuicem è regione Lacedæmonij. Cæterum Argiui circunuenti erāt à Lacedæmonijs & qui cum ipsis erāt, eos ex parte cāporū secludētibus ab urbe, è superiore parte Corinthijs, Phliasiis, ac

Argiuorū cum Lacedæmonijs pacta.

Pellensibus, ex Nemea Bœotijs, Sicyonijs, ac Megarēsibus. Equi autem Argiuis præstò non erant. Soli nanq; ex socijs Atheniēses nondum aduenerant. Neq; uerò Argiuus socialisq; exercitus tam atrocem sibi conditionē adesse opinabatur, sed Lacedæmonios à se in sua terra & ante suam urbem deprehensos, eoq; se pugnā pulchrè cōmissurum. Iamq; utroq; exercitu tantùm non concurrente, progressi duo ex Argiuis, Thrasylus è quinq; ducibus unus, & Alciphron hospes Lacedæmoniorum, cum Agide colloquuti sunt, ne prælium fieret. Paratos enim Argiuos iudicio stare, si quid in simultatibus Lacedæmonijs deberent, & illi inuicem ipsis, & in posterum ictis fœderibus pacem acturos. Hæc ex seipsis Argiui isti iniussu multitudinis cùm dixissent, obtemperās Agis, ne ipse quidem frequentia suorum in consiliū adhibita, sed uno tantùm quæstore, qui in ea sibi comes expeditione erat, pepigit quatuor menses, intra quos deberēt ea cōficere quæ dixissent: exercitumq; confestim abduxit, cum nullo aliorum sociorū locutus. Eum Lacedæmonij socijq; ut ducebat secuti quidem sunt legis causa, sed inter se tamen magnopere incusabant, quòd cùm opportunè cecidisset ut possent cum hoste confligere, undiq; concluso ab equitatu peditatuq;, discederent, nulla gesta re illo apparatu digna. Etenim pulcherrimus ad eam diem ille Græcorum exercitus conuenerat, maximè conspicuus, quoad in Nemea habuit statiua, ubi omnes Lacedæmoniorum copiæ adfuerūt, & Arcades, & Bœotij, & Corinthij, & Sicyonij, & Pellenses, & Phliasii, & Megarenses, & hi inter suos quiq; electi iudicatiq; pares, non modò ad pugnandum cum Argiuis eorumq; socijs, sed etiam cum altero tanto si accederet cōpiarū. Qui exercitus ita succensens Agidi abijt, in suam unoquoq; domum dilapso. Sed multò succensebant magis Argiui ijs qui iniussu suo pepigerant, rati nunquam à se cōmodiorem Lacedæmonijs præbitam effugiendi opportunitatem, quoniā ipsi cum multis atq; egregijs socijs ante urbem essent contra illos dimicaturi. Itaq; reuersi apud Charadrū, quo in loco antequàm è militia urbem introeant de causis militaribus iudicant, Thrasylum lapidare cœperunt. Is ad aram confugiens mortem deuitauit. Eius tamen pecuniam publicauerūt. Postea superuenientibus mille armatis Atheniensium, ac trecentis equitibus, Lachete ac Nicostrato ducibus, ut abirent iusserunt. Pacta enim cum Lacedæmonijs qualiacunq;, tamen soluere pigebat, nec eos ad populum respondere uolentes produxerūt, priusquàm Mantinei & Elei (nam ij adhuc aderant) id precibus extorserunt. Introducti illi apud Argiuos ac socios coram Alcibiade legato hæc dixêre: Non rectè fœdera sine socijs cæteris ne nūc quidē fieri, se enim tempore præstò esse, iniri oportere bellū. Deniq; cū socios oratione persuasissent, confestim aduersus

Orcho-

Orchomenum Arcadicum omnes cōtenderunt, præter Argiuos. Nam ij etsi persuasi, tamen restabāt, mox deinde & ipsi uenerunt. Vniuersiq; obsidentes Orchomenum oppugnabāt, ac machinas ad muros quatiendos faciebant, cupidi expugnandæ urbis, cùm propter alia, tum uerò quòd ibi obsides ex Arcadia erāt à Lacedæmonijs positi. Orchomenij fragilitati murorum diffisi, utiq; aduersus tot hostiū copias, ueriti ne prius expugnarētur, quàm sibi subueniretur, pepigêre cū hostibus societatē, datis obsidibus ex suorū numero Mantineis, ac traditis quos ibi Lacedæmonij deposuissent. Recepto iam Orchomeno deliberabant socij, quorsum deinceps potissimùm ire oporteret. Elei iubebant iri in Lepreū, Mantinei in Tegeam, & ad hos accedentibus Argiuis atq; Atheniensibus, indignati Elei quòd non decretū esset ut in Lepreum iretur, domum rediêre. Cæteri socij apud Mantineam tāquam aduersus Tegeam ituri se præparabāt, euocati à quibusdā ex ipsa urbe Tegeatibus, operā nauaturis ad ipsam urbem dedendā Lacedæmonij, postea quàm ab Argo regressi sunt, initis in quatuor mēses fœderibus, Agidem uehementer inculpabant, quòd secum rem non cōmunicasset in tanta cum Argiuis opportunitate benè pugnandi, quanta nunquam antea, & maiore ipsorū opinione. Non enim facile factu esse tot ac tales socios cōtrahere. Vbi autem de Orchomeno capto allatus est nuncius, multo uehemētius indignati, protinus præ iracūdia deliberabāt prẹter morem suum de domo eius diruenda, & ipso centum millibus drachmarū mulctando. Ille deprecari eos, ne id rei agerent: bono enim se opere delicta sua repurgaturum, aut ducendo exercitum, aut faciēdo tunc erga illos quid uellent. Illi ab irroganda quidem mulcta, atq; à diruendis ædibus, abstinuerunt: Legem tamen è uestigio, quæ nunquam antea fuisset, tulerunt, Decem nanq; uiros Spartiatas ei consiliarios allegerunt, sine quibus ipsi nōn liceret educere ex urbe exercitū. Interea nuncius ex Tegea à necessarijs affertur, nisi celeriter adsint, Tegeā ab ipsis ad Argiuos eorumq; socios defecturam, tātumq; non defecisse. Ibi Lacedęmoniorum auxilia, liberi omnes pariter & serui, quanta nunquā cum festinatione comparata sunt, cōtuleruntq; se in Orestium Mænaliæ, & suarum partiū Arcadibus prẹceperunt, ut in Tegeam per sua uestigia frequentes irent. Ipsi cùm in Orestium uniuersi uenissent, remissa illinc quinta sui parte domum, ubi senes ac pueri erant, ad res domesticas tuendas, reliquo cum exercitu in Tegeam præueniunt: & cùm haud multò pòst socij ex Arcadia affuissent, miserunt Corinthum & ad Bœotios, & Phocenses, & Locros, iubentes ut properè in Mantineā succurrerent. Erant autem quibus è propinquo ueniendum esset, sed non facilè nisi frequentibus, & se inuicem præstolantibus, ad hostilē terram transeundam.

Orchomenus deditur.

Agidis mulcta.

transeundam. nam ea media intercludebātur, nihilo tamen minus ire properabant. Lacedæmonij assumptis qui aderant Arcadibus socijs, in agrum Mantinicum incurrerunt, cumq; castris ante Herculis templum positis depopulabantur. Hos ubi resciuêre Argiui ac socij, loco munito, & accessu difficili occupato, ueluti ad pugnā sese instruxerūt. Quibus sine mora obuiam à Lacedęmonijs itum est: & cùm ad lapidis aut iaculi iactū processum esset, ibi è senioribus quidā ad Agidem exclamat, cernens suos aduersus locum arduum tendentes.

Malum male sanare putat.

Agis malum malo sanare cogitat: significans uidelicet illum uelle culpatam ex Argo reuersionem præsente haud opportuna strenuitate emēdare. Ille siue ob illam exclamationem, siue quòd sibi aliud uideretur, è uestigio copias rursus, priusquàm manus consererent, celeriter abduxit: & ubi ad Tegeā peruenit, aquam in agrum Mantinicum diuertit, de qua aqua Mantinei & Tegeatæ inter se belligerantur, ut pleraque uastante, in utros agros inciderit.

De aqua belligeratio.

Volebant autem Argiuos ac socios rebus suis subuenientes è colle abducere, ad emissarium aquæ, ubi hostem esse audissent, & in plano prælium facere, atq; in emittenda aqua eum illic diem perstitit. Argiui uerò ac socij primò stupefacti repentina illorum è propinquo abitione, non habebant quid conjectarent. Deinde postea quàm ijdem digressi sese abdiderunt, & ipsi non insequendo eos quieuerunt, tunc protinus duces suos insimulabant, quòd & prius opportunè deprehēsos ante Argos dimisissent Lacedæmonios, & nunc fugę se dātes nemo esset insecutus, sed per ocium illi liberati, ipsi proditi forent. Qua insectatione duces primò turbati sunt, mox abductis à tumulo copijs, progressiq; in planum castra posuerunt, tanquam in hostem ituri, ac postero die aciem instruūt, ueluti pugnaturi cum hoste, si eum adipiscerentur.

Lacedæmoniorum error.

Hos Lacedæmonij ab aqua rursus ad Herculis templū in eadem castra redeuntes, conspiciunt ex aduerso uniuersos iam cominus è tumulo progressos. Ex qua re tanto sunt timore perculsi, quanto nunquam ex omni memoria fuêre. Quippe quibus breue momentum dabatur ad se instruendos, sed statim accelerando in suo quisque loco constiterunt, Agide omnia ducis munera obeunte, ut lex iubet (rege enim duce cuncta eius imperio subsunt) & secundis à se ducibus quę fieri oporteret mandante, & illi deinceps tribunis, tribuniq; centurionibus, rursus cēturiones decanis: atq; hunc in modum si quid desideratur mandari, celeriter denunciatur.

Lex de bellicis muneribus.

Ferè enim in toto Lacedęmoniorum exercitu, exceptis paucis, duces ducum sunt, & rerum agendarū diligētia multis incumbit. Tunc autem in sinistro cornu Sciritæ soli cōstiterunt, hunc ordinem semper Lacedæmoniorū sibi habentes. Iuxta hos è Thracia reuersi milites Brasidani, cum ijs qui proximè ciuitate donati fuerant:

Ordo Lacedæmonij exercitus & Argiui.

fuerant: secundum hos iam ipsi Lacedæmonij gradatim per agmina: iuxta eos Arcades Heræes, post hos Mænalij, in dextro cornu Tegeatæ, paucis Lacedæmoniorum extrema tenentibus, & pro cornibus equitatu. Atq; hoc ordine Lacedæmonij instructi erant. Hostium cornu dextrum Mantinei tenebant, quia in ipsorum terra res agebatur. Iuxta hos erant ex Arcadia socij, tum mille ex Argiuis delecti, quibus ob diuturnum rei militaris usum, ciuitas è publico stipendium prębebat. Prope hos cæteri Argiui: post eos sui socij Cleonæi, & Orneatæ. postea Athenienses ultimi sinistrũ cornu tenebant cum equitatu domestico. Atq; hic ordo & hæ copiæ utrorunq; erant: Sed Lacedæmoniorum exercitus specie maior. Verùm quantus numerus horum & item illorũ, uel quantus uniuersorũ extiterit, scribere equidẽ nequeo. Nam Lacedæmoniorũ numerus propter domesticũ silentij institutũ ignorabatur. Horũ autẽ propter strepitũ sua cuiusq; iactantiũ agmina credibilis non erat. Hinc tamen ratiocinando Lacedęmoniorũ qui tunc aduenis numerũ licet inire, quod agmina septem pugnauerunt, præter Sciritas qui fuêre sexcenti. singula ex quinis cẽturijs, & singulæ centuriæ ex binis manipulis. Cuius in prima parte quaterni uiri pugnabant. Neq; ubiq; densitas collocatorũ in acie perequa erat, sed pro arbitrio cuiusq; in suo agmine pręfecti. Octonis ferè ubiq; hominibus densa acie, in longũ autẽ fronte prætensa, præter Sciritas quadringentos, & duodequinquaginta. Atq; ubi iam cõfligendum erat, ibi apud singulos populos à proprijs ducibus exhortationes fiebant. Apud Mantineos quidem rem esse pro patria, pro seruitute, ne illam experirẽtur amplius: pro imperio, ut id inexpertum sibi prærip erẽt hostibus Apud Argiuos autem pro pristino principatu & æquali in Peloponneso dignitate, ne se perpetuò priuatos, néue inultas iniurias, quas sæpe ab inimicis eisdemq; uicinis accepissent, ferrent. Apud Athenienses uerò pulchrũ esse inter frequentes atq; egregios socios pugnando nullis existere inferiores: si Lacedæmonios in Peloponneso uincerent, suum imperium & stabilius & maius habituros, ut terram suam nunquam quispiam alius inuaderet. Et Argiuis quidem atq; eorum socijs talia proponebantur. Lacedæmonij autem per seipsos, & ex militari disciplina cùm essent strenui, recolentes animo quæ norãt, se exhortabantur, gnari diutinam operum meditationem magis salutiferã esse, quàm breuem uerborum benè dictorum exhortationem. Atque post hæc concursum est, Argiuis socijsq; uehementer & iratè tendentibus. Lacedęmonijs autem cunctanter & ad cantũ tibicinum, qui inter ipsos multi ex lege interpositi erãt, non religionis gratia, sed ut sedatè per modulationẽ incederẽt, néue agminis ordo perturbaretur, id quod in cõcursu magnorũ exercituũ solet accidere.

Lacedæmoniorum ad tibicinum cãtum ingressus ad prælia.

Cùm

Cùm adhuc in congreſſum pergeretur, Agis rex id facere conſtituerat quod in omni acie factitatur: Quoties duæ cõfligunt acies, dextrum utriuſq; cornu magis exporrigitur, & oppoſito ſibi ſiniſtro ſe circumagit, quia dum timet quiſq; nudas ſui partes proferre, plerunq; ſe ſcuto illius admouet, qui ſibi dexter eſt, exiſtimans ad præcludendũ hoſtis tranſitum denſitatem maximè tutam eſſe. Cuius rei caput eſt is qui primus in dextro ſtat cornu, aſsiduè laborans nudam ſui partem ab hoſte ſubducere. Atq; eodem timore cæteri ſequũtur: Et tunc quidem Mantinei multum Sciritatum cornu ſuperabant: ſed multò magis Lacedæmonij atq; Tegeatæ, Athenienſium, quo plures erant, Agis ne ſiniſtrum ſuorum cornu concluderetur metuens, ratus multò ſuperiores eſſe Mantineos, ſignum dedit Sciritis ac Braſidianis, ut ſe exporrigendo longius à ſuis, æquarẽt Mantineis, & ſimul nunciat duabus è dextro cornu cohortibus, quibus præerãt Hipponoides & Ariſtocles tribuni, ut illuc accedant, & congreſsi uacua illa loca expleant, opinans & dextrum ſuorum cornu ſic quoq; abundaturum, & ſiniſtrũ Mantineis oppoſitum firmius perſtiturum. Cõtigit autem ex ipſo concurſu, tum ex breui momento exequendi præcepti ut Ariſtocles & Hipponides adire noluerint (quo nomine poſtea ex Sparta eiecti ſunt, pro ignauis habiti) utq; hoſtes ſe illis applicare occuparint, & Sciritæ, Agide eos iubente, quandoquidem cohortes non accederent, ut rurſus coirẽt, id iam facere nequiuerint, nec hoſtem concludere. Sed uidelicet tunc Lacedæmonij in omnibus peritia inferiores, uirtute non minus ſuperiores ſe oſtenderunt. Nam ubi ad manus cum hoſte uenerunt Mantinei, quod erat dextrum cornu, in fugam uertit illorum Sciritas ac Braſidianos, ijdemq; cum ſocijs & Argiuorum mille delectis per uacua & non commiſſa ordinum perrumpentes, cecidêre Lacedæmonios, concluſosq; uerterunt in fugam: & repulſis ad plauſtra uſq;, ibi aliquot ſeniorum pro plauſtris inſtructos intercremerunt. Atq; hac in parte ſuperati ſunt Lacedæmonij. At in alia, prçcipuè in medio, ubi agebat Agis rex, & circa eum trecenti, qui equites uocantur, impreſsione facta in ſeniores Argiuorum, eosq; quicunq; cohortes nominantur, & in Cleonæas & in Orneatas, & qui in ordinibus erant Athenienſes, loco pellunt, pleroſq; ne ſuſtinentes quidem conſerere manus, ſed ſtatim ad impetum Lacedæmoniorũ cedentes, nonnulli etiam conculcati ſunt, prærepto ad fugam ocio. Poſteaquàm hinc ab Argiuis ac ſocijs data ſunt terga, tunc uerò eorum acies utrinque perfracta eſt, & ſimul dextrum Lacedæmoniorum cornu ac Tegeatarum, ſuperante copia ſuorum, circuibat Athenienſes ancipiti circunuentos periculo, quod hinc concludebantur, illinc iam uincebantur. Et ad ſummã ibi peruentũ eſſet perniciem, niſi & equites

Equitum apud Lacedæmonios quinque cohortes.

qui aderant,

qui aderant, ipsis auxilio fuissent. Et contigit ut Agis, cognito sinistrum suorum cornu laborare, quod erat Mantineis & mille Argiuorum delectis oppositũ, præciperet uniuersi copijs tendere ad cornu quod uincebatur: & hoc facto Athenienses inter ea abscessũ declinantis à se hostis, per ociũ cum ijs Argiuis, qui unà uicti erãt, euaderent. Mantineis & Argiuorum mille delectis non amplius inerat animus instandi sibi oppositis, sed cernentes & suos profligatos, & Lacedæmonios in se ingruentes, fugã capessunt. Ex quibus Mantineorum plures cęsi sunt, Argiuorum electorum plerique euasêre, & si fuga atque abitione neque effusâ admodum neque pertinaci. Siquidem Lacedæmonij diu atque acriter pugnant, dum hostẽ in fugam uertũt. Fugatos autem breui, & non usque persequuntur. Et talis quidem, & ad hũc maximè modũ, pugna fuit, quæ quidem à lõgissimo tempore maxima inter Græcos extitit, & à potẽtissimis ciuitatibus conserta. Lacedæmonij cadauera hostiũ primùm quidem armis, ex quibus trophæũ statuerunt, deinde cætero ornatũ spoliauêre, postremò repetentibus ex fœdere reddidêre, suorũ uerò recepta in Tegeam cõportauêre, ibique humauêre. Occubuerũt autem ex Argiuis, & Orneatis, & Cleonæis septingẽti: ex Mantinæis ducenti, totidem ex Atheniensibus cum Æginetis, & eorum uterque dux. Lacedæmoniorum socij haud ita multum accepêre cladis, ut memoratu sit dignũ, ex ipsis quot desiderati sint, arduũ est uerũ dicere, eos tamẽ circiter trecentos dicebant fuisse. Cùm in eo res esset, ut pugna iam foret committẽda, Plistoanax regum alter ducens seniores auxilio adolescentesque ueniebat, sed Tegeã tenus progressus, audita illic uictoria retrò redijt. Iidem auxilia è Corintho & ab alijs extra Isthmum socijs uenientia per nuncios remiserunt, dimissisque socijs reuersi (aderant enim eis) Carnea diem festum egerunt. Ita infamiam, quæ tunc per Græcos passim ferebatur, ut de ignauis propter calamitatem in insula acceptam, & alias ut de inconsultis ac segnibus hoc uno facto diluerũt, existimatique sunt fortunæ iniquitate afflicti, cùm animo ijdem essent. Contigit autem ut pridie quàm prælium fieret, Epidaurij cum omni manu suorum in agrum Argiuum tanquam desertum incurrerent, & reliquos custodes, egressis Argiuis, multos occiderent. Tria quoque Eleorum millia, qui auxilio Mantineis superuenerunt gesto iam prælio, & Atheniensium mille præter alios priores, sine mora pariter omnes hi socij aduersus Epidaurum contenderunt, dum Lacedæmonij Carnea celebrarent, expugnatamque urbem muro excinxerunt. Et ubi alij quieuerunt, Athenienses, ut iussi erant, confestim arcem Iunonis templum extruxerunt. Atque in hoc muro communiter relicto præsidio in suam urbem abierunt. Æstasque excessit.

Carnea dies festus Lacedæmoniorum.

Initio statim insequentis hyemis, Lacedæmonij posteaquàm Carnea peregerant, in expeditionem exierunt, & in Tegeam cùm uenissent, ultrò miserunt Argos, qui sermonem instituerent de pacíscendo. Erant autem apud Argos íampridem nonnulli & illorum necessarij, & studiosi statum popularem abolendi, & post gestum prælium multò ualidiores ad inducendū plures in sentētiam suam. Hi uolebant fœdera quæ cum Lacedæmonijs inierant inire rursus, & mox etiam societatem, atq; ita iam populū aggredi. Missus est autem eo quòd hospes eorum esset, Lichas Arcesilai filius, duo percontaturus: unum, quónam modo bellum, si bellum: alterum quónam modo pacem, si pacem uellēt. Et cùm magna extitisset altercatio (aderat nanq; Alcibiades) ij qui Lacedæmoniorum studiosi erāt, iam libera audacia persuaserunt Argiuis, ut mentionem conuentionis admitterent, cuius uerba hæc sunt:

Conuenta inter Lacedæmonios & Argiuos.

PLacet in hunc modū cōsilio Lacedęmoniorū pacisci cum Argiuis, ut reddāt Argiui Orchomenijs liberos, & uiros Mænalijs, & uiros qui sunt Mantineæ, Lacedęmonijs, utq; ex Epidauro præsidiū educant, & murū excidant: & nisi illinc decesserint Athenienses, pro hostibus sint tam Argiuis quàm Lacedæmonijs, & utrorūq; socijs. Et si quem puerū Lacedęmonij penes se habēt, eum suæ ciuitati restituāt. Qui exigunt ab Epidauris iusiurandū, id exigant per Semelem, & inuicē ipsi iusiurandū illis prębeāt. Ciuitates intra Peloponnesum paruæ magnæ'ue liberæ sint, utentes patrijs institutis. Si quis exterorū terram Pelopōnensem ingressus sit nocendi ergô, succurratur pariter cōsilio habito quā æquissimè Pelo ponnensiū iudicio. Quiq; extra Peloponnensiū socij Lacedæmoniorū sunt, eodē iure sint, quo & Lacedæmoniorū & Argiuorum socij, suum territoriū obtinentes. Vt præterea cum socijs, ubi hæc ostensa fuerint, conferatur, si illis uidebitur: sin aliter, domū redeatur. Hanc primùm cōditionem admittentibus Argiuis, exercitus Lacedæmoniorum à Tegea domum abijt. Non ita multò pòst commercio inter se mutuò adeundi, rursus ijdem illi uiri inter se transegerunt, ut Argiui relicta Mantineorum & Atheniensium & Eleórum societate, cum Lacedæmonijs fœdera ac societatē inirent in hæc uerba:

Societas Argiuorum & Lacedæmoniorum.

IN hunc modum Lacedæmonijs & Argiuis placitum est inter se fœdera atq; societatem esse in annos quinquaginta, æquo & pari iure dare pœnas patrijs moribus, & cum alijs in Pelopōneso ciuitatibus fœdus hoc & societatem esse. Quæ liberæ & suæ autoritatis sunt ciuitates, suum territoriū tenere, pœnas sumere ritu do

mestico,

mestico, ac dare pares similesq́. Quicunque extra Peloponnesum socij sunt Lacedęmoniorum, eisdem conditionibus erunt quibus Lacedęmonij, & Argiorũ socij, eodemq́ iure quo & Argiui suũ territorium obtinentes. Sicubi opus fuerit communi exercitu consultare Lacedęmonios & Argiuos quónam modo iustißimè de socijs iudicent: Si cui ciuitati uel earũ quæ intra Peloponnesum, uel earum quæ extra sunt, cõtrouersia fuerit, aut de finibus, aut aliquã alia de re, disceptẽt: Si qua socialis ciuitas cum alia dißideat, ad aliquam ciuitatem eatur, quæ æqua ijs quæ dißidebũt uidebit. Inter amicas patrio ritu iudicetur. Et eiusmodi quidem fœdera ac societas inita sunt, per quæ quamcũq; belli materiã, aut si quid aliud simultatis inuicem habebãt, id abolitũ est. Sed cõfectis iam inter se rebus, decreuerũt caduceatorẽ Atheniensium & legationem neutiquam recipiendã, nisi relictis muris Pelopõneso excederent, nec cum ullo aut paciscerentur, aut bellum gererẽt, nisi cõmuniter. Intendebant animum cùm in alia quædam, tum uerò in prouinciam Thracię, eoq; utriq; ad Perdiccam misẽre legatos, ut secum coniuraret suadentes. Qui tamen non protinus desciuit ab Atheniensibus, sed deliberabat ad Argiuos intuens, à quibus ipse oriundus erat. super hæc uetustũ cum Chalcidẽsibus iusiurandum, renouarunt, & aliud addiderũt. Miserunt & ad Athenienses Argiui legatos, iussum ut Epidauri murum relinquerent. Illi cernentes ad cæteri præsidij cõparationem suos esse paucos, Demosthenem miserunt ad eos educẽdos. Is ubi peruenit, simulat se gymnicum extra muros certamen inter præsidiarios uelle edere. Egreßisq; reliquis præsidiarijs portas clausit, ac póstmodum renouato cum Epidaurijs fœdere, Athenienses ipsis murum restituerunt. Post Argiuorum à societate defectionem, Mantinei primò reluctati, mox quia sine Argiuis impares essent, & ipsi cum Lacedęmonijs pepigerũt, imperiumq́ oppidorum reliquerunt: & Lacedæmonij Argiuiq́ cum millenis utriq; sumpta expeditione, statũ in Sicyone ad paucorum redegerunt, ipsi potius Lacedæmonij illuc euntes. Et post illa utraque iam statum popularem apud Argos ademerunt, & paucorum constituerunt Lacedæmonijs congruentem. Et hæc sub extremum hyemis gesta sunt, iam uere appetente. Quartusq́ decimus belli annus excesit.

Insequenti æstate & Epitedienses qui Atho incolunt, ab Atheniensibus desciuerũt ad Chalcidenses, & Lacedæmonij in Achaia res, quæ prius ex sententia non erãt, constituerũt, & Argiua plebs paulatim resipiscens, resumptaq́ audacia in paucos illos prępotentes impetum facit, obseruato tempore quo Lacedæmonij se in nudo certamine exercent. & cõmissa intra urbem pugna, uictrix aduersariorum alios interimit, alios relegat. Lacedæmonij dum à so- *Initium decimi quinti anni.*

ciis accerſerentur, aliquādiu ire ſuperſederunt: mox tamen dilato nudorum certamine ſuccurrentes, cùm apud Tegeam accepiſſent uictum ſtatum paucorum, progredi ulterius abnuerunt, orātibus ijs qui effugerant, regreſsiq; domum, nudorum certamen peregerunt. Et cùm póſtmodum legati ueniſſent, tam ab ijs qui in urbe erāt, quàm ab exulātibus Argiuis, adeſſentq; ſocij, & multa utrinque dicta eſſent, pronunciarunt iniurios eos qui intra urbē erant, illucq; ſibi cum exercitu eundū. Sed his cunctantibus, ac ſegnius agētibus, metu ipſorū populus Argiuus reſarta rurſus cum Athenienſibus ſocietate, quos ſibi arbitrabantur maximo uſui futuros, excitauit longos ad mare uſq; muros, ut ſi terra prohiberētur, per mare commeatus ope Athenienſiūm inueherentur. Cuius rei faciendæ fuerunt conſciæ nonnullæ in Peloponneſo ciuitates, & in ea facienda occupatum fuit quicquid Argis hominum erat: uiri, mulieres, ſerui, ex Athenis eò tranſmiſsis ſtructoribus, lapidarijsq;: & æſtas abijt.

Inſequente hyeme Lacedæmonij, cognita Argiuorum extructione, bellum illis intulêre ipſi atq; ſocij, præter Corinthios, rege ſuo duce, Agide Archidami filio. Erat autem eis quiddam rerum Argiuarum illic tranſigendum, ut ipſis uidebatur, quod tamen ex ſentētia non ſucceſsit. Cæterùm muros, cùm adhuc extruerentur, ui ceperunt atq; diruerunt: itemq; Hyſias agri Argiui oppidum, ac liberis omnibus quos ceperant interfectis, abierunt in ſuā quiſque ciuitatem. Poſt hæc Argiui aduerſus Paliaſium copias eduxerunt, & depopulati regionem abierunt, quia ſuos exules recepe rant, quorum plerique illic domicilium habebant.

Perdiccæ accuſatio.

Eadem hyeme diſcluſerunt Athenienſes à Macedonia Perdiccam, crimini dantes, quòd cum Argiuis atque Lacedæmonijs coniuraſſet, & exercitu ab ipſis præparato, quem ducerent aduerſus Chalcidenſes in Thracia, atque Amphipolim, Nicia Nicerati duce, fruſtratus eſſet ſocietatem, quo detrectāte, expeditio præcipuè diſſoluta eſſet. Eoq; nomine Athenienſium erat hoſtis: & hyems hæc annusq; belli quintuſdecimus exceſsit.

Decimiſexti anni initium.

Sequente æſtate Alcibiades cū uiginti nauibus Argos traijciēs, trecentos Argiuos qui ſuſpecti erāt, & cum Lacedæmonijs ſentire uidebātur, cōprehendit: quos apud circuniectas quibus dominabantur inſulas depoſuêre Athenienſes. Iidem aduerſus Melū inſulam nauigauerunt triginta nauibus ſuarum cum mille & ducentis armatis: ſagittarijs trecētis, equitibus ſagittarijs qui hippotoxotæ dicuntur uiginti: Chiorum ſex: Lesbiorum duabus, cum manu ſociali atq; inſulana fermè mille & quingētorū armatorū. Sunt autē Melij Lacedæmoniorum coloni, & quemadmodū cæteri inſulani, imperium Athenienſium abnuebāt. Verùm cùm inter initia in

partibus

partibus non fuiſſent,mox ab Athenienſibus coacti regionem uaſtantibus,in apertum bellum prodierunt.Huc poſteaquàm cum ijs copijs tranſmiſêre Cleomedes Lycomedis,& Tiſias Tiſimachi filius duces,priuſquàm aliquid regioni noceretur miſêre legatos ad habenda colloquia.Quos legatos Melij ad multitudinem non intromiſêre,ſed apud magiſtratus ea dicere iuſſêre quorum gratia ueniſſent.Illi in hunc modum locuti ſunt:

Athenienſium legatorum uerba ad Melios.

QVoniam nos non apud multitudinē uerba facimus,ſed apud paucos,ad quos ideo nos introduxiſtis (intelligimus enim uos hoc ſentire) ne nobis perpetua oratione utentibus,quæ probabilia ſunt atque firma ſemel audiens multitudo inducatur in errorem,agedum,facite etiam iſtuc tutius,& perpetua oratione ne ipſi quidem utamini,ſed ad ſingula,quæ per nos ab re dici uidebuntur,protinus excipientes iudicate,& ante omnia,ſi placet uobis ut loquimur,indicate.

Meliorum uerba: Ad hęc primores Meliorum reſpondentes: Æquitas,inquiunt,per quietem mutuò docendi haud eſt illa quidem uituperanda.Sed ab hac re nōnihil uidetur abhorrere,quòd bellum à uobis non futurum,ſed iam præſens eſſe conſtat.Cernimus enim uos eorum,quę dicentur,iudices ueniſſe:& ut fides eſt, hunc finem ex hoc colloquio futurum,ut ſi iure ſuperiores uobis fuerimus,& ob hoc ſi dicto non audiētes,bellum nobis inferatis: ſeruitutem,ſi dicto audientes fuerimus.

Athenienſium: Enimuero ſi ad ſuſpiciones futurorum captandas,aut ad aliud quippiam conueniſtis,quàm ut ex rebus præſentibus & quas cernitis,ſaluti ciuitatis cōſulatis,ſileamus:ſin ad hoc ueniſtis,loquamur.

Meliorum: Conſentaneum eſt ac dignum uenia,homines in tali conditione poſitos ad multa ſe & dicendo & ſuſpicando conuertere. Et ſanè congreſſus hic de ſalute noſtra inſtitutus eſt:itaq; colloquium fiat eo pacto,quo nos ipſi prouocaſtis,ſi placet.

Athenienſium: Ne nos quidem igitur cum ſpecioſis titulis (quod uel debellato Medo iuſtè imperemus, uel iniuria affecti nunc inuadamus) longitudinem orationis adhibebimus incredibilem:neque cenſemus ut uos nobis perſuaſuros putetis,ſi dixeritis uos,cùm ſitis Lacedęmoniorum coloni,non unà militaſſe cum illis,aut nullam nobis iniuriam feciſſe.Sed ita demum perſuadebitis,ſi dixeritis facienda eſſe quæ fieri poſſunt.Nam hoc & uos intelligitis,& nos ſcimus, iuſta quidem, humana ratione,ab æqua neceſsitate iudicari. Poſsibilia uerò ſuperiores agunt, inferiores permittunt:in quo quidem utrique uerè ſentimus.

Meliorum: Nos quidem exiſtimamus utile (eſt enim neceſſe,

quandoquidem uos sic omissa iusticia, utilitatem dicere statuistis) à uobis commune bonum non tolli, sed ita uos gerere, ut si quis in periculo uersetur, cum eo ex æquo & iure agatis. Quin esse aliquem qui à uobis impetret, ut secum mitius quàm pro summo iure agatis, non minus etiam uestra refert, quatenus maximo supplicio affecti, si laberemini, alijs essetis exemplo.

Atheniensium: Nos uerò finem imperij nostri, si fortè aboleatur, non expauescimus. Neq; enim qui alijs dominantur ueluti Lacedemonij, isti in eos sæui sunt, quos uicerũt, sed ij qui subditi fuerunt, si quando rebellantes superauerunt eos quibus serui erant. Qua de causa liceat nobis de hoc periclitari, quoniam aduersus Lacedæmonios non est nobis tale certamẽ. Quod autem pro amplitudine imperij nostri uenerimus, proq; uestrę ciuitatis sit salute quod loquimur, id uerò planum faciemus, uolentes & præesse uobis citra molestiam, & uos ex utrorunque usu saluos esse.

Meliorum: Quî fieri potest, ut ita ex usu sit nos seruire, ut uobis dominari?

Atheniensium: Nempe, ut uos quidem potius imperata faciatis, quàm extrema omnia patiamini: nos uerò non interficiendo uos lucrifaciamus.

Meliorum: Quid ut quietem agentes remoti à partibus uos pro hostibus amicos habeamus, non eritis contenti?

Atheniensium: Minimè: neq; enim tantopere nobis detrimentosum est, uos esse nobis hostes, quantum esse amicos. Nam amicitia uestra, imbecillitatis: odium, potẽtiæ nostræ, qui præsumus, argumentum est.

Meliorum: Hoccine sentiunt qui sub imperio uestro sunt, ut in eadem conditione ponant eos, qui ad uestrum imperium nihil attinent, & colonias uestras quæ multæ sunt, si postquàm defecerint, subigantur?

Atheniensium: Nam neutros iure destitui existimant: sed illos quidem superiores esse, nos autem præ metu non inferre illis arma. Itaq; prętérquàm quod in plures imperium tenebimus, si uos subegerimus, præstabitis subacti ipsum nostrum imperium stabilius, cùm præsertim sitis insulani, & ij qui classe pollent imbecilliores, nisi uincatis.

Meliorum: Quid illud? an tutũ non putatis? Debemus enim, quemadmodum uos à mentione iusticię reijciendo nos, peruadetis ut commodo uestro pereamus, sic nós docendo nostrum commodum cum uestro coniunctũ esse, conari persuadere. Nam quid ni uobis reddetis hostes, quicunque neutras hoc bello partes sequuntur? Quippe qui intuentes in ista quæ agitis, suspicabuntur in se quoque aliquando uos ituros. Quod quid aliud est, quàm

eos, qui

eos, qui uobis sunt hostes, augere: & eos qui haudquaquam tales futuri erant, impellere ut sint hostes?

Atheniensium: Haud ita est. Neq; enim suspicamur nobis fore acerbiores istos, qui continentem incolunt, quàm insulanos qui alicubi sunt nullius imperio subiecti, quales uos estis: quiq; imperio subiecti sunt, ob eam necessitatem animo exacerbato. Illi enim libertate qua degunt, multò sunt segniores ad se custodiendos à nobis. Isti plerunq; inconsultis affectibus indulgentes, & seipsos & nos in apertum periculum ducunt.

Meliorum: Si igitur & uobis ne imperium amittatis, & ijs qui sub imperio degunt, ut à seruitio eximantur, tantum discrimen adeundum est, profectò nobis quoque qui adhuc liberi degimus, magno flagitio detur, atque ignauiæ, nisi prius omnia experiamur quàm seruiamus.

Atheniensium: Vos uerò non prudenter isto modo consulueritis, quibus non ex æquo nobiscum est de strenuitate certamen, ut cedere pudere uos debeat, sed de salute potius consultatio, ne multò præstantioribus resistatis.

Meliorum: Sed non fugit nos sæpius fortunam belli esse communem, quàm sociam illius partis quæ multitudine hominum abundat. Præterea ei qui se dediderit, nullam spem superesse: ei qui agit, etiam standi spem esse.

Atheniensium: Spes, periculi solatium, etiam si damno afficit, non tamen euertit eos qui illa ex abundanti utuntur. Sed ijs qui de summa rerum semel periclitãtur, cùm sit spes natura sumptuosa, simul cognoscitur post casum: & quo ea cognita retineatur, superest nihil. Quòd uos qui imbecilles estis, & in hoc rerum articulo positi, nolite pati, neque similes plerisque esse, qui cùm adsit eis facultas euadendi, postea destituti omni aperta spe, anxij se conferunt ad incertas, diuinationem, oracula, & quæcunque talia per spem hominem perdunt.

Meliorum: Arduum quidem nobis esse, id quod probè uos intelligitis, ipsi quoq; arbitramur, uestris copijs ac fortunæ resistere, quia non erit ex æquo certamen. Nihilo tamen minus ipsi fortunæ cõfidimus, diuinitùs nos non inferiores futuros, quippe qui insontes uobiscum haud iustè inuadentibus consistimus, & quatenus copia militum deficimur, accessuram illam ex societate quæ nobis cum Lacedæmonijs est, necesse habẽtibus succurrere, si non ob aliud, certè cùm simus cognati, ob pudorem. Quo fit ut non usquequaque præter rationem simus audaces.

Atheniensium: Ne nos quidem diuinam nobis benignitatem arbitramur defuturam, ut qui nihil ducimus iustum, agimus'ue, præter hominum opinionem, aut de ijs, aut de ipsorum hominum

erga se deliberatione. Nam quod ad numina pertinet, de illis, quod opinione receptum est, sentimus: de hominibus autem ita naturæ necessitate comparatum, ut haud dubiè quis semper dominetur quem superauerit. Quam legem neq; tulimus ipsi, neque nouam primi omnium usurpamus, sed quæ iam recepta erat, suscipimus usurpamusq;, relicturi etiam perpetuò futurã, ac pro comperto habentes: uos quoq; ac cæteros, si eadem qua nos facultate præditi essetis, idem esse facturos. Itaq; quod ad eos attinet, meritò non extimescimus nos uobis inferiores fore. Nam quod pertinet ad uestram de Lacedæmonijs opinionem, quos ut creditis, pudebit non succurrere: gratulamur quidem uobis malorum inexpertis, dementiam tamen istam non probamus. Lacedæmonij enim inter se quidem ipsos, & circa domestica instituta plerunq; uirtute utuntur: erga alios autem quales se præstent, multa quis commemorare posset, sed summatim potius significauerit, id quod nos scimus proculdubio, eos pro honestis habere, quę sunt uoluptuosa: pro iustis, quæ sunt utilia. Itaq; istam salutis uestræ uiam inire, dementia est.

Meliorum: Nos uerò hoc ipsum præcipuè credimus, ob suam illos utilitatem non commissuros ut Melij, colonia ipsorum, proditis, efficiantur infidi suarum partium Græcis, utiles aduersarijs.

Atheniensium: Ergo sentitis ita demum quid utile esse, si fuerit tutum, iusta autem atque honesta fieri cum periculo, quod minimè omnium Lacedæmonij plerunque audent.

Meliorum: Imò uerò arbitramur illos nostri causa magis pericula adituros, & se arbitrari per nos quàm per cæteros esse firmiores, quantò ad res gerendas sumus Peloponneso uiciniores, quantoq; ipsis animo ob cognitionem fideliores, quàm cæteri.

Atheniensium: Præsidium erga eos qui inuocant, non declaratur eorum qui opitulari debent beneuolentia, sed quod multò satius est, operibus. Id quod Lacedæmonij plus cæteris quodammodo animaduertunt, ut qui diffidentia domesticarum copiarum sociales copias etiam aduersus finitimos accersunt. Ex quo credibile non est, nostris nauibus mare tenentibus eos in insulam traiecturos.

Meliorum: Atqui alios habent Lacedæmonij quos mittant, & ingens est Creticum pelagus, in quo difficilius est illud tenentibus alios excipere, quàm illis latere uolentibus se subducere. Et si hæc eos ratio destituat, illa non deerit, se cõuertendi aduersus terram uestram, & ad uestros socios, qui reliqui sunt, quos Brasidas non adijt, ut uobis res sit non de terra nihil ad uos pertinente, sed uestra ipsorum.

Atheniensium: Horum uerò uos aliquid estis experti, nec ignari à nulla

ri à nulla unquam obsidione Athenienses aliorum timore discessisse. Vos autem animaduertimus, cùm de salute uestra dixeritis uos consultaturos, nullam tamen eius rei in tanto sermone fecisse mentionem, qua freti, homines arbitrari queant se iri liberatum. Quin ea, quæ uos uehementissimè speratis, futuri temporis sunt, sed præsens tempus breue uobis est ad uos tutandos ab eis, quæ iam urgēt. Quapropter magnam declaratis amentiam, nisi nobis iterum semotis, aliquid aliud quàm hæc prudentius decernatis. Nam nequaquam uos ad uerecundiam, quæ hominibus in fœdis & apertis periculis extitit plerunꝗ perniciosa, conuertetis. Multos enim, adhuc sua pericula præuidentes, ui pellacis nominis eò pertraxit ea quæ uocatur turpitudo, ut à uerbo uicti, re ipsa in calamitates insanabiles ultrò ceciderint, sibiꝗ maiorem cum dementia quàm cum fortuna turpitudinem conflauerint. Quod uos si rectè consulueritis, cauebitis, nec indecorum uobis censeatis, cedere maximæ ciuitati à uobis æqua postulanti, ut socij sui efficiamini, uestra terra potiētes sub tributo, néue cùm detur uobis optio belli & securitatis, per animi contentionē optetis partem deteriorem: sed illis similes sitis, quibus plerūꝗ prosperè succedit, qui paribus non cedentes, honestè cedunt potentioribus, erga inferiores moderatè se gerunt. Considerate itaque seorsum à nobis, & cogitate etiam atque etiam uos deliberare de patria, quæ una uobis est, quamꝗ scitis uno hoc consilio uel felicem fore uel infelicem.

Post hæc Atheniensibus à colloquio digressis, Melij inter se ipsos collocuti sunt, cumꝗ simili modo contradicendum uideretur, responderunt:

Meliorum uerba: Nobis uerò, Athenienses, neꝗ aliud quàm paulò antè uisum est, uidetur: neꝗ libertas septingentorum ab urbe condita annorum breui tempore amittenda. Sed fortuna quæ nos ad hanc diem diuinitùs tutata est, & ope cùm aliorum hominum, tum uerò Lacedæmoniorum freti, conabimur hanc urbem conseruare. hortati tamen uos prius, ut liceat nobis amicos esse uobis, neutris hostes, uosꝗ initis fœderibus, quæ ex utriusque partis utilitate uidebuntur, è nostro solo excedatis. Talia Melij cùm respondissent, Athenienses iam è colloquio digressi dixêre:

Atheniensium: Enimuerò uos soli omnium, ut nobis uidemini, ex uestris cōsilijs certiora iudicatis esse, quæ sunt euentura, quàm quæ cernuntur: & quæ occulta sunt in consulendo, tanquam ea quæ fiunt, creditis iam uos intueri, utiꝗ quo plus & Lacedæmonijs, & fortunæ & spei permittentes uos atque fidentes, eo plus prolapsuri.

Et legati quidem ad castra redière. Duces autem, quoniam Melij nullo pacto obedire uolebant, ad bellum continuò se conuerterunt, &

terunt, & per urbes distributi, Melios muro concluserunt. Post hæc præsidio, tum ex suis tum ex socialibus copijs & à mari & à terra relicto, cum maiori exercitus parte reuersi sunt, cæteris qui remanserunt, locum oppugnantibus. Sub idem tempus Argiui Phliasium agrum ingressi, ab ipsis Phliasiis & ab exulibus suis excepti insidijs circiter octoginta amisêre, & qui in Pylo Athenienses erant, Lacedæmoniorũ magnam prædã ceperunt. Neq; tamen ob id Lacedæmonij fœderibus abiectis in eos bellũ mouerũt. Cæterùm edixerunt, quisquis uellet suorum, abigeret prædas ex Atheniensibus. Corinthij tamen, quiescentibus reliquis Peloponnensibus, priuatarum quarundam dissensionum causa bellum cum Atheniensibus gerebant. Melij quoq; Atheniensium muri ambitum aggressi nocte ceperunt, qua parte forum ille spectabat, nonnullosq; interfecerunt, & frumento alijsq;, quæ ex usu forent, quàm plurima potuêre importatis, cùm se recepissent, quieuêre: Atheniensibus in posterum ad commodius excubandum diligentibus effectis: atque æstas excessit.

Insequentis hyemis initio Lacedæmonij ad fines agri Argiui illum cum exercitu inuasuri, quia litare non potuêre, domum rediêre. Per quorum expectationem Argiuorum, qui in urbe erãt, quidam ob ea de quibus suspecti essent cõprehensi, quidam sua sponte in exilium abierunt. Sub idem quoq; tempus Melij ab alia parte murum quo obsidebãtur ceperũt, paucis ex Atheniensi præsidio ibi præsentibus. Et mox ubi hæc gesta sunt, profectò ex Athenis alio exercitu duce Philocrate Demei filio, cùm iam omni ope oppugnarentur, facta quadam inter ipsos proditione, sese dedidêre Atheniensibus, liberum illis arbitrium de se permittentes. Athenienses Meliorũ quoscunq; nacti sunt, puberes interemerũt: pueros ac fœminas in seruitutem acceperunt, domumq; asportarunt, locum ipsi incoluerũt, missis eo postmodum quingentis colonis.

Meliorum excidium.

THVCYDIDIS HISTORIARVM PELOPONNENSIVM, LIBER SEXTVS.



ADEM hyeme Athenienses decreuêre rursus in Siciliam maiori quàm cum Lachete & Eurimedonte apparatu transmittere ad eam subigendam si possent, ignari plerique & magnitudinis insulæ, & multitudinis incolentium, tum Græcorum, tum Barbarorum, ac suscipere bellum haud multò minus quodammodo quàm illud erat aduersus Peloponnenses. Est enim Siciliæ ambitus non ità multò minor quàm octo dierum circumnauigatione onerariæ nauis: & cùm tanta sit, uiginti fermè stadiorum intercapedine

Siciliæ ambitus.

pedine prohibetur,ne sit cõtinens. Incoluerunt autem eam ab initio atq; tenuerũt permultæ gẽtes,quarum feruntur antiquissimi in quadã duntaxat insulæ parte habitantes Cyclopes atq; Læstrygones:quorum ego neque genus,neq; unde uenerint,neque quò abierint,dicere habeo. Sufficiat quod & à poëtis memoratũ est,& quisq; de illis cognoscit. Post hos Sicani primi demonstrãtur incoluisse,atq; ut ipsi prædicant,omnium primi,quippe cùm sint illius terræ indigenæ,sed ueritas arguit eos Iberos esse,oriundos à flumine Sicano,quod est in Iberia,à Ligyis eiectos,& ab his tunc dictam Sicaniam insulã,prius Trinacriã nominatã, qui adhuc loca insulæ ad occasum uergentia incolunt. Cæterùm capto Ilio quidã Troianorum dum fugiunt Achæos,nauibus in Siciliam applicuerunt,& collocatis sedibus in finibus Sicanorum uniuersi sunt Elymi appellati. Vrbes eorum Eryx & Egesta. His accolę accesserunt nonnulli Phocenses,eorũ qui è Troia tunc in Libyam tempestate delati primùm,deinde ex Libya in Siciliam transmisêre. Siculi autem ex Italia,ibi nanq; habitauêre,fugiẽtes Opicos,in eandem insulam traiecerunt,ut & credibile est,& fama fertur,ratibus obseruato cùm uentus posuisset freto,fortassis & aliter transuecti. Et sanè adhuc extãt in Italia Siculi,ipsaq; regio ab Italo quodam Arcadum rege,hoc habẽte nomẽ,sic est cognominata. Hi magno cum exercitu in Siciliam trãseuntes,uictis prælio Sicanis,& partes quę meridiem occasumq; spectant remissis,fecerunt ut pro Sicania Sicilia uocaretur,& eius optima quæque loca incoluerunt,annis ex quo transierunt propè trecentis ante Græcorum in Siciliam aduentum,& nunc quoque mediterranea eius atque ad aquilonem uergentia obtinent. Phœnices præterea,per eandem passim habitauerunt,occupatis ad mare promontorijs,& paruis circa insulis negotiandi cum Siculis gratia. At postquàm permulti Gręcorum illuc cum nauibus traiecerunt, omissa nauigatione,Motyan Soloëntem:& Panorum finitima Elymis oppida,sedibus ibi positis incoluerunt,freti quum Elymorum societate,tum quia exiguo illinc in Carthaginem traiecto,Sicilia distat. Tot igitur numerò Barbari, atque in hunc modum habitauêrè Siciliam. Græcorum autem primi Chalcidenses ex Eubœa transeuntes, cum Theocle illius deductore coloniæ Naxum incoluerunt,& aram Apollinis Archageti, quæ nunc extra urbem uisitur, extruxerunt. Vbi quoties è Sicilia soluunt, oracula petituri primùm sacrificant. In sequenti anno Archias ab Hercule oriundus è Corintho Syracusas incoluit,expulsis prius ex insula Siculis,intra quam insulam nondum mari circumfluam sita est urbs. Nam ea quæ extra insulam est,diu pòst addito muro,facta est populo frequens. Verùm Theocles atque Chalcidenses è Naxo profecti, septimo

Italia unde. Italus rex.

Phœnices Siciliæ incolæ.

Archageti Apollinis ara.

post

pòst inhabitatas Syracusas anno, Leontinos eiectis Siculis incoluerunt, & dehinc Catanam, cùm ipsi Catanenses Euarchum faciant coloniæ autorem. Per idem tempus & Lamis coloniam deducens è Megaris in Siciliam uenit, & super flumen Pantacium locó quodam cui nomen est Trotilum, incolas collocauit, & illinc postea digressus, cùm aliquantulo tempore apud Leontinos, unà cum Chalcidensibus Rempublicam administrasset, ab eisdem exactus est, collocatisque in Thapso incolis, quum uita decessisset, cæteri è Thapso migrauerunt, & Hyblone rege Siculo, qui regionem prodiderat, duce, Megaras incoluerunt, qui Hyblæi sunt dicti. Et post ducentos ac quadragintaquinque annos quàm habitare cœpissent, à Gelone Syracusanorum rege ex urbe & agro expulsi sunt. Sed antea quàm expellerentur, centum postquàm illic habitare cœperant annis, Selinuntem misso illuc Pammilo condiderunt. Is è Megaribus ipsorum metropoli superueniẽs unà habitauit. Gelam autem Antiphemus è Rhodo & Entimus è Creta, suam uterque coloniam ducentes, pariter condiderunt, anno quadragesimoquinto post Syracusas habitari cœptas, imposito à flumine Gela urbi nomine, cùm locus ubi nunc urbs sita est, quique munitus antea muro erat, Lindij uocaretur, hominibus Doricis huic ciuitati impositis. Annoque prope centesimooctauo à suę urbis initio, Geloi Agragantẽ incoluerũt, urbem à fluuio Agragante appellantes, delectis sibi autoribus Aristono & Pystilo, datis quoque suis legibus, Zancla uerò inter initia à latronibus è Cumis, quæ est in Opica Chalcidica urbs, profectis habitata est. Sed pòstea communiter à multitudine quæ à Chalcidea atque à cætera Eubœa, quæ in eam regionem superuenit, cuius coloniæ deductores extitêre Perieres atque Cratæmenes, alter è Cumis, alter è Chalcide. Vocabatur autem prius ea urbs à Siculis Zancla, à specie falcis. Siquidem falcem Siculi Zanclam appellant. Idem pòstmodum à Samijs eiecti sunt, & alijs quibusdam Ionibus, qui Medos fugientes ad Siciliam appulerunt. Nec ita multò pòst Anaxilas Rheginorum tyrãnus extremitatis Samijs, urbem promiscuis hominibus frequentem reddidit, & à sua quondam patria Messenam appellauit. Imera quoque à Zanclanis habitata est, deductis ab Euclide, Simo, & Sacone: in quam coloniam uenerunt plurimi Chalcidenses, cum quibus habitauerunt & Syracusani exules, à contraria factione superati, qui Myletidę nominantur. Atque apud hos obtinuit lingua inter Chalcidicam & Doricam media: sed leges Chalcidenses obtinuerunt. Acræ autem & Casmenæ à Syracusanis sunt inhabitatæ. Acræ quidem septuaginta annis post Syracusas: Casmenæ uerò circiter uiginti annis pòst Acras, & prius fermè centum ac triginta quinque annis à conditis Syracusis, Camerina

merina per ipsos Syracusanos, autoribus coloniæ Dascone & Menecole, eiectosꝗ aliquantò pòst Camarinæos ob defectionem à Syracusanis, mox Hippocrates Gelæ tyrannus accepit pro redemptione Syracusanorum quos habebat captiuos, atꝗ ipse effectus coloniæ deductor, eos in terra Camerina collocauit, & cùm rursus à Gelone sedibus amoti fuissent, tertiò sunt ab eodem Gelone collocati. Tot igitur gentes partim Græcæ partim Barbaræ incoluêre Siciliam, quæ cùm tāta esset, Athenienses eam sibi inuadendam putauerūt, cupiditate proculdubio totius insulæ potiundæ, sed uoluntate quoque honestè ferendi auxilij Chalcidensibus suis cognatis ac pristinis socijs, præcipueꝗ Egestanis, quorū legati aderant, à quibus inducti sunt ut illuc tenderent, enixè flagitantibus. Quippe Selinuntijs ob quædam sponsalia & controuersiam de agro finitimis suis bellū intulerāt. Illi accitis Syracusanis socijs, bello eos prohibebant terra & mari. Itaꝗ Egestani repetita memoria societatis sibi cùm Lachete initæ, & superioris belli Leontinorum, obsecrabāt Athenienses ut se missa classe tutarentur, cùm alia permulta allegantes, tum uerò quòd caput erat. Syracusanos si impunè ferrent, ut expellerent Leontinos, mox cæteris eorum socijs profligatis, omnem Siciliam ad suum imperiū redacturos. Vnde periculum foret, ne quādo Dores magna cum manu, propter cognationem Doribus Peloponnensibus (à quibus ipsi in colonias missi essent) auxilio euntes, unà destruerent Atheniensium potentiam. Eoꝗ prudentiū esse cum reliquis adhuc socijs adhuc obuiā ire Syracusanis, se præsertim collaturis satis pecuniæ ad bellum. Quæ in concionibus & in colloquijs sæpenumero dicentes Egestanos cùm audirent Athenienses, decreuerūt primùm mittendos Egestam legatos ad explorandam tum pecuniam, an tanta foret, quanta iactabatur, & in ærario & in templis, tum rem bellicam, ac Seluntinorum quoque, ut quæ illic esset conditio referrent. Et legati quidem Atheniensium in Siciliam missi sunt.

Atheniēsiū expeditiōis in Siciliam causæ.

Lacedæmonij autem eadem hyeme cum socijs propter Corinthios armati, agrum Argiuûm ingressi sunt, eumꝗ magna ex parte populati, frumenta & aliquot boum paria asportârunt, & Argiuorum exulibus in Orneas trāscriptis, atꝗ illic paucis è reliquo exercitu relictis, initisꝗ fœderibus, ad certum tempus, intra quod Orneatæ atꝗ Argiui se inuicem non læderent, domum cum exercitu rediêre. Nec illa multò pòst Atheniēses triginta nauibus, sexcenti armati cùm uenissent, & Argiuorū omnis populus, qui per ætatem ferre arma poterat, cum illis egressi, unū diem Orneas oppugnauerunt: noctu his procul castra habentibus, ij qui intra urbem erant, profugêre. Quod ubi sensêre postero die Argiui, Orneas diruerunt, reuersiꝗ sunt domum, & mox item Athenienses.

lidem apud Methonem quæ finitima Macedoniæ est, assumptis ex ora maritima tum suis, tum Macedonibus, qui apud ipsos exulabant, equitibus terram Perdiccæ infestabant. Verùm Lacedæmonij missis ad Chalcidenses, qui sunt in Thracia, iubebant eos Perdiccæ adesse in bello. Quod illi facere recusarunt, quibus induciæ cum Atheniensibus erant decem dierum. Et hyems exijt, ac decimus sextus annus huius belli quod Thucydides conscripsit.

Decimiseptimi anni initium.

Stipendium menstruum.

Insequenti æstate ineunte statim uere, Atheniensiū legati è Sicilia rediêre, & cum ijs Egestani, ferētes sexaginta talēta non signati argenti, tanquā menstruum stipendium sexaginta nauium, quę ut mitterētur, erant oraturi. Athenienses aduocata cōcione, auditisq; & Egestanis & suis legatis cùm alia dicētibus ad persuadendū apposita, tum uerò de pecunia mentiētibus, tanquā parata & multa, tum apud templa, tum apud ærariū, decreuerunt sexaginta naues in Siciliam esse mittēdas, cum ducibus summa potestate præditis, Alcibiade Cliniæ, Nicia Nicerati, Lamacho Xenophanis filio, qui opem quidem Egestanis ferrent cōtra Selinuntios: Leontinos autem, si quid prosperè in bello contingeret, omnes in sua sede collocarent, atque alia transigerent apud Siciliam, ut maximè expedire Reipublicæ suæ cognoscerēt. Quintò post hæc die concio rursus aduocatur, quemadmodum oporteret hanc classem quàm celerrimè fieri, decerneretq; si qua re ducibus ad profectionem opus esset. Nicias qui inuitus fuerat delectus, haud rectè ciuitatem decreuisse existimans, sed exigua de causa & specie decori omnem Siciliam opus arduum affectasse, procedens, Athenienses à proposito reuocare uoluit, hunc in modum dehortatus:

Oratio Niceæ ad Athenienses.

HÆc quidem concio ob apparatum nostrū coacta est, quo pacto in Siciliā nauigare oporteat. Mihi autem uidetur de hoc ipso quoq; considerari oportere, utrum satius sit mittere classem necne, nec ita breui cōsultatione de rebus arduis, credendo uiris alienigenis, bellū sumere quod ad nos nihil pertineat. Et quidem quod ad me attinet, ego ex hac re honore afficior, & meo ipsius corpori minimè omnium timeo. Sed cùm existimem bonū ciuem esse, cùm eū qui & corpori & fortunis suis prospicit, tum eū multò magis qui uult sua opera Rempublicam prosperam esse, ego sicuti superiori tempore nunquam ampliandæ dignitatis gratia dixi secus atq; sentiebam, ita nunc quæ optima esse sentio dicam. Qui si suadeam uobis ea, quæ adsunt tuēda, nec ijs quæ certa sunt, propter incerta periclitandum, infirma quidem apud affectus uestros fuerit oratio mea. Quod autem neq; tempestiua est properatio uestra, neque facilia sunt ad obtinendum ea, ad quæ contenditis, hoc planum faciam. Etenim arbitror uos illuc traijciendo, cùm multos

hîc hostes

hic hostes relinquatis,cupere ut plures etiam huc hostes contrahatis.Et opinamini apud illos fœdera quæ uobiscum inierunt,aliquid forsan firmitatis habitura.Illa uerò quiescētibus uobis erunt fœdera duntaxat nomine.Sic enim quidam è nostris atq; ex aduersarijs rem transegerunt.Sicubi autem exercitus noster plus cladis accipiat,sine mora manus hostilis ingruet nobis,primùm quia nobiscum pacti sunt non uoluntate,sed iniquitate fortunæ & necessitate,ac maiore quàm nos turpitudine.Deinde quòd per hæc fœdera complures contentiones habuimus.Super hæc sunt qui has pactiones neutiquam admiserunt,neq; ij inualidissimi, & eorum alij professi hostes,alij quia Lacedęmonij propter decem dierū fœdera quiescunt adhuc,& ipsi ab inuadendo cohibentur.Qui forsitan si nostras copias bifariàm diuisas esse acceperint, id quod nunc facere festinamus,nos prorsus adoriētur,& quidē unà cum Siciliensibus,quos iampridem putāt operæprecium esse excire in societatem.Itaq; animaduertere debemus qualia sint hæc,neq; supra modum ciuitatem in discrimen adducere,& alienū imperium affectare,priusquàm id quod habemus stabilierimus. Quòd si & Chalcidenses,qui sunt in Thracia,tot annos nobis rebelles,in potestatem nondum redacti,& in cōtinente alij nonnulli (ut fertur) male pacati sunt,nos Egestanis etiam socijs tanquā læsis properè succurrimus,& à quibus quod olim defecerunt à nobis,iniuriam accepimus,eos ne etiam ab iniuria uindicabimus?Et si hos uincendo retinebimus,illis certè quod procul absunt,quodq; permulti sunt,ægrè imperabimus.Amentia igitur sit eos inuadere,quos neque uictor quis in officio teneat,& nisi re feliciter gesta nequeat æquè ac prius adoriri.Sicilienses mihi uidentur ut nunc se res habent,etsi imperio potiantur,Syracusani minus infesti in nos fore, quo nomine præcipuè errorem nobis incutiunt Egestani.Nam etsi fortè nunc illi ueniant cuncti gratificandi Lacedæmonijs gratia,certè credibile non est,eosdem pro alieno imperio contra alterius imperium militaturos,cùm ipsi imperiū habeant. Quoniam quo ipsi modo cum Peloponensibus nostrum imperium euertissent,eodem credere debent suum ab eisdē euersum iri.Porrò Gręci qui illic sunt,primùm nos magnopere extimescent,si illuc non transmiserimus:dehinc etiā si ostentatis per nos copijs paulò pòst discesserimus. Quòd si quid detrimenti acceperimus,cōtinuò per contemptū nostri cum alijs hinc Græcis nos adorientur:cùm sciamus,ut quæq; remotissima sunt,ita esse maximè admirabilia: & ut maximè experta sunt,ita minimū dignitatis præ se ferre. Id quod nunc uobis Atheniēses erga Lacedæmonios,ergaq; socios usu uenit.Qui quoniam præter opinionem,circa ea quæ metuebatis antea superiores extitistis,iam præ contemptu illorum Siciliam affe-

ctatis. Neꝗ uerò oportet ad fortunam aduersariorū extollere animos, sed animos ipsos cohibendo confidere, sentireꝗ nihil aliud Lacedęmonios speculari propter ignominiā acceptam, quàm quo pacto, uel nunc quoꝗ si possint decipiendo uos, emendēt turpitudinem suam, idꝗ tanto magis, quanto maiore & amore & studio gloriam uirtutis amplectuntur. Itaque non de Egestanis in Sicilia hominibus Barbaris, est nobis certamen, si sapimus: sed ut Rempublicā nostræ ciuitatis ab insidijs uolentiū inducere statum paucorū citò tueamur: debentes memoria tenere, nos recens ab ingenti morbo ac bello paululū quiddam laxamenti accepisse, ut æquū sit nos augeri numero & pecuniarū & hominum, & hęc pro nobis ipsis hîc impendi, non pro uiris desertoribus istis auxilia orātibus, quibus & pulchrè mētiri utile est, & uicinorum periculo (cùm nihil ipsi nisi uerba impendant) aut meritam gratiam nobis habere rebus prosperè euntibus, aut si quid secus accidat, amicos secum

In Alcibiadem. in perniciem trahere. Quòd si quis ad hanc præfecturā libens delectus, hortatur uos ad nauigandum, suarum tantùm rerum rationem habens, præsertim iunior quàm ut imperio fungatur, quo sit admirabilior in apparatu equorum, quos alit ex multis quos habet prouentibus, quoꝗ magistratum hunc lucrifaciat, nec huic quidem concedere debetis ut priuatim splendeat periculo ciuitatis: sed existimare ab huiuscemodi hominibus res quidem publicas lædi, priuatas autem profligari. Præterea hoc negocium grande esse, nec de quo adolescentulus consultare, quodꝗ repente tentare debeat. Cui uiro nunc hîc assidentes ab ipso corrogatos cùm uideam, timeo, & ob id è diuerso seniores hortor, ne eos pudeat, si ab aliquo istorum admoneātur, nisi bellum suaserint, ne ignaui esse, néue, quod ipsorum uitium est, absentiū praui amatores esse uideātur, scientes cupiditati perquàm rarò prosperè euenire, circunspectioni plerunꝗ: sed de patriæ periculo propulsando, in quod deducta est, quodꝗ maius superioribus est, iterum creētur duces, ac decernatur Sicilienses quātum ad nos pertinet, quibus nunc finibus utuntur non abuti, nec Ionico sinu si quis terram legat, neꝗ Siciliensi si quis altum teneat, suaꝗ per se colentes utilitati uacare. Egestanis autem separatim respondendum, quandoquidem sine Atheniensibus à principio bellum cum Silenuntijs contraxerunt, ut id ipsi per se dissoluant. Nec posthac societatē quemadmodum consueuimus, faciamus, qui calamitosis quidem subsidiū ferimus, ipsi uerò desiderātes subsidiū non inuenimus. Tu quoꝗ quæstor, si & te dignum ducis gerere curam ciuitatis, & bonus ciuis existere, de integro consulito Athenienses de his, & ad suffragia reuocato, dum scias si uereris legem dissoluere, rogādis iterum sententijs non incursurum te crimen esse in tanta frequētia testium, sed eum

ciuitatis

ciuitatis male consultæ medicum esse, ac rectè imperare, quisquis de patria optimè, aut certè uolens nihil male meruit. Hæc Nicias. Post hunc processêre alij sub inde Athenienses, quorum plerique ad sumendam expeditionem hortabantur, nec reuocanda quę decreta essent, nonnulli dehortabãtur, omnium autem acerrimè urgebat ad ineũdam expeditionem Alcibiades Cliniæ filius, auidus repugnandi Niciæ, cui erat infestus, cùm ob alia circa Reipublicæ administrationem, & quòd sui mentionem inuidiosè ille fecisset, tum præcipuè quòd imperator esse cuperet: sperans se Siciliam pariter atq; Carthaginem in potestatem redacturum, ac priuatim se, si rem prosperè gereret, pecunia simul & gloria auctum iri. Nam cùm esset apud ciuitates in honore, ambitiosius quàm pro modo facultatum uiuebat circa alimenta equorum, aliosq; sumptus, id quod póstmodum non ex minima parte ciuitatem Atheniensium euertit. Multi enim cùm intuerẽtur eius supra modum in cultu uictuq; lautitiam, & quibuscunq; uersabatur in rebus spiritus, magnitudinem tanquã tyrannidem affectantis, hostes ei extiterunt. Et licet publicè res bellicas prȩclarissimè administraret, singuli tamen priuatim studijs eius infensi, & alijs ciuitatem committentes non diu pòst in casum impulerunt. Tunc igitur procedens, Athenienses hunc in modum cohortatus est.

Oratio Alcibiadis ad Athenienses.

IMperatorem esse me, Athenięses, magis quàm alium quenquã, decet. Hinc enim exordiri necesse habeo, cùm me Nicias pupugerit, & dignum arbitror: Nam propter quæ inter homines celebror, ea afferũt cum meis maioribus, ac mihi ipsi gloriã, tum uerò patriæ emolumentũ. Quippe meo hoc splẽdore uitæ apud Olympiam spectatores Græci ualidiorem suis uiribus nostrã ciuitatem existimant, quam prius debellatam esse credebãt: quòd ego illuc cum septem curribus adij, cum quot priuatus antea nemo, quodq; uictor extiti, & secundus & quartus, ac cætera quæ ad assequendã uictoriam faciũt præparaui: quæ iure honorifica sunt, quæq; dum fiunt, afferunt etiã potentiæ opinionem. Hæc magnificentiæ opera aliáue, quibus in ciuitate celebror, natura sunt illa quidem conciuibus inuidiosa, apud hospites uerò exterosq; potentię specimẽ. Neq; uerò incõmodum est hoc hominis propositũ, quisquis suis sumptibus non de seipso tantùm, sed etiam de sua patria bene meretur. Neq; improbum de se aliquem sentientem, nolle esse cęteris parem, quia neque infelix ullum habet calamitatis suæ socium: sed quemadmodum dum calamitosi sumus, ab alijs contemnimur: ita dum sumus felices, feramur ab eisdem quod se contemnamus, parem uicem, dum erunt parem adepti statum, si uolent repensuris.

Nec me fugit huius generis homines,& quicunque alia dignitate præcellunt,inuisos fuisse maximè paribus,sed nōnihil alijs quoq; cum quibus unà uixerūt,id tamen suo duntaxat æuo:eosdē id posteritati reliquisse,ut multi se horum cognatos esse,& nōnulli qui non essent,gloriarentur quidem de eadem patria,unde illi ortum duxissent,profectò non tanquā alieni,atq; facinorosi,sed tāquam de popularibus suis ac de patria benemeriti.Quorum ego æmulus,& ob ista priuatim illustris,animaduertite si quo alio ciue deterius in Republica uersor.Etenim maxima quaque Peloponnesi potentia per me cōtracta,sine uestro magno aut periculo aut sumptu,compuli Lacedæmonios uno die apud Mantineam de omni statu suo dimicare.Quo ex prælio licet uictores discesserint,tamen ne nunc quidem satis audaciæ habent.Et hæc mea adolescentia meaq; inscitia,quæ præter naturam uidebatur esse, contra potentiam Peloponnensium effecit appositè loquendo,atque fidem iræ faciendo persuasit,ut neque nunc illa potentia timeatur.Verùm quandiu per hanc autoritatem in ætatem integram adolesco,& Nicias Rempublicam bene gerere uidetur,utimini utroq; prout commodius est.Neq; profectionem ad Siciliam reuocandam putetis,tanquam aduersus magnas uires futuram. Nanq; urbes illic sunt,promiscuis hominibus frequentes,facilesq; ad status mutandos atq; uariandos,neq; quispiam illic tanquam pro patria uel armis corpus,uel iusto apparatu regionem instructā habet.Et unusquisq;(quia opinatur se aut persuasurum quæ dicit,aut seditione orta,si se frustretur spes,cum aliquo peculatu solum esse uersurū) ad hoc ipsum se accingit. Ex quo uerisimile est huiuscemodi turbam neque uno animo uerba orantis exaudituram,neq; communiter ad res agendas se collaturam.Quæ si quid ad uoluntatem refertur,eò se festinanter confert,præsertim si,quemadmodum audimus,seditione laborant.Quin nec armatos tot habent ipsi quot iactant:nec alij Græci tot apparuerunt,quot seipsos singuli numerabant:quin eos plurimùm fallens Græcia,uix in hoc bello satis armata fuit.Tales igitur ibi res,quantum sentio ex ijs quæ audiui, atq; adeò faciliores erunt.Nam & Barbaros multos nobiscum habebimus,qui Syracusanis sibi inuisis unà inferēt bellum,neq; ista erunt impedimento negocijs nostris,si rectè consulueritis.Siquidem nostri progenitores cùm eosdem, quos nunc aiunt esse hostes,qui certè nos nauigare permittunt, & præterea Medum hostem haberent,hoc imperiū comparauerunt,nullo alio, nisi quòd magnitudine classis pollebant:nec aliam ob rem Peloponnenses, etsi præpotentes sint,magis desperauerunt,nos debellare posse. Nam quod in terram nostram ingrediantur,id uerò etiam si nauigare supersedeamus,facere possunt,classe nobis obesse non possunt,

ſunt, quoniam reliquum noſtrarum nauium par illis eſt. Itaque eos aliquid dicere credibile eſt, aut quod ire nos piget, aut quòd tergiuerſamur ferre ſocijs qui illinc ſunt, opem quam ferre debemus, cùm id nos facturos illis iureiurando promiſerimus, nos autem prætendere contra eos, quòd nec ipſis nobis tulerint opem. Neque enim nos illis idcirco præſidium ibi præſtamus, ut idem uiciſsim hic ipſi nobis præſtent, ſed ut hoſtibus illic noſtris infeſti, prohibeant eoſdem huc contra nos uenire. Atque hunc in modum imperium parauimus, & nos, & quicunque alij rerum potiti ſunt, impigrè ſuccurrendo ſemper à quibus implorabamur, ſiue Barbaris ſiue Græcis. Nam ſi ſuperſedeamus opitulari, aut inter genera hominum quibus'nam opitulari oporteat delectum habeamus, paululum quiddam imperij per hoc acquirentes, de ipſo imperio magis hac ipſa re periclitabimur. Eum enim qui præualet, non modò inuadentem arces, ſed etiam præoccupes ne quando inuadat. Neque uerò nobis licet ærarium replere uſq; dum imperare uoluerimus, ſed neceſſe eſt quoniam imperium habemus, alijs inſidias tendere, alios inſidiari non ſinere, quia in diſcrimē adducimur, cùm illi ab alijs ſubigātur, niſi ipſi alijs imperemus. Neque eadem de cauſa nobis habenda eſt ratio quietis ac cæteris, niſi in eadem in quæ illi ſtudia incumbamus. Conſiderantes igitur hæc nos magis aucturos, ſi illuc iuerimus, nauigemus, ut & animos proſternamus Peloponnenſium, ſi per contemptum ipſorum in Siciliā trajcere uidebimur, non contenti huius quiete temporis, & rebus illic bene gerendis totius Græciæ (ut credibile eſt) imperium adipiſcamur: aut certè quod in noſtram pariter & ſociorum rem ſit, malo afficiamus Syracuſanos. Sine noxa autem & manendi, ſi quid proficiemus, & abeundi, facultatem naues præſtabunt. Nam penes nos arbitrium erit etiam omnium Sicilienſium. Neque uerò uos Niciæ inepta & ad ſeditionem concitandam pertinens, à iunioribus ad ſeniores traducat oratio, ſed pulchro inſtituto, & maiorum noſtrorum exemplo, apud quos iuuenes cum ſenibus conſultantes, rem Athenienſem in hunc ſtatum extulerunt: uos quoque nunc eadem ratione proferre conamini, exiſtimantes iuuentutem ſenectutemq; nihil alteram ſine altera ualere, ſimulq; & imbecillum & mediocre, & quod planè abſolutum eſt maximè pollere, ſi ſint promiſcua: ac ciuitatem, ſi ſit in ocio, in ſe, ac per ſe ipſam conteri more aliarum rerum, & omnem apud nos diſciplinam conſeneſcere, & per certamina aſsiduè proficere experimento, & ſe tutandi ſcientiam non loquendo, ſed operibus potius aſſueſcendo comparari. Ad ſummam ſic ſentio, ciuitatem negocioſam in ocium mutatam, confeſtim, meo iudicio, deſtrui: ac tutiſsimos inter omnes degere

eos homines, qui præsentibus moribus ac legibus, etiam si minus bona sint, minimè discordes utuntur. Hæc Alcibiade locuto, Egestanisq; ac Leontinorũ exulibus, qui processêre, precantibus, admonendo iusiurandi supplicantibus ut sibi ferrent auxilium, Athenienses multò studiosius quàm antea in expeditionẽ ire statuebant. Quos Nicias animaduertens nihil sanè reuocatos esse sua ratione, sed fortasse reuocatum iri, si magnum ingentemq; apparatum præciperet, rursus procedens, hunc in modum apud eosdem locutus est:

Oratio Niciæ ad Athenienses.

QVoniam uos ad hanc militiam obeũdam, Athenienses, prorsus animatos uideo, operæprecium est cõsiderare, quemadmodum hoc exequi uelimus. Ego quæ in præsentia mihi in mentem ueniunt, indicabo. Etenim aduersus ciuitates, quantũ audiendo didici, magnas ituri sumus: neq; aliam alij obtemperantes, neq; tales quę aut status mutationẽ desiderent, illi optabilem quæ uiolenta è seruitute in faciliorem cõditionem transiret, aut uerisimiliter seruitium nostri sint cum sua libertate cõmutaturæ: itemq; aduersus permultas ut in una insula, Græcas ciuitates. Nam præter Naxum & Catanam, quas propter Leontinorũ cognationẽ spero ad nos cõcessuras, aliæ sunt numero septem ciuitates, omnibus rebus instructæ, quibus noster exercitus, eodemq; modo, & præcipuè illæ aduersus quas tendimus, Selinus & Syracusæ. Vbi perquàm multi sunt & armati & sagittarij & iaculatores. ubi quoque permultũ est nauium ac multitudinis ad illas implendas, suppeditante pecunia uel priuata, uel quæ in templis est. Nam præter hãc quę Selinuntijs etiam est, tributa quoq; Syracusanis penduntur à Barbaris quibusdã. Et quo nobis præcipuè præstãt, equorũ copia pręditi sunt, nec aduectitio frumento utuntur, sed uernaculo. Aduersus hanc itaque potentiã opus est non classe modò & imbecilli exercitu, sed ut peditatus quoque multus unà traijciat: si quid dignum cogitatis agere uolumus, nec equitatu hostiũ arceri à terra, præsertim si metu nostri cõspirent inter se ciuitates, & nihil nobis inuicẽ præstẽt ulli alij ex amicis, præterquàm Egestani, quo pacto equitatui resistemus? Deforme est aut reiectos nos abire, aut incõsultè prius rẽ aggressos, iterũ postea accersi. Satiusq; iam nũc cum iusto apparatu in hostẽ cõtendere, gnaros & lõgè nos à domo nauigaturos, nec æquo in loco castra habituros, nec per aliqua subditorũ nostrorũ loca transituros, ut facilè ire liceat ad sumenda, quæ opus fuerint, ex terra amicorum, sed omne iter emensuros per imperium alienũ, ut uix illinc quatuor hybernis mensibus perueniat nuncius. Quapropter mihi uidetur debere uos ducere magnam uim ar-

uim armatorum, tum nostratum, tum sociorum, tum subditorum: & si quem ex Peloponneso possumus aut suadendo, aut mercede inducere. Ad hæc sagittarios multos & funditores, ut hostili equitatui obsistant: præterea abundare nauibus, quæ ad subuehenda necessaria facile suppeditēt, onerarijsq; quæ rem frumentariā hinc portent, triticū & hordeum prætorridū, ac pistores quorum pars molere cogatur, ut sicubi deprchendamur nauigare prohibiti, habeat exercitus necessaria, cuius etiam propter multitudinē nec tota urbs una erit capax: denique cætera omnia quoad fieri potest, prę parare: neq; extraneis inniti, & in primis pecuniā hinc quàm plurimā ferre. Nam quæ ab Egestanis prædicatur illic in promptu esse, eam putate uerbo maximè esse in promptu. Etenim si proficiscamur hinc non modò iustis armis iustoq; exercitu, præter Egestanorum militum manū, sed etiam rebus omnibus præpollentes: sic quoque uix ualidi satis erimus ad hos protegendos, illos superandos, cùm debeat ciuitas cōsiderare nos pergere apud peregrinos, apudq; hostes habitatū: & quo primū die in Siciliā appulerimus, eodem protinus oportere capere terrā: aut si hoc deficiamur, pro certo habere omnia nobis hostilia fore. Quod ego extimescens, atque intelligens, opus esse nos etiam atq; etiam bene cònsultare, ac multò magis felices esse, quod arduū est, cùm simus homines, uolo proficisci quàm minimum memet fortunæ committens, opportunisq; rebus instructus ac munitus. Hæc enim reor & cunctæ ciuitati tutissima fore, & nobis imperatoribus salutaria. Quòd si cui uidetur secus, huic ego magistratum cedo.

Hæc Nicias inquit, ratus se aut mole negociorum, Athenienses à sententia reiecturum, aut si in expeditionem ire cogeretur, tutò saltem hoc modo profecturum. At illi à cupiditate nauigandi non destiterunt, ne in difficultate quidē instruendi apparatus, sed multò studiosius properauerunt: ita Niciæ contrà ac uolebat, accidit. Nam & ipse bene suadere uisus est, & res eo pacto futura admodum tuta. Adeò cupido nauigandi omnibus pariter incessit, senibus quidem tanquā aut redacturis in ditionē ea, ad quæ pergerēt, aut magnas uires, si nihil aduersi cōtingeret, adepturis florentibus autē ætate, quod auebāt peregrinā terram subijcere oculis ac uisere, sibi promittentes se incolumes fore: illi uerò numerosę multitudini ac militari, propter præsentē mercedem, & spem ampliādi imperij, unde & ipsis perpetuū suppeteret stipendium. Itaq; propter indigentē pluriū cupiditatē, si cui fortè res minus placebat, is metuens ne refragando ciuitati male sentire uideretur, silentium agebat. Tandem quidam Atheniensis, adiēs Niciam, hortatus est, inquiens, non deberi tergiuersari, atq; cunctari, sed in omniū conspectu iam proloqui, quam nam sibi classem uellet ab Atheniensibus decerni.

decerni. Ille inuitus ſe quidem, inquit, cum collegis per ociũ magis conſultaturũ, tamẽ quantũ ſibi uideretur, non paucioribus quàm centum triremibus nauigandũ, & ijs Atticis, quæcũq; uiderentur, quibus ipſi Athenienſes armati portarentur, alias quoq; ſociales accerſendas, in quibus omnibus tam Athenienſium quàm ſociorum non minus eſſet, quàm quinque millia armatorum, & plus etiam ſi poſſet: alias præterea copias ex formula: quinetiam ſagittarios & illinc & ex Creta, funditoresq; ducendos, & ſi quid aliud opportunum uideretur, præpararent. Quibus auditis Athenienſes, è ueſtigio ſummam imperatoribus poteſtatem tribuerũt, tum circa numerum copiarum, tum circa omnem nauigãdi rationem, prout eis maximè futurum ex uſu rei Athenienſis uideretur. Poſtque hæc apparatus effectus eſt, & ad ſocios miſſum, & apud eos recenſiti ciues. Iam enim ſe ciuitas, & à morbo, & ab aſsiduo bello recreauerat, aucto etiam numero tum iuuentutis, tum pecuniæ, propter inducias, quo facilius omnia ſunt ſubminiſtrata. Et illi quidem iam in procinctu erant. Verùm interea quicunq; lapidei hermæ intra urbem erant (ſunt autem hermæ ex domeſtica conſuetudine opus quadratum, & ij permulti tam in priuatarum ædium ueſtibulis, quàm in ſacrarum) eadem noctè circuncisi ſunt ex maxima parte circa ora. Cuius rei autores nemo ſcit, & ſi magnis pro iudicio propoſitis præmijs publicè quærerentur, decretumq; eſſet, ut ſi quod aliud quis admiſſum piaculũ ſciret, ultrò indicaret, nullo timore, ſiue ciuis, ſiue hoſpes, ſiue ſeruus. Pluris quàm pro qualitate hoc factum exiſtimabatur. Quippe quod uidebatur eſſe & profectionis augurium, & coniurationis de rebus nouandis, & diſſoluendi ſtatus popularis. Indicatum tamen eſt per incolas quoſdam ac famulos nihil quidem de hermis, ſed de alijs ſimulachris nonnihil iampridem conciſis ab adoleſcentibus per puerilitatem at temulentiam, ſimulq; de myſterijs, quæ intra demum fœdè fierent. Quarum rerum etiam Alcibiadem inſimulabãt, admittentibus delationem ijs præcipuè, qui Alcibiadi erãt infenſi, quòd ipſis hic foret nonnihil impedimẽto, quò minus paulò planè præeſſent. Qui arbitrãtes utiq; ſe primores futuros, ſi hominem ejcerent, rem exaggerabant, uociferabanturq;, quaſi ad euertendam Rempublicam pertinerent myſteria & hermarum laceratio, colligentes ex ſtudijs cæteræ uitæ ſine ipſo nihil horum actum, neque id populare nefas eſſe. Ille in præſens indicia contra ſe refellebat, paratus etiam ſi quid earum rerum admiſiſſet, iudicio ſtare, uel antequàm proficiſceretur (iam enim quæ ad paratũ ſpectabant, collata erant) & ſi quid cõmiſiſſe conuinceretur, pœnam dare: ſin abſolueretur, fungi ſuo imperatorio munere: obteſtans, ne de ſe abſente reciperent crimina, ſed iam ſi deliquiſſet, morte mulctarent.

Hermæ lapidei circuncisi.

Alcibiades accuſatur.

Prudentius

Prudentius enim esse,ne talis se criminis reum,priusquàm causam cognoscerent,mitteret pro imperatore tanti exercitus.Veriti eius inimici,ne si contendere insisterent,haberet ille fauentes milites, néue plebs quę illi obsequebatur,relāguesceret:quia propter hūc Argiui comites erant expeditionis,& nōnulli ex Mantineis,id fieri dehortati sunt,submisis quoq; alijs oratoribus ad profectionē maturandam,qui dixerunt,tunc ille quidem nauigaret,ne distineretur abitio:sed reuersus ad diem iudicio sisteretur,uolentes atrociore cum inuidia premere,quam in absentem facilius conflaturi erant,reuocatum ac coactū iudicio contendere.Ita uisum est Alcibiadem abire. Post hæc medio iam æstatis discessum est in Siciliam,& plerisq; sociorum,itemq; onerarijs frumenta portantibus, atq; alijs nauibus:& quicunq; præterea apparatus comitabatur, præceptum prius uti ad Corcyram præstò essent,quo uniuersi ad Iapygiam promontorium trāsmitterent Ionium mare. Ipsi autem Athenienses,& si qui aderant sociorum,ad Pyræa descendentes, prima statim aurora ad dictam diem naues impleuēre, tanquam tunc uela facturi.Cum quibus unà descendit omnis propè dixerim turba,quæ in urbe erat tum ciuium,tum incolarum,hi domesticos,illi amicos,alij cognatos,alij filios suos quisque deducentes cum spe pariter ac lamentatione:Spe quidem,tanquā lucraturos: Lamentatione autem, quòd reputabant num quando amplius aspecturi essent, qui in tam longinquam è patria nauigationem dimitterentur.Et in pręsentia,quòd mutuò se relicturi in periculo forent,tunc magis tristis cogitatio subibat,quàm cùm nauigandū esse censuissent: aspectu tamen præsentis potentiæ tam grandis exercitus fiduciam capiebant.Quinetiam peregrini ac cætera multitudo ad spectaculum perrexit,tanquam dignum uisu,& opinione maius.Hæc enim clasis utiq; unius Græciæ urbis uiribus omnium ad illam diem prima exijt instructissima ac sumptuosissima. Enimuerò clasis quæ cum Pericle missa est in Epidaurum,itemq; cum Agnone in Potidæam,fuit illa quidem non inferior numero tum nauium,tum armatorum,quippe constitit ex quatuor millibus Atheniensium armatis,trecentisq; equitibus,triremibus centum.Lesbiorum atq; Chiorum quinquaginta,multo quoque sociorū comitatu,sed breui cursu ac tenui apparatu.At ista, ut quæ in diuturnam expeditionē erat itura,& ad utrunq; prout usus exigeret,nauibus simul ac peditatu fuit instructa,permagno constitit,tum quando exædificata est sumptibus & trierarchorum & ciuitatis,tum singulas drachmas in singulos nautas quotidie conferente Republica,& nauibus uelocibus uacuis sexaginta,& quę armatos portarent quadraginta,& harum administris quæ optimæ omnium erāt,quibus trierarchi uehebantur cum thranitibus,qui

Athenienses in Siciliam nauigatio.

longiores

longiores remos trahunt,quibus ab ipſis trierarchis ſuper publicam nautarum mercedem alia contribuebatur.Præterea alia ſumptu inſignium atq; ornamentorum,quibus utebantur precioſis, unoquoq; in longiſsimum præparante,ut ſua nauis inter cæteras & concinnitate præcelleret & curſu.Et peditatus qui eum diligentia delectus erat,& armatura & corporis cultu inter ſe magnopere certabat.Accedebat inſuper hoc quoque æmulationis, quis cui præponeretur,ut potius eſſet oſtentatio uiriũ atq; potentiæ apud cæteros Græcos,quàm in hoſtem apparatus.Si quis enim rationem iniret ſumptuum ciuitatis,& priuatorum cuiuſq; in ſe militis, ciuitatis quidem quos fecit,eùm duces ſua portantes miſit, priuatorum autem uel quos quiſq; in corporis cultum,uel quos trierarchus in nauem fecit,quosq; facturus erat,pręter eos quos citra publicam mercedem credibile eſt pleroſq; fecisſe in uiaticum,quod ad diuturnam militiam præparabant,prætereà ea quæ permutãdi gratia quis uel miles uel negociator ſecum tulit, cõperiretur permulta talenta fuiſſe,& ex urbe uniuerſa aſportata.Neque uerò minus ob audaciæ miraculum,& cultus ſplendorem,quàm magnitudine claſsis celeber extitit exercitus apud eos aduerſum quos nauigabatur,præſertim tam procul à domo,ac maiori conatu atq; ſpe propoſita quàm pro uiribus.Vbi naues impletæ ſunt uiris,impoſitaq; omnia quæ ſecum ferre debebant,tuba ſilentiũ indictum eſt,tum legitima ante profectionem uota nuncuparunt,non per ſingulas naues,ſed uniuerſi per præconem,miſcẽteſq; per omnem exercitum in aureis argenteiſq; poculis,propinabant uectores,duceſq; libabant,uota ſimul faciente è terra ciuium cætera turba:& ſi quis alius cis beneuolus aderat.Cùm pæana cecinisſent,libaminaq; peregiſſent,abierunt:& cùm ab initio in ſpecie cornu irent, iam certatim uſq; ad Æginam curſum tenuerunt. Illinc in Corcyram,quò cætera manus ſociorũ cogebatur,cõtenderunt.At Syracuſis etſi ſæpenumero denũciabatur aduerſum ſe uenire claſſem, diu tamen nihil eſt creditum,ſed coacta concione orationes habitæ ſunt aliæ ab ijs qui aductum Athenienſis exercitus credebant, alij ab ijs qui non credebant. Quorum Hermocrates Hermonis filius procedens,tanquam planè ſcire ſe illa confiſus,hunc in modum cohortando uerba fecit:

Oratio Hermocratis ad Syracuſanos.

INcredibilia quidem,quemadmodum alij nonnulli,uidebor & ego forſitan apud uos dicere,claſſem contra nos utique uenire. Nec me præterit quæ ſupra fidem ſunt,qui ea narrãt nunciant'ue, eos non modò non perſuadere,uerumetiam uideri dementes.Sed non deterritus idcirco deſinam,cùm Reipublicæ periculũ impendeat,quod perſuaſum habeo,aliquid me exploratius afferre,quã

quemuis

quemuis aliũ. Athenienſes enim in nos,id quod uehementer admiramini,cum ingẽti exercitu ueniunt,tum nauali,tum pedeſtri, prætextu quidem Egeſtanorum ſociorũ,ac Leontinos domum reducendi,re autem uera Siciliæ auiditate,& in primis urbis noſtræ, exiſtimãtes ſi hac urbe potiãtur,facilè ſe cæteris potituros.Itaq; eis tanquam propédiem applicaturis,cõſiderate quemadmodum ex præſentibus copijs pulcherrimè reſiſtamus,nec uelitis cõtemnendo hoſtem,imprępatati deprehendi,nec rem non credẽdo,omnia ducere omittenda.Quòd ſi cui non incredibilia uidentur hæc,is nolim neq; audaciam eorum,neq; copias reformidet.Neque enim magis lædere nos,quàm lædi à nobis poterunt,idq; quod magna cum claſſe ueniũt,non inutile nobis eſt,imò adeò utilius,multoq; melius & ergà alios Sicilienſes.Quippe qui metu illorum malent à nobis ſtare,& quòd ſiue ſuperauimus iſtos,ſiue infectò,quòd optant,negocio reiecerimus(non enim uereor,ne conſequantur quod expectant) pręclariſsimè nobiſcum agetur,id quod(ut meà fert opinio) ſperare debemus.Etenim paucis claſsibus ſeu Græcorum ſeu Barbarorum utiq; magis procul à domo profectis rectè ſucceſsit.Nam neq; numero ſuperãt urbanam ſuburbanamq; turbam,contra quam ueniunt,undiq; in unum ſe præ timore congregantem:& ſi penuria rerũ neceſſariarũ in alieno ſolo malè rem gerant,quanquam id defectu rerum contingat,tamen uictoriæ famam relinquunt ijs,quibus arma intulerãt,inſidiatiq; fuerãt.Qua ratione iſti ipſi Atheniẽſes celebres facti ſunt,cùm Medus,tanquã qui contra Athenas iſſet,plerũq; iniquitate fortunæ male pugnaſſet. Cui ſimile quiddam nobis euenturũ non eſt deſperandũ,quo magis & quæ hîc opus ſunt,impigrè præparemus,& ad Siculos mittendo,tum alios firmiores reddamus,tum aliorũ ſocietatẽ amicitiamq; cõtrahere tentemus,neq; ad Siculos modò,uerùm ad cæteros quoq; Sicilienſes mittendo legatos,oſtendamus commune hoc periculũ eſſe.Neq; ad hos tantùm,ſed etiã in Italiã,ut aut nobis in bello ſocij ſint,aut ne recipiant Athenienſes.Neq; eo ſolùm, ſed Carthaginem uel potius mihi uidetur eſſe mittendum. Non enim ſine fide hoc erit apud illos,aſsiduo in metu agentes ne quando aduerſus urbem ſuam ueniant Athenienſes.Itaq; ad hunc nunciũ fortaſſe ſe quoq; in diſcrimine eſſe exiſtimãtes,uolent aut clàm aut palàm,aut alio quo pacto nobis opitulari. Et certè poſſunt uel maximè omnium qui nunc rerum potiuntur,ſi uelint,quippe qui plurimum auri argentiq; poſsideant:unde & bellum & cætera rectè procedũt.Mittendum prætereà Lacedæmona ac Corinthum, oratum ut huc properè mittant auxilia,& illic in Athenienſes bellum moueant.Quodq; ego in primis opportunũ arbitror,etſi uos iampridem deſides minimè obtemperatis,tamẽ à me dicetur,per

nos Sicilienses si libet uniuersos: sin minus, plerosq; ex nobis, cum deductis cunctis nauibus, cum duorum mensiũ cibarijs occurrendum Atheniensibus ad Tarentum, & ad Iapygiam promontoriũ, eisq; demonstrandum, non sibi de Sicilia prius fore certamen, sed de Ionio mari trãseundo. Ex hoc facto nimirum eos maximopere deterrebimus, & ad cogitandum etiam atq; etiam reuocabimus, prǽsertim quòd è sociali terra obuiam, ut nostram tueamur, proficiscemur. Excipiet enim nos Tarentum, & ipsis cùm ingens pelagus sit transeundũ, difficile est omni classi in tanto transitu seruare ordinem, nobis uerò facilè factu, ut breui spatio & ordine uenientibus, inuadere. Quòd si ad accelerãdum cursum exoneratis nauibus, addensatisq; uenient, iam remigrãdo defessos aggrediemur: sin hoc non placebit agere, licebit nos subducere Tarẽtum. Iidem si cum exiguo comitatu quasi ad naualeprǽlium mare transierint, certè apud deserta loca penuria laborabunt, & aut manendo debellabuntur, aut si abire conabuntur, cæterum apparatum derelinquent: & cùm inexploratum habeant, an à ciuitatibus recipiantur, solicito tamen animo erunt. Eoq; ipse hac ratione adducor eos hinc exclusos, ne soluturos quidem esse à Corcyra, sed aut consultando illic, speculatoresq; mittendo quot numero sumus, & quo in loco, in hyemis opportunitatem extrahendos, aut perculsos inopinata re à progrediendo desituros. Eo quidẽ magis quod quantum ego audio, peritissimus inter duces eorũ inuitus accepit hoc munus, libenter cauturus, si modò quid à nobis pro nostra dignitate edatur. Prodeat de nobis rumor, in maius (ut certum habeo) euasurus: nam & rumoribus stant hominum sententiæ, & magis terrorẽ incutit, ut inuadere uolẽti prior occurras, quàm ut te repugnaturũ significes, cùm se ille pari in discrimine sic fore existimet, id quod nunc Atheniensibus usu ueniet, qui in nos tendunt, perinde ac non repugnaturos. Neq; immeritò id sentiunt, quòd eos cum Lacedæmonijs bello non uexauerimus. Iidem si præter opinionem suam audere nos uiderint, magis ex ipsa re inopinata terrebuntur, quàm quanta erit re uera nostra potentia. Credite itaq; mihi quod optimum est, ut hoc quod dixi, audeatis: sin minus, ut primo quoq; tempore quæ ad bellum pertinent, præparetis: hoc uobis in animum inducentes, contemnere quidem hostem à quo inuadaris: id uerò ita demum declarari, si factis ualeas, ipsa uerò facta declarare si iam tutissimos apparatus cum metu compares, existimans hoc utilissimum fore, si tanquam periculo impendere facias. nam hostes cum classe ueniunt, atque adeò iam aduentant, tantumq; non adsunt.

Hæc Hermocrates. At in populo Syracusano magna inter se altercatio erat, alijs negantibus ullo modo uenire Athenienses, nec

uera

uera esse quæ Hermocrates diceret: alijs etiam si uenirent, quid sibi facturi essent Athenienses dicentibus, ut non inuicem plura paterentur, alijs contemnendo prorsus rem in derisum conuertentibus, paucis omnino Hermocrati fidem habentibus, futurumq́ timentibus. Tunc Athenagoras, qui primarius in populo erat, & ut illis temporibus uir ad persuadendam plebem appositissimus, procedens huiuscemodi habuit orationem: *Athenagoras.*

Oratio Athenagoræ ad Syracusanos.

QVisquis negat Athenienses, si huc ueniant, dementes esse, & nobis obnoxios fore, is profectò aut formidolosus est, aut de Republica non bene sentiens. Quod qui ad uos deterrendos nunciant, horum non temeritatem demiror, sed insipientiam, si pa tere se non arbitrabãtur. Etenim qui priuatim sibi aliquid timent, ij captant ciuitatem perterrefacere, ut publico metu suũ occultent. Et huc isti nũc rumores tendunt, haudquaquam sua sponte confecti, sed ab hominibus qui semper talia moliuntur. Quòd si uos rectè cõsulueritis, non ex ijs quæ isti nunciant, cõiectando ratiocinari debetis, quid credibile sit, sed ex ijs quæ perspicaces uiri & multarum rerũ experti, quales ego Athenienses reor, agerẽt. Non est credibile hos, relictis Peloponnensibus, & bello nondũ illic planè finito, ad alterũ bellum non inferius illo, ultrò uenire: quos ego arbitror putare benè secũ agi, quòd in se nos non tendamus, tot ciuitates atq; tam magnæ. Quinetiam si ueniant (ut fertur) ad eosdem debellandos Siciliam uel magis suffecturã quàm Peloponnesum, quantò ad omnia est instructior: imò adeò nostram ipsam ciuitatem ualidiorẽ esse hoc qui nunc dicitur uenire exercitu, atq; etiam bis tanto, quippe cùm nullus sequatur equitatus, quod scio: neq; hic suppeditaturus sit, nisi paucorum aliquot Egestanorum, & eorum numerus armatorum nequaquam nostro sit comparandus. Arduum nanq; sit uel uacuis exercitu nauibus cursum huc tendere, cæterùm apparatum ferentibus, quantum suppetere oportet, aduersus tantam ciuitatem, quæ certè exigua non est. Adeò quidem ab ista ego opinione dissentio, ut si Athenienses urbem aliam tantam, quantæ sunt Syracusæ, coloniam suam nobis finitimam habentes, illinc bellum mouerent, uix fieri posse rear, quin profligarentur, nedum nunc, cùm omnis sit eis Sicilia hostis. Continebuntur enim castris ex classe communitis, atque ex tabernaculis necessarioq; apparatu, non laxè tendentes, utpote à nostro equitatu exire prohibiti, prorsus ut ne terra quidem eos potituros credam, adeò nostras quàm illorum copias censeo præstantiores. Quod intelligentes, quemadmodum ego dico, Athenienses sua ipsorum (ut certum habeo) conseruant. Sed quidam ex hac urbe homines, ea quæ neque sunt neque fiunt, dictitant: quos ego non

nunc primùm deprehendi,sed olim huiuscemodi rumoribus, & nonnunquam malignioribus,interdum ut factis, uelle imperitæ multitudini inijcere timorem,ut ipsi ciuitatis potiantur imperio, quod sæpenumero conãtes,nequando cõsequantur uereor,néue nos segnes,antequàm opprimamur,ab istis nõ caueamus:& cùm intelligamus hoc,non tamen obuiam eis eamus.His enim de causis rarò quiescit nostra ciuitas,permultis seditionibus agitata,permultisꝙ certaminibus,ac pluribus secũ ipsa quàm cum hostibus, nonnunquam etiam tyrãnide iniquoꝙ dominatu:à quibus ego,si uos sequi uoletis,ut ne quid unquã caueatis,efficere tentabo,tum id persuadendo plerosꝙ uestrûm,tum eos qui ista machinantur, plectendo,non modò deprehensos (arduum enim fuerit deprehendere) sed etiã ob ea,quæ etsi non potuerunt,tamen uoluerunt efficere.Aduersus enim inimicum non modò ex eis quæ agit sumenda defensio,uerumetiam ex ijs quæ cogitat præsumenda est: quoniam nisi quis sibi prçcauerit prior,detrimentũ accipiet.Nam

Oligarchia.

sic mihi præcipuè uideor istos oligarchiæ studentes, à maleficio reuocare,si eorum facta partim coarguam,partim caueam,partim doceam.Enimuerò sepe mecum cõsideraui,quid'nam à uobis uelitis adolescẽtes.Vtrum ne iam nunc imperia obtinere?at istuc legitimum non est.Nam lex idcirco lata est ne uos geratis imperia, quia non potestis ea gerere, non ut contumeliam faceret uobis ad gerenda idoneis.An non esse pares iure cum cæteris?At istuc quo pacto iustum est, eosdem homines non eisdem honoribus

Popularis status.

affici?Dicat aliquis popularem statum rem esse neꝙ consultã neꝙ æquabilem,sed qui locupletes sint,eosdem optimos esse ad præclarissimè imperandũ.Ego uerò primùm respõdeo,popularis status nomine,intelligi omnem ciuitatem,paucorum uerò,partem ciuitatis:deinde custodes quidem pecuniarũ,optimos esse locupletes:ad consulendum autem præclarissimè,eos qui pollent intelligẽtia:uulgus uerò postquàm audierit res,optimè iudicare,& hæc siue per partes,siue in uniuersum,æqualiter distribui in democratia.At paucorũ status, pericula quidem multis impertit:commodorum autem non modò plus,uerùm etiam totum sibi uendicat, erepta ab alijs sua portione.Quæ scilicet ij uestrûm qui sunt potentes,& iuuenes,affectant,rem impossibilem in magna ciuitate. Sed nunc adhuc,ô omnium dementissimi,nisi discitis,aut ad malum properatis,aut imperitissimi estis omniũ quos noui Græcorũ,aut iniustissimi,si hoc audetis scientes.Verùm aut à me edocti, aut ipsi resipiscentes,quod ad totius ciuitatis bonum pertinet id augeatis:existimetisꝙ eos qui uestrûm boni sunt,si uelint æquali bono esse contenti, etiam plus habituros esse quàm plebem:sin alia insuper uolent,periculũ esse ne etiam toto priuentur.Reijcite

itaque

itaque nuncios iſtos tanquam præcognitos,nec aliquid proficere ſinatis.Nam etiam ut ueniant Athenienſes,hæc ciuitas pro ſua dignitate propulſabit, ſuntq́ nobis magiſtratus qui iſta prouidebunt. Quòd ſi nihil horum ueri ſuerit,prout ego ſuſpicor,nequaquam ueſtris rumoribus expauefacta ciuitas ſua ſpõte ſeruitutem ſuſcipiet, uos ſibi duces eligendo:ſed ipſa per ſeſe rimata ueritatem,de uerbis ueſtris,tanquam idem quod facta pollentibus, iudicabit,& præſentem libertatem non ex rumoribus amittet,ſed ex cautione res agendas committendi,tueri conabitur:Hæc Athenagoras. Ibi quidam ex ducibus cõſurgens,alium ad dicendum procedere permiſit neminem,ipſe autem quod ad præſens attinebat,ita inquit:

Alter ex magiſtratibus Syracuſanis.

OBtrectationes quidem uel inuicem dici,uel ab audientibus admitti,nequaquã prudentiæ eſt,ſed potius ad ea quæ nunciantur reſpicere,quo & priuatim & publicè inſtruamus nos probè ad eos arcendos,qui in nos tendunt,& ſi fortè nihil opus fuerit, nihil damni fiet ex publico apparatu armorum, equorum,ac cæterorum,quibus bellum gaudet.Nobis autem curæ erit de hoſtibus explorare,mittendo ad ciuitates,atq; ſpeculando ſi quid aliud expedire uidebitur.Hæc iam nos curauimus,& quicquid ſenſerimus,id ad uos referemus.

Hæc locuto duce,Syracuſani è concilio abierunt.Athenienſes interea ſocijq́ iam apud Corcyram omnes aderant.Et primùm recenſito duces exercitu,conſtituerunt quo ordine curſum conficere deberent,& caſtra ponere,totaq́ claſſe trifariàm diſtributa,ſingulas ſortiti ſunt partes,ne ſi pariter nauigarent,neq; aqua,neque portus,neq; res in ſtationibus neceſſariæ ſuppeterent,utq; cùm in cæteris rebus eſſent copiæ ornatiores,tum uerò faciliores ad regẽdum ſub ſuo quæq; duce inſtructæ.Dehinc præmiſerũt in Italiam Siciliamq́ naues treis,quæ referrẽt quænam ciuitates eſſent ipſos excepturæ,dato eis præcepto,ut occurrerẽt claſsi,quo ſcirent ipſi quorſum nauigarent.Poſt hæc Athenienſes cum tanto apparatu ſoluentes è Corcyra in Siciliam transfretarunt,triremibus numero centum trigintaquatuor,ac duabus Rhodijs biremibus:quarum triremium erant Atticæ centum,& harum ueloces ſexaginta, cæteræ quæ milites ferrent,reliqua claſſe Chiorum atq; ſociorum. *Claſsis Athenienſium.* In quibus ad ſummam uehebantur armatorum quinque millia ac centum,quorum erant ex formula Athenienſes mille quingẽtiq́, cum ſeptingentis famulis ad miniſterium nauium. Cæterorum uerò ſociorum cõmilitium,partim ſubditorum,partim Argiuorum *Militum Athenienſium catalogus.* quingenti.Mãtineorum autem ac mercenariorum ducenti quinquaginta. Sagittarij omnino quadringenti octoginta, quorum

Cretenses fuêre octoginta, & funditores Rhodiorum septingēti, Megarensiumq; exulum leuiter armatorum centum uiginti, cum una equestri naui, triginta equites portāte. His copijs à principio classis in bellum profecta est, cum triginta onerarijs nauibus, quæ exercitui necessaria ferrent, cōmeatum, pistores, fabros cum ministris, omnia ad extructionem murorū instrumenta, cumq; centum nauigijs, quæ onerariás necessariò comitabantur. Alia præterea permultæ naues partim onerariæ, partim non onerariæ ultrò exercitum sequebantur negociandi gratia, quæ omnes tunc pariter è Corcyra sinū Ionium transmiserunt. At huius classis alia pars promontorium Iapygiam, alia Tarentum, alia aliò, prout cuiq; cōmodum fuit, in Italiam appulerunt, à nulla ciuitatum recepti, neq; in mercatum neq; in urbem, aquatione tantùm eis & statione concessa: ac ne his quidem cōcessis à Tarentinis atq; Locrensibus, donec uentum est Rhegium Italiæ promontorium. Vbi contractis iam copijs extra urbem, quoniā intra muros non recipiebantur, castra communierant ad Dianæ delubrum, ubi forum uenalium eis prębitum est. Subductisq; nauibus ociū tenuêre, & apud Rheginos uerba fecêre, ut illi quoniam Chalcidenses essent, Leontinis qui & ipsi essent Chalcidenses, auxilium ferrent. Rhegini negare se alterutris adfuturos, sed quicquid Italis cæteris communiter placeret, id esse facturos. Illi tamen ad res Siculas animum intendētes, quónam modo optimè appellerēt, præcursorias ab Egesta naues præstolabantur, scire cupiētes de re nummaria, nunquid ea essent quę Athenis legati Egestani prædicassent. Interea Syracusanis cùm aliunde sæpenumero, tum uerò à speculatoribus nunciabatur planè naues ad Rhegium stare. Itaque tum amplius incredibili omni studio ad apparatum se accingebant, circummittere ad Siculos, ad hos præsidia, ad illos legationes, contrahere ad tuitionem ex omni circa regione nauigia, quæq; intra urbē essent recensere, arma atq; equos si qua in publico essent, cætera comparare tanquam imminenti bello, tantumq; non pręsenti. Atheniensibus autem tres illæ præcursoriæ naues ab Egesta ad Rhegium præstò fuêre, renunciaruntq; esse pecuniam, quam spopondissent: reliquā quidem illic non adesse tantùm triginta talēta. Qua ex re duces subitò abiecêre animos, quòd eos ipsa statim principia frustrarentur, quodq; Rhegini unà militare recusarēt, quos primos inducere tentassent, & induci posse maximè credibile erat: quippe qui & Leōtinorum cognati forēt, & ipsorū semper studiosi fuissent. Et Niciæ quidem hæc, prout expectauerat, ab Egestanis cōtigerunt, duobus autem reliquis ducibus, præter opinionē: etenim tale fuit Egestanorum commentum, cùm primùm eos adiêre legati Athenienses ad explorandas ipsorū pecunias, adductis illis in fanum Veneris, quod

Egestanorum commentum.

est in

est in Eryce, sacraria donariaq́ ostendere, phialas, trullas, thuribula, cæteramq́ non tenuem supellectilem: quæ cùm forent argentea, multò maiorem pecuniæ speciem præbuerunt, quàm res erat. *Erycis Veneris templum.* Quinetiam priuatim exceptis hospitio trierarchis collecta ex omni Egesta & ex omnibus circa oppidis, uel Phenicum, uel Græcorum corrogata pocula tum aurea, tum argentea in conuiuijs exhibuêre, tanquam suam quisque domesticam supellectilem. Quumq́ omnes ut plurimùm ijsdem uterentur, cùm multa ubique uasa conspicerentur, magno afficiebantur stupore Athenienses illi ex triremibus, ut reuersi Athenas diuulgarint ingentem se pecuniæ uim conspexisse. Per quos in errorem inductos, cùm & alij tunc inducti fuissent, ubi palàm factum est, non esse in Egesta pecunias, res in magna inuidia apud milites erat. Duces autem de præsenti rerum statu deliberabant. Et Niciæ quidem consilium erat cum omnibus copijs nauigare in Selinuntem, quo præcipuè missi essent: & si Egestani mercedem toti exercitui numerarent, ibi de rebus agendis consultare: Sin minus, ab eisdem postulare, ut sexaginta nauibus, quod ipsi petissent, cibaria præstarent. *Niciæ sententia. Selinus.* Atq́ ibi permanendo Selinuntios illis uel ui uel pactione reconciliare, & ita ad alias ciuitates proficiscendo, ubi uires Atheniensis populi ostentassent, & in amicos atque socios fidem impigrè declarassent, domum redire: nisi quid breui tempore aut ex inopinato prodesse Leontinis possent, aut aliquam aliarum ciuitatum in societatem adducere, ne suas quisque facultates pro Republica consumentes, de ipso Reipublicę statu periclitarentur. Alcibiades negare cum tanta manu profectos, debere turpiter infecto negocio abscedere, sed potius apud omnes ciuitates præter Selinuntem ac Syracusas denunciare, misso præcone, aduentum suum, easq́ ad defectionem solicitare. *Alcibiadis sententia.* Siculos quoque partim à Syracusanis abducere, partim amicos facere, ut illinc frumentum suppeditaretur, & copiæ. Et ante omnia inducere Mamertinos: eos enim esse præcipuè in transitu ac traiectu Siciliæ, & illic portum atque stationem fore classis exercitusq́ capacissimam, atque in societatem ciuitates euocando, & quarum partium essent sciendo, tunc aggredi Syracusas ac Selinuntem, saltem ut illi cum Egestanis conuenirent, isti Leontinos habitare permitterent. *Messenios legitur in Græco* Lamachus haud dubiè affirmare nauigandum esse Syracusas, & ante urbem primo quoque tempore præliandum, quum adhuc imparati essent, ac maximè perterriti: omnem enim exercitum in principio maximè esse terrificum. *Lamachi sententia.* Si differrent, antequàm in conspectum uenirent, resumpta per consilium audacia, hostem, eos cùm uiderit, magis contemptui habiturum: Sin autem repentino inciderent, cùm adhuc horribiles expectarentur,

maximè superiores futuros,& omni ex parte terrorem iniecturos, tum aspectu (plurimos enim nunc uideri) tum expectatione cladium quas accepturus ille esset,præsertim periculo subitæ pugnę, eo quidem magis quòd credibile esset posse permultos in agris excipi,cùm præsumptum habeant,classem neutiquam esse uenturam:quòd si exercitum illuc portarent,non defuturã ei pecuniam, si uictor ante urbem consederit. Præterea reliquos Sicilienses sic iam & Syracusanorum minus,& ipsorum magis societatem petituros,idq; incunctanter,cùm animaduertissent utri superiores existerent.Stationem insuper nauium dicebant siue se reciperent,siue inuaderent,oportere Megara facere quæ deserta essent, neque procul à Syracusanis aut terra.Hæc locutus Lamachus,sententiæ tamen Alcibiadis accedebat.Post hæc Alcibiades Messanam sua naui transuectus,apud Mamertinos de societate ineunda uerba fecit. Vbi non persuadet, respõdentibus illis in urbem quidem se nequaquam recepturos,forum tamen uenalium præbituros,traiecit Rhegium,& confestim impletis sexaginta ex omni numero nauibus,sumptisq; necessarijs duces in Naxum trãsmiserunt,uno ex eis cum cętera classe ad Rhegium relicto.A Naxijs intra urbem recepti Catanam nauigant:sed cùm à Catanensibus non reciperentur (aderãt enim illic quidam Syracusanorum studiosi) subierunt Teriam flumen,ubi statiõe eo die cùm habuissent,insequenti Syracusas nauigarunt, habentes opportunè naues cæteras, ac præmiserunt decem naues in portum magnum,quæ subeuntes explorarẽt si quid nauium ab hoste deductũ esset:& ex eis egressi in terram aliqui denunciarent Syracusanis,Athenienses uenire ad reducendos in suam patriam Leontinos iure societatis atq; cognationis:ideo Leontini qui Syracusis agerent,intrepidè trãsirent ad amicos ac bene meritos Athenienses. Vbi denunciarunt, situmq; urbis ac portuum,& omnem circa regionem cõtemplati sunt,unde appellentibus sibi opportunitas foret oppugnandi,rursus reditum est Catanam.Inito consilio Catanẽses abnuêre exercitũ excipere,ingredi tamen duces,& si quid uellẽt dicere iussêre.Apud quos habente orationem Alcibiade,& in illam cõcionem conuersis oppidanis,milites portulam quandam malè constructam subruerunt,ingressiq; mercabantur per urbem.Hos ubi ingressos uidêre,qui cum Syracusanis sentiebant Catanenses, subito terrore perculsi, clàm profugerunt non adeò multi,cæteri decreuêre faciendam cum Atheniensibus societatem,iubentes reliquum exercitũ acciri à Rhegio.Postea Atheniẽses cùm nauigassent ad Rhegium,iam cum omni manu mouentes inde ubi Catanam appulerunt,castra communiunt.Atque illic eis affertur è Camarina,si se conferant eò,ad ipsos defecturam eam ciuitatem,simulq; Syracusanos

Teria flumen.

Athenienses apud Camarinam illusi.

sanos classem instruere. Cum omni igitur exercitu ac classe proficiscuntur aduersus Syracusas primùm: ubi cùm nihil nauium instrui comperissent, retrò se in Camarinam receperunt, appulsiq; ad litus, præconis uoce se uenisse nunciant: nec tamen recepti sunt, dicentibus illis iusiurandum intercesisse, ut cum una demum naui applicãtes Athenienses reciperẽt, nisi si plures naues ipsi ab Atheniensibus accersissent. Ita infecto negocio discessum est. Cumq; in locum quendã agri Syracusani è nauibus descendissent, prædasq; egissent, occurrentibus Syracusanis equitibus, & per eos peltatis nonnullis ex leui armatura interfectis, Catanam reditum est. Vbi offendunt nauem Salaminiam Athenis missam, tum aduersus Alcibiadem, cui iubebatur ut remearet ad respondendũ criminibus, quorum publicè insimulabatur: tum aduersus alios quosdam milites, de quibus delatum indicium erat, tanquam sodalibus illius, partim in polluendis impiè mysterijs, partim in uiolandis hermis. Etenim Athenienses post abitum clasis, quæstionem nihilominus peregerũt de ijs, quæ circa mysteria circaq; hermas acta erant, nec probatis indicibus, sed suspicionibus omnia rimantes, habita facinorosissimis quibusq; fide, longè omnium modestisimos ciues comprehenderunt, & in uincula coniecerunt: conducibilius esse arbitrantes, scrutari rem, & inuenire, quàm per facinus indicis aliquem integræ existimationis delatum elabi, non conuictum. Nanq; is populus auditu cognitum habens tyrannidem Pisistrati ac filiorum acerbam circa finem extitisse, eamq; præterea neq; à se, neq; ab Harmodio destructam, sed à Lacedæmonijs, timebat assidue, & omnia in peiorem partem accipiebat. Nam conatus Aristogitonis & Harmodij propter amatorium casum susceptus fuit. Quam ego rem pluribus commemorando, ostendam neq; alios Græcos, neq; Athenienses ipsos de suis tyrannis, aut de re gesta aliquid compertum loqui. Etenim cùm Pisistratus senio in tyrãnide decesisset, non Hipparchus, ut pleriq; opinãtur, sed Hippias, qui erat natu maximus, obtinuit principatũ. Erat autem Harmodius quidam, flore ætatis conspicuus, quem Aristogiton mediæ inter ciues conditionis uir adamabat, habebatq;. Is Harmodius ab Hipparcho Pisistrati filio appellatus de stupro, non modò non expugnatus, sed etiam querelam ad Aristogitonem detulit. Hic amatorio dolore affectus, extimescensq; Hipparchi potentiam, ne ui adolescentẽ sibi auferret, protinus insidias tendit ad destruendam pro sua facultate tyrannidem. Interea Hipparchus cùm rursus sollicitãdo Harmodium nihilo magis induceret, statuerat ui quidem nihil agere, sed eum occulta, & alterius causæ speciem præ se ferente contumelia petere. Nec enim erat Hipparchus in imperio inuisus plebi, quin id non inuidiosè constituerat, & coluerunt perquã diu sanè

Alcibiades Athenas reuocatur.

Pisistrati tyrannis.

Vigesimæ exactio.

diu sanè tyranni hi uirtutem & prudentiam, & uigesimas. Hactenus enim licebat, nec ulteriorem dominatū in suos populares induxerant isti tyranni, neq; inuidiosum reddiderant, qui plurimam uirtuti tantùm ex prouentibus exigentes ab Atheniensibus, urbem suam egregiè exornarunt, ac bella tolerauerūt, apud delubra etiam sacrificauerunt, cætera ex superioribus legis usurpante ciuitate, præterquàm quod in hoc incumbebant, ut semper aliquis ex eis esset magistratus: & alij apud Athenienses ex ipsis annuum imperium tenuerunt. Et Pisistratus Hippiæ filius, illius qui tyrannus fuit, aui referēs nomen, dum imperaret, aram duodecim deorum in foro dedicauit, atq; Apollinis Pythij. Sed epigramma aræ, quæ in foro posita erat, deleuit postea populus, cùm eam aram augustius exædificauit. Nam illud Pythij adhuc extat, quamuis obscuris literis, tamen uel nunc quoque apertum in hæc uerba: Epigramma distichon:

Pisistrati epigramma.

" In Pythij Phœbi Pisistratus æde locauit
" Imperij Hippiades hæc monumenta sui.

Imperasse autem Hippiam, quòd esset inter fratres natu maximus, non modò asseuerare possum, quia famam diligentius cæteris indagaui, uerùm etiam ex hoc ipso quis licet agnoscat, quòd solum hunc ex fratribus legitimis constat filios sustulisse, quemadmodum testatur & ara & lapideus titulus de tyrannorum scelere in arce Atheniensi erectus, in quo nullus Thessali aut Hipparchi filius scriptus est, sed quinque Hippiæ liberi, quos ille suscepit ex Myrrhina Callidæ Hiperochidæ filia. Et sanè consentaneum est maximum natu inter fratres primùm duxisse uxorem, qui etiam in ipso titulari lapide secundum patrem primus inscriptus legitur. Necnon illud nonnullam fidem facit, quòd patris legatus ire, & eiusdem in tyrannide munera obire consueuerat. Neq; uerò mihi uidetur unquam Hippias statim imperiū obtenturus facilè fuisse, si Hipparchus in principatu perijsset, & eodem ipse die principatum inuasisset: sed quia id administrare iam antè solitus erat, id quod & ciuibus formidabile, & socijs seuerum erat, hac ope tutissimus obtinuit, neq; offendit, sicuti frater iunior, qui prius non fuerat assiduè uersatus in imperio. Hipparcho autem accidit ut ab illius casus infortunio nominatus, etiam existimationem tyrānidis in posterum habuerit. Hic igitur cùm solicitādo Harmodium pellicere non posset, contumelia huiuscemodi prosecutus est: Sororem Harmodij puellam cùm iussissent uenire in pompa quadam ad gestandum canistrum, à ministerio submouerunt, negantes id se iam primùm iussisse, quia indigna esset. Quod ægrè ferens Harmodius, & ob eum multò ægrius Aristogiton, comparauerunt omnia quæ ad conspirationem pertinebant, opperiebātur tamen

Titulus lapideus de tyrannorum scelere.

festa,

feſta, quæ dicuntur magna Panathenæa, quo tantùm die extra ſuſpicionem erat, ciues eos qui pompam miſiſſent, in armis frequentes eſſe, & debebant ipſi quidem aggredi, opitulari autem ſine mora ij, qui erant inter haſtatos. Fuerunt autem non multi coniurati occultandæ rei gratia: & quia ſperabant eos etiam qui conſcij non erant, qualibet paucis facinus audentibus, tamen ex repentina re, cùm arma haberent, libenter ſeipſos pariter in libertatem aſſerturos. Vbi dies feſtus aduenit, Hippias exterius in loco qui Ceramicus dicitur, cum haſtatis exornabat, quemadmodũ oportebat ſingula in pompa procedere. Harmodius autẽ atq; Ariſtogiton, cùm ſumptis iam pugionibus ad opus prodijſſent, cõſpicientes quendam de coniuratis cum Hippia familiariter loquente (erat autem facilis omnibus ad Hippiam aditus) extimuerũt, arbitrati rem palàm factam eſſe, tantumq; non ſe iam comprehenſum iri. Itaq; eum à quo fuerant dolore affecti, & per quem de omni ſtatu periclitabantur, uoluerunt primùm ulciſci, ſi poſſent: atq; quo erãt habitu uadentes introeunt portas, nactiq; Hipparchum in loco qui uocatur Leocorium, ſtatim adoriuntur inconſultè, ac per iracundiam præcipuè alter ob amaſium, alter ob dedecus, feriunt occiduntq;. Et Ariſtogiton quidẽ haſtatos à principio deuitauit, uerùm concurſu multitudinis poſtea comprehenſus, non leuiter mulctatus eſt. Harmodius autem è ueſtigio illic occubuit. Quo Hippias per nuncium cognito apud Ceramicum, non in rem præſentẽ, ſed ad pompaticos armatos, priuſquàm rem ſentirent, ſine mora contendit: longè enim aberant: & compoſito ad diſsimulationem cædis uultu, iubet eos in locũ quendã quem mõſtrauit, ſine armis abire: quod illi fecerunt, rati illũ aliquid dicturũ. Ille ſatellitibus admonitis ut arma ſubtraherẽt, ſecreuit protinus eos de quibus ſuſpicabatur: & ſi quis cum pugione deprehenſus eſt. nam cum ſcuto & haſta conſuêrant agere pompas. Hunc in modũ propter amatoriam indignationem, principiũ inſidiarum, & incõſulta ob repentinã timoris cauſam audacia extitit Harmodio atq; Ariſtogitoni. Et poſt hoc tempus ſæuior in Athenienſes tyrãnis eſt inſtituta, quòd Hippias iam ſibi uehemẽtius metuens, cõplures Athenienſium interemit, & ſimul ad externa auxilia reſpexit, ſi quid tutelæ aliquando foret, ſtatu mutato. Ideoq; poſt hæc Hippoclus Æãtidæ Lampſaceni tyranni filio Archedicen filiam ſuam collocáuit, Athenienſis Lampaſceno, quòd ſciret illos multum apud Darium regem poſſe, cuius fœminę monumentum Lampſaci hoc habet epigramma: — *Hippiæ tyrannis.*

Propugnatoris Graijs qui præfuit Hippiæ,
Hac in humo proles conditur Archedice:
Quæ patre germaniſq; uiro gnatiſq; tyrannis,
In nullum tamen eſt facta ſuperba nefas. — *Archedicę epitaphium.*

Hippias

Hippias cùm tres deinceps annos tyrannidem apud Athenienses tenuisset, quarto anno per Lacedæmonios & Alcmeonidas exules, abrogato sibi imperio, abijt, accepta fide, in Sigæum & Lampsacum ad Æantidem, & illinc ad Darium regem. Vnde pòstmodum anno uigesimo iam senex in Marathonem cum Medis in expeditionem uenit. Quæ reputans populus Atheniensis, ac memoria repetens quanta de illis cognouerat fama, exulcerato tunc animo erat: ac suspicans eos qui de hermis atque mysterijs insimulabantur, ut omnia quæ egissent, uiderentur ei spectare ad coniurationem status paucorum atque tyrannidis: & cùm ob hanc rem irasceretur, multos & eos splendidos uiros iam in carcerem coniecerat, nec dum tamen uidebatur esse contentus, indies magis ac magis crescebat sæuitia comprehendendi aliquos. Interea cuidam ex ijs, qui erant coniecti in carcerem, qui nocentissimus esse putabatur, persuasit unus ex ijs qui unà uincti erant, ut rem indicaret: ueram an non ueram, incertum est. In ambas enim partes argumenta sunt, & certum nemo aut tunc, aut postea, dicere potuit autorem facti. Persuasit autem, quòd diceret oportere eum, etiam si nihil admisisset, deposito metu, & seipsum & ciuitatem suspicione liberare, certiorē enim ipsi salutem fore, ingenuè confitenti, quàm prænegantiin subeundo iudicio. Ita hic & cōtra se, & contra alios confessus est rem actam de hermis. Quod populus libēter accipiens,

Atheniensium atrox factum.

ut opinabatur, manifestum, & iam ante indignās se scire non posse eos qui multitudini insidiarētur, indicem sine mora missum fecit, ac cæteros quos ille non detulisset. Reliquorum autem qui delati erant peracto iudicio, alios accidit, quos uidelicet comprehendit: alios fuga elapsos morte damnauit, proposita mercede ijs, qui illos occiderent: cùm interim non constaret, ij qui supplicio affecti erāt, utrum iustò supplicio affecti essent, necne. Et cæteris quidem ciuibus in præsentia manifestè hoc profuit. De Alcibiade autem inimicis deferentibus ijsdem ijs qui priusquàm proficisceretur, ingruerāt, grauiter accepit. Et ubi de hermis pro comperto habuit, tunc ei multò magis ille mystica de quibus insimulabatur, unà cum facto coniurationis in populum uisus est admisisse. Etenim exercitus quidā Lacedæmoniorū non sanè magnus, per hoc tempus, quo circa hæc Athenis turbatio extitit, ad Isthmum usque progressus est, ad nescio quid cum Bœotijs trāsigendum, quem istius opera non Bœotiorum causa creditum est ex composito uenisse: & nisi præoccupassent ipsi comprehendere illos indicio delatos, fore ut ciuitas proderetur. Et quidam unam noctem in Thesei tem-

Thesei templum

plo, quod in urbe est, sub armis pernoctarunt. Quinetiam apud Argos Alcibiadis hospites sub idem tempus in suspicionem uenerunt, ne in plebem grassarentur: & ob id Argiuis suorum tunc

potestatem

potestatem fecēre Atheniēses,quos pro obsidibus acceptos in insulis deposuerant:denique circunstabant undique Alcibiadem suspiciones.Itaque ij qui adductum eum ad iudicium uolebant,ut morte mulctarēt,mittūt ad ipsum in Siciliam,& ad alios,de quibus mentio habita erat,nauem Salaminiā:iussis nuncijs pręcipere homini,ut ad causam dicendam præsentet se,non tamen comprehendere, habita ratione tum suorum in Sicilia militum atque hostium,ne quid turbaretur,tum uel magis Mantineorum atque Argiuorum, quos ab Alcibiade inductos ad societatem expeditionis uolebant permanere. Hic igitur habens suam nauem: itemque ij, qui unà insimulabantur,profecti sunt ex Sicilia cum naui Salaminia tanquam Athenas ituri. Iidem cùm in Thurijs fuēre,nō amplius sunt secuti, neque post hac cōspecti. Siquidem è naui abierunt metu calumniæ nolentes se illuc cōferre. Quos tamen qui missi erant cum naui Salaminia uestigantes,ubi nusquā inueniunt,cursum redeuntes peregerunt. Nec diu pòst ex Thuria Alcibiades naui trāsmisit in Peloponnesum iam exul. Quem Athenienses & eos qui cum illo erant, deserto iudicio capite cōdemnarunt. Post hæc reliqui duces Atheniensium in Sicilia bifariàm diuiso exercitu, ac sortito imperantes, cum omnibus copijs in Selinuntem nauigant atque Egestam,ad cognoscendum quidem daturi ne forent pecuniam Egestani,an non,sed ad explorandas quoque res Seliniuntiorum, discendamque controuersiam quę inter illos esset & Segestanos, profecti: ac Siciliam à sinistra habentes, qua parte uergit ad sinum Tyrrhenum, Imeram tenuerunt, quæ una est Græca urbs ex omni illa Siciliæ ora, ubi non recepti redierunt. Et cùm præteruehuntur, cepēre Hyccara oppidum Sicanicum quidem, sed hostile Egestanis (erat autem maritimum) quod ubi diripuēre, Egestanis tradidēre; quorum equitatus iam aderat: ipsis rursus cum peditatu per Siculos peragrando, peruenēre usque Catanam, nauibus quæ prædam portabant circumeuntibus. Nicias ex Hyccaris protinus Egestam delatus, ibique cùm alia pecunia, tum uero triginta talentis acceptis, ad exercitum redijt. Præda quoque diuendita est, confectaque ex ea centum uiginti talenta. Illinc circumuecti Siculorum qui socij erant oram, iubebant eos suas copias mittere. Cumque dimidia exercitus parte ad Hyblam uenerunt in agro Gelatino, quę erāt hostilis, quam tamen non expugnauerunt: Æstasque excessit.

Alcibiades ad causæ dictionē euocatur ex Sicilia.

Hyccara oppidum.

Insequenti statim hyeme Athenienses ad inuadendas Syracusas se apparabāt, uicissimque Syracusani & ipsi, tanquam in illos ituri. Qui quoniam ad primum terrorem atque expectationem eos non protinus inuaserant Athenienses, quotidie magis ac magis animos sumebant: & quia dum oram illam pręteruehebentur, longè ab ipsis ire cōspecti erant, & profecti Hyblam expugnare nequiuerant, eò

uehementius contemnebant, ac postulabāt à ducibus (sicut solet præ ferocia uulgus facere) ut se Catanam ducerent, quādo hostis in ipsos non iret. Quinetiā equites Syracusani ad speculandū assidue ad castra usq; Atheniensiū prouecti, cùm alia probra ingerebant, tum uerò illud, Nunquid potius ad habitandū secum in aliena uenissent, quàm ad Leontinos in propria sede collocandos. Quæ cognoscentes Atheniensiū duces, uolebant tamen illos uniuersos quàm longissimè ab urbe abducere, ut ipsi interea sub noctem cum classe præteruecti, locum castris idoneum per ocium caperent: gnari non perinde se ualituros, si aut è classe aduersus præparatos descenderent, aut itinere terrestri ire cognoscerentur. Suæ enim leui armaturæ ac multitudini, cùm nihil dum equitum adesset, ab equitatu Syracusanorū, qui permultus esset, magnopere noceri, at illo modo se occupaturos locum unde ab equitatu nihil admodum læderentur. Et locum quidem quem caperent ab exulibus Syracusanis, qui ipsos sequebātur, edocti sunt, quem & ceperunt apud Olympiū. Ipsi autem ut hoc quod uolebant efficerent, hoc cōmentum machinati sunt. Mittunt quendā probatæ sibi fidei, eūdemq; ut putabatur, ducibus Syracusanis ad quos mittebatur, non minus familiarem, qui diceret se uenire à quibusdam Catanensibus (erat autem ipse Catanensis) quorum nomina illi nossent, & eos adhuc superesse suæ factionis studiosos. Is inquit Athenienses intra urbem depositi agitare armis: Si uelint illi certa die prima aurora cuncto cum populo uenire aduersus Atheniensem exercitū, se hunc exclusuros ab urbe, classemq; incessuros. Syracusanos autē facilè Atheniēses adortos exercitū deleturos. Permultos autem fore Catanensiū ad rem agendam adiutores, ac iam paratos esse, à quibus ipse ueniret. Huic Syracusanorū duces (ut qui erant alioqui audaciores, & habebāt sua sponte animū eundi cum apparatu aduersus Catanam) multò inconsiderantius fidem habuerunt, nec cunctati constituta die qua ad Catanā adessent, hominē remiserūt, populoq; omni edixerunt (iam enim Selinuntij & alij nōnulli ex socijs aderāt) ut se totis copijs ad exeūdū expediret. Vbi omnia quæ ad apparatū pertinerēt, in expedito fuêre, & dies qua cōstituerant uenire aduentabat, profecti Catanā uersus, castra posuêre ad Symethum flumen in agro Leontino. Quos ubi aduenietes sensêre Atheniēses, sumptis omnibus copijs & suorū & Siculorū, & si quis alius illuc accesserat, eisq; in naues ac nauigia impositis, de nocte tendūt Syracusas, & sub ortū auroræ egrediuntur in magnum portum ante Olympiū, tanquam illic castrameraturi. Syracusani interim equites primi Catanā perlati, cognito omnem classem uela fecisse, regressi nunciant peditatui. Qua de re cuncti iam reuersi sunt ad ferēdas urbi suppetias: & quia longū ipsis iter faciendum

Syracusanorū in Athenienses probra.

Olympij loci capiendi commentum.

faciendum erat, Athenienses interea per ociū copias collocauerāt opportuno in loco, unde pro suo arbitrio prælium inire possent, nec ab æquitatu Syracusanorū admodum infestari, uel ante opus, uel in opere faciendo, quod murales munitiones atq; ædificia prohibebant: super hæc arbores & stagnū & loca abrupta. Ipsi quoq; cæsis circa arboribus, & ad mare cōportatis, cācellatimq; confixis, naues prætexuerunt. Quin etiam quæ pars castrorum depresior erat, quæq; aditu facilima hostibus, eam collectis saxis ac lignis arduam festinabūdi reddidêre. Præterea pontem per quem remeatur à nauibus, soluerūt: quod opus dum fieret, nemo ex urbe progressus interpellauit. Primi Syracusanorū equites ad opem ferendam procurrerunt, mox inde uniuersus peditatus cōuenit. Et primùm ad exercitum Atheniēses accessêre propius. Dehinc cùm ab alijs non prodiretur obuiam, regressi, ac uia Eloride transmissa, castra posuerunt. Insequenti die Athenienses ac socij se instruxerunt tanquam ad prēliū, atq; ita steterunt. Dextrum cornu Argiui tenebant & Mantinei, alterum cæteri socij, Athenienses mediū. Et dimidium quidem copiarum in frōte octonis ordinibus instructum erat, dimidium uerò quod ad tentoria erat, & ipsum octonis quadrato agmine ordinibus: cui præceptum est, quamcunq; maximè partem exercitus cerneret laborantem, ad eam se conferret. Intra hos ita instructos, posuêre lixas calonesq;. Syracusani autem eos qui iustis armis præditi erāt, instruxêre denossenos, omnem uidelicet populum, & quicunque aderant sociorum. Nam in primis auxilio uenerāt Selinuntij, mox Geloi equites ad ducentos, & Camarinæi ad uiginti, sagittarijq; circiter quinquaginta, quos equites non minus mille ac ducentos in dextro collocauêre cornu, hos iuxta iaculatores. Ibi cùm Athenienses essent priores inituri prælium, Nicias singulas gentes, ut quanque adibat, talibus uerbis adhortabatur:

Niciæ uerba ad milites.

MVlta apud uos, uiri, me uti exhortatione quid opus est, ut certetis, qui ad hoc ipsum faciendum adestis? Talis enim apparatus uidetur mihi per se efficacior esse ad præbendam audaciam, quàm uerba alicuius probè dicta, si imbecillior sit apparatus. Nā ubi sumus Argiui & Mantinei & Athenienses, & primores insulanorum, quó nam pacto oporteat nos inter tantos ac tales socios non habere ingentem uictoriæ spem? præsertim aduersus homines non delectos, quales nos sumus, sed sine delectu uenientes ad resistendū, & eos quidem Sicilienses, qui & nos contemnunt, nec tamen expectant, quià minus peritiæ quàm audaciæ habent. Id uelim cuiq; uestrûm ueniat in mentem, nos procul à nostra in haud beneuola terra abesse, quàm nequaquam uos, nisi pugnando, ob-

tinebitis. Volo quoq; diuersa ratione quàm seipsos,ut probè scio, hostes adhortantur,uos admonere.Illi enim quod pro patria sibi res est,ego quod non licebit postea,nisi uincimus,patria frui,aut certè non facilè hinc in patriam reuerti.Permulti nanq; equites nobis ingruẽt. Vos igitur uestræ ipsorũ dignitatis memores,inuadite strenuè hostem,existimantes pręsentẽ difficultatẽ atq; necessitatem,quàm aduersarios,esse terribiliorem. Hæc locutus Nicias, continuò copias egit in Syracusanos,non expectãtes quidem illos eo tempore tanquã iam sibi foret dimicandũ,quorum etiam nonnulli in urbem,utpote uicinam,abierant.Qui tamen festinabundi ut suos adiuuarent currentes,tardius illi quidem peruenêre,sed ut quisque perueniebat,ibi miscens se pluribus, consistebat. Nam eis neque alacritas neque audacia defuit,aut hac in pugna, aut in cæteris:nec animi præstantia Atheniensibus inferiores erant,quatenus intelligentia suppetebat:quatenus non suppetebat, inuito animo cedebant.Et tamen quòd nón opinabantur in se uenturos Athenienses priores,quódq; properè tutari se cogebãtur,sumptis raptim armis,occurrerunt.Et primùm ex utrisq; qui uel de manu uel fundis lapides iaciunt,& sagittarij leue certamen cõmiserunt, fugiendo fugandoq; inuicem, ut in leui armatura fieri solet. Deinde & aruspices benè litatum esse palàm fecerunt, & classico canente,armati coierunt,processeruntq;.Et Syracusani quidem prelium inibant pro patria, proq; sua quisque & in præsens salute,& in posterum libertate.Ex hostibus autem Athenienses quidem pro aliena terra,sed ut suam obtinerent,néue illã uicti perderent.Argiui uerò & qui ex socijs liberi erãt,ut unà cum Atheniensibus pararent illis ea, quorũ gratia uenerant,utq; suam quisq; patriam uictores reuiserent.Socij autẽ qui alterius imperio parebãt, alacri animo erãt,præcipuè ob præsentem salutẽ,quam nisi uincerent,desperabãt.Secundo loco si non aliud,certè ut indulgentiores haberent illos quibus parebant, quòd eorũ adiutores in subigenda Sicilia fuissent. Vbi pugna ad manus uenit,diu inuicem utriq; cõstiterũt,cùm interim cõtigit ut fulgura & tonitrua aliquot simul,& pluuia ingẽs existeret.Qua ex re Syracusani quidem,qui tunc primùm pugnabant,minimè experti bellorum,terrore correpti sunt.Athenienses autem,qui expertiores erant,putãrũt ea quę fiebãt,propter anni tempus fieri:& eos qui huic rei non cederent, multò maiorem terrorem aduersarijs iniecturos.Primi tamẽ omnium Argiui impresione facta,& læuum Syracusanorum cornu, & post Argiuos in oppositam sibi partem Athenienses reliquas iam Syracusanorum copias perrumpunt,atque in fugam uertunt. Verùm non longo illos spatio persecuti sunt Athenienses,equitatu hostili, qui permultus atque inuictus erat,inhibiti.Is enim in armatos

Atheniensium & Syracusanorum conflictus.

in armatos hostes, si quos longius insequentes cerneret, inuectus, cōpescebat. Illi tamē cōferti, quoad tutè potuêre persequuti, retrò se receperūt, trophæumq́ statuerūt. Syracusani in uiam Elorinam congregati, & ut poterant è præsenti rerum statu compositi, præsidium tamen ad Olympieum, quod adhuc ipsorū erat, miserunt, ueriti ne Athenienses, qui illic erant, pecunias amouerent. Cæteri rediêre in urbem. Athenienses templum illi quidem non adiêre, sed receptis suorum cadaueribus, ac pyræ impositis, ibidem pernoctarunt. Postero die Syracusanis uictoriam cōcedentibus mortuos reddidêre, numero tam ciuium quàm sociorū ducentos sexaginta. Suorum autem tum sociorū tum Atheniensium, quinquaginta omnino amisêre: quorum ossibus, & hostium spolijs lectis, Catanam nauigauêre. Erat enim hyems, neq; bellum illic amplius uidebatur geri posse, priusquàm equites & suos ex Athenis accerserent, & sociales illinc contraherent, ne prorsus equestri certamine superarentur, utq; res pecuniaria ex eisdem locis conficeretur, & ab Athenis afferretur. Quinetiam aliquas ad defectionem ciuitates solicitarent, quas post pugnam sperabant ad se pronius defecturas: & cùm cætera, tum uerò rem frumentariam, & quæ opus erant, præpararent, tanquam sub uernum tempus Syracusas tentaturi. Et hoc quidem consilio ad hybernandum in Naxum & Catanam discessêre.

Syracusani autem, sepultis suis mortuis, concionem coëgerunt. Ibi procedens Hermocrates Hermonis filius, cùm in cæteris rebus prudenter agendis nulli secundus, tum in bellicis expertę strenuitatis cōspicuæq́ fortitudinis, exhortabatur eos, nec sinebat fortunæ succumbere. Non enim ipsorum cōsilium fuisse superatum, sed quòd ordine caruissent, hoc eis nocuisse: non tamen perinde inferiores fuisse, ut crederentur, præsertim rudes, & ut ita loquar, manuales opifices, cum eruditissimis Græcorum dimicantes. Vehementer etiam officere ducum multitudinem & imperantiū turbam (præerant enim eis quindecim duces) & inordinatam rem esse, per uices plurium principatum. Quòd si pauci forent imperatores, & ij periti, atq; per eam hyemem armatorum uim compararent, subministrantes quibus deessent arma, ut esset quàm maxima uis armatorum, & hos ad cæteras belli meditationes adigerent, affirmabat quantum credibile esset eos aduersarijs superiores fore, dum ad pręstantiam animorum quæ illis adesset, ordo rerum agendarum accederet. Nam hæc ambo inuicem adiuuare: & ordinem quidem periculorum meditatione, præstātiam uerò animi cum scientię fidelitate coniunctā, fore seipsa audaciorem. Quin ipsos imperatores ut paucos, ita summa potestate præditos deligi oportere, quibus iusiurandum præstetur, permittendo illis, ut

Admonitio Hermocratis.

Syracusani duces.

quatenus libuerit, eatenus imperio suo fungãtur. Sic enim quæ celari oportet, magis celatũ iri, & cætera pro cõmoditate præparari nullo tergiuersante. Hermocratem cùm audiuissent Syracusani, in eius sententiã omnia decreuerũt, ipsumq́ imperatorẽ delegerunt, & Heraclidem Lysimachi, & Sicanũ Execesti filiũ. Hos treis atq; legatos Corinthũ Lacedæmonemq́ miserũt, ad societatem cõtrahendã, ac Lacedæmonios persuadẽdos, ut pro se bellum aduersus Athenieñses administrarent fortius ex aperto, aut abducẽdo ex Sicilia Athenienses, aut aliquod præsidiũ ad illã Siciliensem manũ, quæ imbecillior esset, mittẽdo. At classis Atheniẽsis, quæ ad Catanam erat, continuò Messanã se contulit, tanquã receptura eam urbem per proditionẽ. Sed quæ tractabãtur, non successêre. Siquidẽ Alcibiades abrogato sibi magistratu cùm reuocaretur, gnarus se exulem fore, detulit indiciũ rei, cuius agendæ conscius erat, amicis Syracusanorũ qui Messanæ agebant. Illi delatos proditionis cùm ante omnia interemissent, & mox orta seditiõe in armis essent, obtinuêre id quod uolebãt, ne reciperẽtur Athenienses. Isti statiuis illic tredecim circiter dies habitis, ubi anni tẽpore uexari cœperunt, & necessaria deesse, nec aliquid succedebat, rediêre in Naxum: & Thracio circũdato castris uallo, hybernauerunt, missa Athenas trireme pecuniarũ & equitatus gratia, ut ea primo statim uere adessent. Per eam hyemẽ Syracusani murũ ante urbem quacunq; parte spectat Epipolas, incluso intra fano, excitauerũt, ne si fortè male pugnassent, qua parte fragilior erat urbs, circũuallari possent. Apud Megara quoq;, item apud Olympieum aliud pręsidiũ posuerunt: quinctiã quacunq; ex parte descendi à mari in terrã poterat, cancellato uallo præcluserũt. Et cùm scirẽt apud Naxum Atheniẽses hybernare, cum omni uulgo aduersus Catanã in expeditionẽ ierunt: agroq; eorum uastato, & castris Atheniensium, tabernaculisq; incensis, domum rediêre. Super hoc cognito ab Atheniensibus Camarinam missos legatos pro iure societatis initæ sub Lachete, si quo pacto ad se illos inducerent, & ipsi è diuerso misêre legationem. Erant nanque ipsis suspecti Camarinenses, quòd segnius ea quæ miserant ad superiorẽ pugnam, misissent, ne deinceps opem ferre recusarent, néue ad Athenienses, quos cernebãt è prælio superiores discessisse, ab illis persuasi, ex ueteri amicitia accederent. Profectis igitur illuc ex Syracusis Hermocrate cum alijs, Atheniensiũ autem Euphemo cum cæteris, Hermocrates aduocato cõcilio Camarinensium, quo Athenienses insimularet, hanc habuit orationem:

Syracusanorũ bellicus apparatus.

Oratio Hermocratis ad Camarinenses.

NOn ideo ad uos legati missi sumus, uiri Camarinæi, quòd timeamus ne præsenti Atheniensium exercitu terreamini, sed potius

potius ne priuſquàm à nobis quippiam audiueritis, illorum quæ facturi ſunt uerbis inducamini. Veniunt in Siciliam ſub obtentu quidem quem audiſtis, animo autem (quod omnes ſuſpicamur, & mihi uidetur) non ad Leontinos in ſedem ſuam reducẽdos, ſed ad nos potius à ſede noſtra abducendos. Neq; enim cõſentaneum eſt, illos eas quæ illic urbes ſunt, euertere: quæ autem hîc ſunt, frequentare: & Leontinorum curam gerere quaſi cognatorum, quia Chalcidenſes ſint: ipſos autem Chalcidenſes, à quibus iſti oriundi ſunt, in ſeruitute cõtinere. Itaq; quo prætextu illa obtinent, eodem nunc iſta obtinere conantur. Nam cùm à uoluntarijs eſſent tanquam ad ulciſcendum Medum duces conſtituti Ionijs, cæteriſq; qui ex ipſorum colonijs ſocij erant, eos in poteſtatem ſuam redegerunt, partim quaſi deſertores fuiſſent, partim quòd inter ſe belligerarent, partim aliam, ut in quoſq; opportunam habebant, cauſam obiectantes. Neque uerò aut Athenienſes pro Græcorum, aut Græci pro ſua ipſorum libertate Medo reſtiterunt: ſed ipſi ut ſibi, non Medo, ſeruiretur: illi ut dominum commutando acciperent non imperitiorem, ſed uerſutiorem. Verùm etſi facilè reprehenſibilis eſt Athenienſium ciuitas, non tamen ad eam reprehendendã nunc uenimus apud homines planè ſciẽtes quãta illius exiſtat iniuria, ſed uel multò magis ad reprehendendos nos, qui cùm habeamus exempla Gręcarum urbium, quæ illic in ſeruitutem redactę ſunt, non tamẽ defendamus noſmetipſos: & cùm habeamus has nobis apportatas fraudes, uidelicet Leontinorũ cognatorum reſtitutiones, & Egeſtanorum opitulationes, non conſpiremus potius, ut eis oſtendamus non eſſe nos Iones, neq; Helleſpontios, neq; inſulanos, qui dominũ aut Medum aut quẽlibet alium commutantes, ſeruiunt, ſed Dores liberos, è libera Peloponneſo Siciliam habitãtes, habitaturoſq; donec omnes oppidatim capiamur: cùm ſciamus hac una uia capi nos poſſe, & ad hãc uiam illos ſe conuertiſſe, ut alios ſuis uerbis diſſocient à nobis, alios ſub ſpecie ſocietatis ſuæ ad inuicẽ bellandum impellãt, alios pro cuiuſq; conditione iucundũ aliquid dicẽdo, quoad poſſunt, detrimento afficiãt. Et arbitratur aliquis noſtrûm, remotiore uicino iam ſubuerſo, non deuenturã in ſe quoq; calamitatẽ, ſed in eo ſubſtiturã potius, qui prior paſſus eſt? Quòd ſi quis ſtatuit non ſe hoſtem eſſe Athenienſium, ſed Syracuſanũ, & durum ſibi pro mea patria periclitari, is cogitet non magis pro mea ſe, ſed pariter ac peræque pro ſua ipſius pugnare, dum pugnat in mea, & quidem tãtò tutius, quòd me non prius euerſo, ſed ſibi ſocio, non deſtitutus ſuſcepit bellũ. Cogitet item Athenienſium non ulciſci uelle inimicitias Syracuſanorum, ſed hoc colore ſuam non minus uobiſcum amicitiam confirmare. Quòd ſi quis aut inuidet, aut metuit (inuidiæ enim ac

Siculorum origo.

timori obnoxij ſunt potentiores) & ob id uult Syracuſas quo ſimus modeſtiores, damno affici: ſupereſſe tamen, quo ipſe tutius degat, hic non humanæ poteſtatis animo ſperat. Neque enim poſſunt homines in ſuo arbitrio peræquè habere uotū pariter & fortunam. Nam ſi aliter atq; expectauit eueniat, tunc calamitatis ſuæ tædio forſitan uelit rurſus ut prius bonis meis poſſe inuidere, quod iam impoſsibile eſt deſertori, & qui recuſauit eadem ſuſcipere pericula, non de uerbo, ſed de re. Qui enim nos tuetur, nomine quidem ſtatum noſtrum, opere autem ſuam ipſius ſalutem tuetur. Et ſanè decebat uos præcipuè, qui finitimi eſtis, Camarinæos, quiq; ſecundum nos periclitamini, iſta proſpicere: neq; ſegnes, ſicut hactenus, præbere uos ſocios, ſed ueſtra potius ſponte uenientes ad nos, exhibere hortatores, ne animo ſuccumberemus: nunc eadem nobis allegando, quæ allegaſſetis ope noſtra indigentes, ſi contra uos prius Athenienſes ueniſſent. Sed neq; uos nunc, neque alij ulli ad hoc agendum acceſſerunt. Sed fortaſſe metu, ius & erga nos, & erga hoſtes noſtros ſeruabitis, cauſati uobis eſſe cum Athenienſibus ſocietatem. At eam quidem non contra amicos cōtraxiſtis, ſed contra hoſtes, ſi qui uos inuaderent: utq; Athenienſibus eſſetis auxilio, quoties eis fieret ab alijs iniuria, nō cùm ipſi (quemadmodum nunc uicinis ueſtris) iniuriam facerent: quia ne Rhegini quidem, etſi Chalcidenſes ſunt, uolunt reſtituere Leontinos, qui ſunt Chalcidenſes: & mirum eſt ſi illi, uidelicet Rhegini, dum factum Athenienſium (quod ſpeciem habet æquitatis) ſuſpectum habent, iniquè ſe modeſtos præſtant: uos uerò, dum eos qui natura ſunt hoſtes iuuare uultis, eos uerò qui magis etiam natura cognati ſunt, perdere, ijs iuncti qui ſunt inimiciſsimi, iuſtam cauſam habetis. At non æquum eſt, ſed propulſare potius, neq; timere eorum opus pulchrum apparatum, qui non eſt pertimeſcēdus, ſi inter nos omnes conueniet: ſed ſi contrà non conueniet, id quod iſti efficere laborāt, qui non aduerſus nos ſolos uenerunt (neq; enim ea quæ optabant, etſi prælio uictores extitêre, peregerunt) uerùm protinus abierunt. Itaq; nobis, ſi ſimus uniuerſi, non eſt deſperandum, ſed ad ſocietatem alacrius eundum, præſertim uenturis huc è Peloponneſo auxilijs, qui homines ſunt iſtis in re bellica longè præſtātiores. Neq; illud circunſpectum uobis eſſe uideatur, quod nobis quidem æquum, uobis autem tutum ſit, nolle alterutris auxilio eſſe, tanquam utrorunq; ſocijs. Non enim ut iure iſtud, ita facto par eſt. Nam ſi propterea quòd uos abeſtis à partibus, ij quibus bellum infertur, ſuccumbent, & alij uictores exiſtent, quid aliud niſi horum ſalutem non defenditis, illos ne mali fiant non prohibetis? Atqui ſatius fuerit, iniuriā patiētibus, & ijs quidem cognatis, adeſſe, cōmune Siciliæ cōmodum tuendo, & Athenienſes

amicos

amicos non ſinere peccare. Atq; (ut ſemel omnia complectamur) nos Syracuſani dicimus nullius negocij eſſe planè docere aut uos aut alios, ea quæ nihilominus ipſi cognoſcitis: ſed precamur pariter & obteſtamur, niſi uerbis noſtris obtemperatis, inſidias ab Ionibus tēdi perpetuis hoſtibus, & à uobis prodi Doribus Dores. Qui ſi ab Athenienſibus ſuperemur, propter ueſtra quidem conſilia ſuperabimur: ſed uictoriæ laus penes illos erit, nullum aliud præmium accepturos, quàm eum ipſum qui uictoriam ſubminiſtrauit. At ſi uictoria penes nos fuerit, pœnam luetis, quòd autores extiteritis periculorum noſtrorum. Quare conſiderate, atque iam nunc eligite aut præſentem ſine periculo ſeruitutem, aut hoc, ut ſi uiceritis nobiſcum, ne turpiter iſtos dominos ſuſcipiatis, & inimicitiam noſtram non breuem deuitetis. Hæc Hermocrate locuto, Euphemus Athenienſium legatus ita excepit:

Oratio Euphemi Athenienſium legati ad Camarinenſes.

VEneramus quidem ad renouandā priſtinam inter nos & uos, Camarinæi, ſocietatem. Sed quoniam Syracuſanus nos inceſsit, neceſſariū eſt etiam de imperio noſtro uerba facere, qua ratione illud meritò obtineamus. Atq; huius rei uel maximè iſte teſtimonium perhibet, qui dixit Iones ſemper Doribus extitiſſe hoſtes, ſed ita res ſe habet. Nos enim cùm ſimus Iones, Peloponneſes autem Dores, ijdemq; & plures nobis & accolę, dedimus operam ut illis quàm minimùm obediremus: & poſt Medicum bellum, cùm claſſem haberemus, à Lacedæmoniorum imperio ac ductu exemimus, arbitrantes nihilò magis conuenire ut illi nobis, quàm ut nos illis imperaremus, niſi quamdiu plus ipſi quàm nos ualuerunt. Iidem nos omnium Græcorum, qui prius regi paruerant, principes conſtituti, noſtra incolimus, exiſtimantes ſic minimè oportere nos Peloponnenſibus obnoxios eſſe, habentes uim qua uim propulſemus. Atq; ut ingenuè loquamur, non iniuria in noſtram redigimus poteſtatem Iones atq; Inſulanos: quos etſi cognatos noſtros, tamen ſeruire nobis aiunt Syracuſani. Quippe uenerant cum Medo, aduerſus nos metropolim ſuam, non auſi amittére res domeſticas, ſicut nos qui urbem deſeruimus: ſed deficientes à nobis, maluerunt & ipſi ſeruire, & nobis ſeruitutem inducere. Propterq; digni ſumus qui imperemus, & quòd plus nauium quàm cæteri, plusq; animorum ſine ulla tergiuerſatione præſtitimus pro Græcia, quodq; ab iſtis hoc idem enixè præſtātibus Medo, læſi fuimus. Et ſuper hæc, uires aduerſus Peloponenſes optantes, alteri non paremus, & meritò imperamus, uel quia ſoli Barbarum profligauimus: uel quia pro iſtorū magis, quàm pro uniuerſorum aliorū, aut pro noſtra ipſorum ſalute, periculum adiuimus.

Licet

Licet autem sine cuiusquam inuidia salutem conuenientem comparare:& nunc cùm huc quoq; præsidij nostri gratia uenerimus, uidemus uobis quoq; hæc esse utilia. Atque hoc ex ijs demonstramus quibus nos isti criminantur,& uos præcipuè uobis timendū suspicamini: scientes eos qui præ ingenti metu suspicātur aliquid, solere in præsentia orationis suauitate mulceri, in exequendo autem postea ea agere, quæ sibi conducant. Etenim nos illic imperiū tenère ob metum memorauimus,& eadem de causa uenisse huc, ut cum amicis res hîc tutò constituamus, non ut in seruitutem redigamus, imò potius ne hoc patiantur, ut prohibeamus. Neq; opinetur quispiã, nos ea quæ quasi nihil ad nos attineant curare, cùm sciat statu uestro incolumi, qui non estis ad resistendum Syracusanis imbecilli, minus noceri nobis posse à Peloponnensibus, ad quos minus copiarum Syracusani submitteret. Et in eo pertinetis iam ad nos maximè, ideoq; etiam Leontinos restitui conuenit, nec subditos esse, quales sunt eorum consanguinei apud Eubœam, sed quàm potentissimos, ut istis uicenostra finitimis suis infesti sint ex sua terra. Nam bello domestico per nos ipsi sufficimus ad hostem propulsandum. Et Chalcidenses, quos quia subegimus, Syracusanus hic ait absurdè nos uelle eos qui hîc sunt, asserere in libertatem, utiles nobis erūt, immunes militia, tantùm pecuniam pendentes. Vtiles item, qui apud Siciliam sunt Leontini, ac cæteri amici, quàm plurimi potuerint à nobis asseri in libertatem. Et sanè uiro tyrannidem,& ciuitati principatum obtinenti, nihil non honestum quod utile est: nihil proprium, quod non idem fidum sit. Atq; omnibus in rebus, uel amicum, uel aduersarium fieri oportet ex temporis commoditate:& nobis cōmodum est hoc loco, non ut amicis noceamus, sed ut per amicorum potentiam inualidi reddantur inimici. Quod non debet apud uos carere fidè. Nam socijs illic nostris ita imperamus, prout quisque nobis est utilis: Chijs & Methymnæis ut classem præbeant, cætera ut liberi sint, multis ut maiorem pecuniam soluāt, alijs ut liberi omninò socij sint, tametsi insulani & prædæ opportuni, quia in Pelopōneso adiacent in locis ad occasionem expositis. Ex quo credibile est, quod facimus hîc quoque ad utilitatem spectare. Atq; hoc quod dicimus, pertinet ad inferendum terrorem Syracusanis, qui uobis dominari affectant, imò toti Siciliæ: idq; obtinere aut ui, aut uestra solitudine, si nos re infecta redierimus, à quibus illi uos tanquam suspectis abducere uolunt. Quod euenire necesse est, si uos ad eos transieritis. Nam neq; nobis facultas erit amplius parandi tantum copiarum, neque isti inualidi contra uos erunt nobis absentibus. Hoc si cui non uideatur, res ipsa arguit. Siquidem cùm primùm nos adijstis, hortatiq; estis, nullum alium metum allegastis, nisi fore ut si neglexissemus

xissemus uos in Syracusanorum uenire potestatē, ipsi periculum adiremus. Quo minus decet nunc qua ratione postulastis ut induceremur, eadem uos induci nolle: & hoc quod aduersus istorum uim ualidiore cum classe adsumus, in suspicionem uocare, cùm potius de istis diffidere debeatis. Nos uobiscum ne manere quidem hîc possumus, si mali effecti res nobis subijceremus, inualidi ad eas retinendas tum longitudine nauigationis, tum difficultate custodiendi urbes, & magnis alioqui, & mediterraneis copijs subnixas. At isti non exercitu, sed urbe maiore quàm est aduentus noster uobis finitimi, insidiantur assiduè, quamcunque sibi oblatam occasionem non omittentes. Id quod iam declararunt, cùm erga alios, tum uerò erga Leontinos: & nunc declarāt, cùm audent contra nos, à quibus hæc facere prohibentur, & Siciliam hucusque subigere, uos hortari uelut stupidos. At nos è contrario ad multò ueriorem salutem exhortamur, orantes ne mutuam ex utrisque nostrûm utilitatem prodatis, sed existimetis semper istis in uos etiam citra sociorū auxilia, propter populi multitudinem esse uiam expeditam, uobis uerò non sæpe futuram facultatem cum tot auxiliaribus copijs eos arcendi: quas si aut ob suspicionem infecto negocio, aut accepta calamitate sinetis abscedere, optabitis profectò aliquando etiam cernere maiores, dum non erit amplius huc ueniendi copia. Sed ne criminationibus istorum aut uos Camarinæi, aut alij fidem habeant, exposita per nos omni cur suspecti simus ueritate. Quibus summatim in memoriam uestram redactis, oramus ut obtemperetis. Non enim negamus, nos quidē aliquot circa populis imperitare, ne nobis alius imperitet, sed tamen adesse ad Sicilienses seruitio eximendos, ne quid ab eis lædamur: & quo plura custodienda habemus, eo ad plura facienda cogi, & socios tum antea, tum uerò nunc uenisse ijs uestrum, quibus infertur iniuria, non sponte nostra, sed uocatu uestro. Quos nequaquā uos tanquam facti iudices aut censores rerum quæ à nobis geruntur, quod iam difficile factu est, reuocare tētetis. Sed quatenus studium nostrum uobis actionesque conducunt, eatenus in usum uestrum assumatis, existimetisque non omnibus peræque hæc officere, sed etiam prodesse multò pluribus Græcorum, non modò non officere. In omni loco etiam ubi non imperamus, coguntur homines propter arma nostra & ad succurrendum & ad ulciscendum parata: & qui insidias tendunt, ab inferenda iniuria temperare: & qui sibi iniuriam fieri putant, nullo negocio incolumes fieri. Quare eodem quo cæteri modo facientes, iuncti nobiscum reddite uices Syracusanis: & ne semper ab eis caueatis, aliquando uos ipsis insidias tendite. Hæc Euphemus. At Camarinæorum ita se habebat affectus: Atheniēsibus quidem benè uolebāt, nisi quatenus

eos affectare imperium Siciliæ suspicabātur: à Syracusanis autem quibus contermini sunt, assiduè dissidebant: tamen propter hanc ipsam uicinitatem ne sine se illi uincerent, miserūt ad eos tunc primùm aliquot equites: ac deinceps putauerunt eisdem potius inseruiendū, sed opera quàm possent modestissima. Verùm in præsentia ne minoris facere uiderentur Athenienses, qui in pugna uictores extiterant, æquale utrisque responsum ediderunt, cùm inter se consultassent, hunc in modū: Quoniam bellū inter eos gereretur, qui ipsis socij essent, uideri sibi è iureiurãdo esse, neutris contra al-

Camarineorū responsum.

teros in præsenti auxilia ferenda. Quo reddito responso, utriq; legati abierunt. Et Syracusani quidem ad bellum sese omni ope accingebant: Athenienses autem apud Naxum statiua habentes, quod ad Siculos pertinebat, ut eorum quamplurimi ad se transirent, operam dabant. Quorum Siculorum complures, præcipuè qui plana incolentes Syracusanis parebant, defecerunt: qui uerò mediterranea tenebant, & quorū urbes erant liberæ, ac fuerant li-

Defectio Siculorum ad Athenienses.

bera semper antea domicilia, protinus, præter paucos, Atheniensibus se applicuerunt, commeatumq; ad exercitū comportarunt, nonnulli & pecuniam. Qui deficere à Syracusanis recusabant, eos admotis Athenienses copijs partim ad deditionem compulerūt, partim ne missa à Syracusanis auxilia possent adire, prohibuerūt. Iidem per hyemem mouentes è Naxo, Catanam uenerunt. Ibi castra sua à Syracusanis incensa rursus excitauerunt, atq; ibidem hy-

Carthaginēses implorātur ab Atheniensibus.

bernauerunt. Vnde etiam Carthaginem cōciliandæ amicitiæ gratia, si quid proficere possent, triremem miserūt, & ad maritimas ciuitates Tyrrheni maris, quarum nonnullæ ultrò se belli socias fore spoponderunt. Circummiserunt item ad Siculos atq; Egestam, iubentes ut equites sibi quàm possent plurimi mitterentur. Cæteraq; quæ ad murum circumducendū, lateres, ferrum, & quæcunque in rem erant præparauerūt, tanquam ineunte statim uere bellum inituri. At legati Syracusanorum, qui Corinthum ac Lacedæmona missi fuerant, in præteruehēdo Italicas ciuitates persuadere conati sunt, non esse illis cōtemnenda quæ ab Atheniensibus fie-

Corinthij à Syracusanis.

rent, tanquam eis pariter insidiosa. Appulsi Corinthum uerba fecerunt, postulātes ut ipsis pro iure cognationis subuenirent. Quibus exemplò Corinthij primi omnium decreuerunt omni studio subueniendum: cumq; eis legatos ad Lacedæmonios miserunt, ut illos quoq; inducerent, & ad bellum apertius gerendū cum Atheniensibus, & ad aliquid auxiliorum in Siciliam mittendum. Hi le-

Alcibiades Lacedæmonē concedit.

gati Lacedæmonem uenerūt, eodemq; & Alcibiades cum ijs, qui unà exules erant, naui oneraria paulò pòst aduectus, primùm ex Thuria in Cyllenen quæ est agri Elei, mox deinde in Lacedæmonem ab ipsis Lacedæmonijs accitus, data ei fide, quoniam illuc accedere

accedere uerebatur, propterea quæ cum Mantinæis transegerat. Contigitꝙ ut apud concilium Lacedæmoniorum, eadem & Corinthij & Syracusani & Alcibiades suadendo precarentur. Et cùm ephori atꝙ alij magistratus Lacedæmoniorũ in animo haberent mittere Syracusas legationem, quæ illos cum Atheniensibus pacisci prohiberet, non tamen ad ferenda auxilia prompto animo essent, processit Alcibiades, eosꝙ huiuscemodi uerbis excitauit atque exacuit:

Oratio Alcibiadis ad Lacedæmonios.

NEcessariũ mihi est ante omnia de mea criminatione apud uos uerba facere, ne suspectum habentes me cùm de Republica loquor, non libenter audiatis. Cùm mei progenitores propter accusationem quandã hospitium uestræ ciuitatis repudiassent, ipse rursus illud instaurauí: coluiꝙ uos cùm alijs rebus, tum uerò circa cladẽ quam ad Pylum accepistis. Atꝙ in hoc erga uos affectu cùm ego perseuerarem, uos recõciliati cum Atheniensibus per eos inimicis quidẽ meis potentiã, mihi uerò ignominiam attulistis. Propter quæ ad partes Mantineorũ Argiuorumꝙ non immeritò trãsgressus, atque hostis factus, uobis quoquo modo nocui. Quòd si quis tunc irascebatur mihi cùm nocebamus, is certè nunc si uerè consideret, pacabitur. Item si quis, quòd factionem popularẽ sectatus sum potius, de me peius sentiat, ne hic quidẽ rectè putabit mihi succensendũ. Semper enim tyrãnis fuimus infesti. Quicquid autem imperitãti aduersatur, id populus nominatur: atꝙ hinc penes nos popularis autoritas permansit, & statu populari urgente, plerunꝙ necesse nobis fuit rebus præsentibus obsequi. Tamen licẽtia quæ circa Rempublicã intemperãtię erat, temperatè uti sumus conati, cùm non defuissent tam superiore quàm nostra memoria, qui plebẽ in deteriora deducerent, qui & me eiecerũt. Nos autem toti negocio sic præfuimus, ut iustũ sentiremus, qua cõditione florentẽ maximè ac liberã ciuitatẽ quis accepisset, in eãdẽ cõseruaret. Nam popularem statũ cùm omnes qui aliquid sapimus cognitũ habemus, tum uerò ipse quo maiore iniuria affectus sum. Verùm de manifesta amentia, nihil noui dici posset: & eam mutare, non uidebatur nobis esse tutũ, dum à uobis hostibus obsideremur. Hactenus de ijs quæ mihi inuidiã conflauerunt. Nunc quod ad ea pertinet, de quibus uobis deliberandũ, & si quid quòd magis ego compertum quàm uos habeam, cõmemorãdum est, cognoscite. In Siciliã eo animo traiecimus, ut Siciliẽses primùm si possemus in nostram potestatem redigeremus. Mox deinde Italicos, tum ut Carthaginensiũ socijs, atꝙ ipsis etiã Cartaginẽsibus imperare tentaremus. Quæ si procederent, aut omnia, aut pleraꝙ, tum uerò Pelopõnesum aggrederemur, sumptis illinc uniuersis Græcorum copijs,

multisq; Barbarorũ mercede conductis, & Iberis, & alijs, qui sine controuersia cunctorũ illic Barbarorum nunc sunt pugnacissimi: ædificatis etiam permultis triremibus præter nostras, affatim materiæ habente Italia, qua Peloponnesum circunsideremus. Peditatu pariter à terra inuadentes, urbium alias ui expugnãdo, alias circumuallando, sperãtes facilè nos debellaturos, & mox omnis Græciæ imperio potituros, pecuniam & rem frumentariã ad hæc commodius transigenda, eisdem illis oppidis suppeditantibus, præter eos conuentus qui hinc exigerentur. Quæ ad classem quæ modò profecta est pertinent, audiuistis ex homine, qui quæ cogitaueramus exploratissima habet: quæ etsi discessi illinc, tamen à reliquis imperatoribus conficientur, si poterunt. Cui rei nisi occurratis, nihil ibi obstiturum esse iam discite. Etenim Sicilienses homines imperiti illi quidem sunt rei militaris, tamen si conueniant, frequentesq; bellum ineant, nunc quoq; superiores fuerint. Verùm soli Syracusani qui uniuersi quondam & in acie uicti sunt, & à nauigãdo cohibẽtur, impares erunt exercitui qui nunc est illic Atheniensiũ. Quæ urbs si capiatur, reliqua quoq; Sicilia occupabitur, mox & Italia. Atq; hoc quod prædixi uobis impendere periculũ, non diu aberit quin in uos decidat. Itaq; nemo sentiat de Sicilia solùm consultari, uerùm etiam de Peloponneso, nisi properè hæc executi fueritis, talemq; illuc classem dimiseritis, ut ijdem remiges sint & milites: & quod ipso exercitu magis expedire opinor, uirum Spartiatam pro imperatore, qui & præsentes in officio teneat, & recusantes adesse compellat. Sic enim & qui uobis amici sunt, plus fiduciæ habebunt: & qui animo nutant, minus timidè accedent. Et quod ad hæc loca pertinet, debetis apertius bellum Atheniensibus inferre, ut Syracusani sentientes curam uos sui gerere, resistant uehementius, & Athenienses segnius alia auxilia suis mittant. Quin etiam Deceleam ab Attica muro intersepire, quod Athenienses semper præcipuè formidãt, quodq; solùm rentur in hoc bello non esse tentatum. Et sanè quis ita maximo damno hostes afficit, si quæ illi maximè reformidãt, hæc ipse ubi planè explorarit, inferat. Credibile enim est, unumquenque quæ sibi periculosa sunt, ea & scire præcipuè, & timere. Quantopere autem ex hac muri extructione, uobis utiles, aduersarijs inutiles futuri sitis, ut multa omittam, quæ maxima sunt summatim dicam: Intersepto Atheniẽsium agro, pleraq; oppida uestræ ditionis erunt, partim capta, partim ad uos ultrò deficientia. Prouentus quoq; ex argentifodinis Laurij, & quæcunque illis nunc è terra, atq; è iudicijs commoda suggeruntur, statim cessabũt: præsertimq; quæ à socijs obueniũt, minus obuentura, ipsis socijs iam Athenienses paruifaciẽtibus, si intellexerint uos omni ope bellũ administrare. Quarũ rerum ut maturè aliquid & impigrè

Laurij argenti fodinæ.

impigrè fiat, in uobis ſitum eſt, Lacedæmonij. Nam & hoc fieri poſſe, nec me falli opinione, prorſus cōfido. Neq; uerò debeo aut cuiquam ueſtrûm uideri deterior, ſi qui inter infeſtiſsimos uobis hoſtes aliquando publicola habitus ſum, idem nunc contra Rempublicam meam acerrimè tendo: aut in ſuſpicionem uenire, quaſi emerendi in exilio fauoris gratia loquar. Exulo quidem, ſed à peruerſitate illorum qui me eiecerunt, non autem à ueſtra (ſi mihi credideritis) utilitate. Neque mihi pro hoſtibus magis habendi uos, qui aliquando hoſtes nobis nocuiſtis, quàm qui ut amici fierent hoſtes mihi, coëgerunt: mihi tunc publicolæ, non nunc cùm iniuriã patior, ſed cùm tutò in Republica uerſabar. Quæ cùm amplius mihi patria non ſit, non reor me aduerſus patriam ire: ſed ad eam multò potius, quæ nulla eſt, recuperandam. Atq; is rectè amator patriæ eſt, non qui ſuam cùm iniuſtè amiſerit, non inuadit: ſed qui eam quoquo modo poteſt, ob illius deſiderium recuperare conatur. Itaque ego dignum me arbitror, Lacedæmonij, quo & in periculis & in laboribus omnibus intrepidè utamini: cùm ſciatis hunc ſermonem uulgò in prouerbium ueniſſe, Qui dum hoſtis eſſet, uehemẽter nocuit, eundem ſi amicus ſit, ſatis profuturũ, eò quidẽ magis, quòd res Athenienſes cognitas habeo, & ueſtras coniectura colligo. Poſtuloq; ut cùm de maximi momenti rebus cōnſultari ſentiatis, ne pigeat expeditionem uos in Siciliam atque in Atticam ſuſcipere, ut illuc traijcientes parua manu, res ibi maximas conſeruetis, & Athenienſium potentiam præſentem pariter & futuram euertatis: ipſi in poſtero tutò habitaturi, & cunctæ Græciæ non coactæ, ſed uoluntariæ imperiò potituri. *Prouerbium.*

Hæc Alcibiades. Qua ratione Lacedæmonij, cùm iam anteà & ipſi cogitarẽt bellum Athenis inferre, ſed adhuc aliquid circunſpectantes cunctarentur, multò tamen magis ſunt confirmati, exiſtimantes ſe audijſſe atq; edoctos eſſe omnia, ab eo qui hæc planiſſimè noſſet. Itaq; ad intercludendam iam Deceliam animum inten derunt, & ſtatim aliquid auxiliorum in Siciliam mittere: præficientesq; Syracuſanis Gylippum Cleandridæ filium, iuſſerũt eum habito cum illis & cum Corinthijs conſilio curare, ut quàm poſſet maximè ac maturrimè illuc aliquid præſidij iret. Ille Corinthios ut in Aſinam ad ſe iam duas naues mitterent iubet, cæteras appararent quaſcunque mittere deſtinaſſent: quæ cùm tempus adeſſet ad nauigandum, in expedito forent. His conſtitutis, è Lacedæmone diſceſſum eſt. E Sicilia autem triremis Athenienſium, quam duces miſerant pecuniarum atq; equitum gratia, Athenas uenit. Cuius poſtulata cùm audiſſent Athenienſes, decreuêre & commeatum mittendum & equitatum. Atque hyems exceſsit, ac decimus ſeptimus huius belli annus, quod Thucydides conſcripſit. *Gylippus.*

Decimioctaui anni initium.

Insequente æstate initio statim ueris, Athenienses qui in Sicilia erant, mouẽtes è Catana nauigauerũt aduersus Megara, queæ est in Sicilia: unde exterminatis cum Gelone tyrãno oppidanis (quẽadmodum prius à me cõmemoratũ est) Syracusani agrũ posſidebãt. Hunc agrũ egreſsi nauibus Atheniẽſes, populati sunt, & progreſſi ad castellũ quoddã Syracusanorũ, cùm id non expugnaſſent, rursus tam pedestri itinere qua nauigatione ad flumẽ ſe Teriam receperũt: trãſgreſsiꝙ campestria uastauerunt, frumentumꝙ incenderunt, & aliquot Syracusanorũ, in quos non tamen multos inciderant, interfecerũt: atꝙ ad naues erecto trophæo, rediêre. Reuerſiꝙ Catanã, & illic frumẽtati, cũ omnibus copijs profecti sunt in Centoripa oppidũ Siculũ. Quo cùm ex cõuentione intraſſent, incensis segetibus Ineſſæorũ ſimul & Hylbæorũ diſceſsêre: ac reuecti Catanam, offendũt equites ducẽtos quinquaginta Athenis uenientes, sine ipsis equis, sed cum illorũ ornatu, tanꝙ Sicilia equos ſuppeditatura: & equeſtres ſagittarios triginta, necnõ argẽti talẽta trecẽta.

Argiui, Lacedæmonios populantur.

Eodem uere Lacedæmonij ſumpta aduerſus Argos expeditione, cùm Cleonarũ tenus ueniſſent, facto terræmotu, rediêre. Post quorũ diſceſſum, Argiui in agrum Thyreensem ſibi cõterminum ingreſsi, magnã ex Lacedæmonijs prædã egerunt, quæ diuendita est talẽtis amplius uigintiquinꝙ. Neꝙ ita post eadẽ æſtate populus Theſpienſis impetũ fecit in magiſtratus, sed res fruſtrà fuit: ſuccurſuꝙ Athenienſiũ Theſpienſes partim cõprehenſi ſunt, partim Athenas effugerũt. Per eandem æſtatẽ, Syracusani percepto equitum aduẽtu ad Atheniẽſes, & in ſe iamiam futuro, arbitrãtes ſi hoſtis non occuparet Epipolas, locum præruptũ urbi imminentẽ, ſe non facilè poſſe circũuallari muro, ne ſi prælio quidẽ uincerentur, conſtituerunt loci aditus obſeruare, ne latenter illuc hoſtis aſcenderet. Non enim alia parte conſcendi poſſe, quia cæteræ arduæ eſſent. Hic eſt urbe tenus aliquantulũ decliuis, & introrſum omnino patens locus, ideoꝙ à Syracuſanis Epipolæ uocatus, quia eminet plurimũ alij loco. Itaꝙ prima ſtatim luce, omnis populus urbe egreſſus eſt in pratũ iuxta Anadũ amnẽ, ductu eorũ qui unà cum Hermocrate iam imperiũ acceperãt: ibiꝙ recenſitus atꝙ recognitus. Et delecti ſunt prius ſexcẽti armati, præfecto eis Diomilo Andrio exule, qui præſidio eſſent Epipolis, & ſi quid aliud accideret, è ueſtigio cõueniẽtes adeſſent. Ea nocte cùm diluceſceret, Athenienſes recenſitis copijs, cum ijs omnibus è Catana profecti ad locũ nomine Leonẽ, ab Epipolis ſex ſeptémue ſtadijs diſtantẽ, clàm hoſte peditatũ in terram expoſuerũt, & cum claſſe Thapſum ſubierunt (quæ anguſto terræ limite in mare prominens peninſula eſt) non procul à Syracuſis, ſiue terra ſiue mari. Eam terræ anguſtiã cãcellato uallo cùm obſepiuiſſent, nautici milites quieuêre. At peditatus

Epipolarũ situs & appellatio.

Leon locus.

extemplo

extemplo ad Epipolas cursu contendit: cõscendensq; ab Euriclo, locum occupat, priusquàm Syracusani è prato post recensionẽ cognita re adessent. Adfuerũt autem auxilio, cùm alij ut quisq; celerrimè poterat, tum uerò illi sexcenti, quibus præfectus erat Diomilus. Interiacebat autem à prato, usq; ad locũ ubi hostibus occurrerunt, non minus quinq; ac uiginti stadijs. Hunc itaq; in modum in illos Syracusani incidẽtes, ac uicti prœlio apud Epipolas, in urbem rediêre, amisso Diomilo, & alijs ferè trecentis. Quibus Athenięses redditis hosti uictoriam concedenti, trophæoq; erecto, descenderunt posterò die aduersus urbem: & quum nemo obuiam prodiret, regressi, castellum apud Lapdalum excitant in summa crepidine Epipolarum, qua parte uergunt ad Megara, ut esset illud cella uasorum atq; pecuniarum, quoties aut ad pugnandum, aut ad murum extruendum ipsi prodirent. Nec ita multò pòst superuenerunt eis ex Egesta equites trecenti, & Siculorum Naxiorumq; & aliorum quorundam circiter centum, cùm ipsorum essent ducenti quinquaginta, qui sibi equos partim ab Egestanis Catanensibusq; sumpserunt, partim mercati sunt: quorum equitũ summa extitit sexcentorum quinquaginta. Imposito itaque apud Labdalum præsidio, aduersus Sycam profecti sunt: quam obsidentes, cùm properè muro conclusissent, pauorem Syracusanis ipsa festinatione præbuerũt. Illi tamen ne rem negligerẽt, egressi sunt animo pugnandi: sed eos cùm utrinque iam acies instruerentur, uidentes sui duces dissipatos esse, ne facilè in ordinem redigi, in urbem reduxerunt, præter quandam equitatus partem, quæ remansit ad impediendos Athenienses, quò minus & lapides legerent, & longius uagarẽtur. Eam una cohors Atheniensium armata, atq; omnis pariter equitatus adorti, in fugam uerterunt, nonnullosq; occiderunt. Cuius equestris uictoriæ trophæum statuerunt. Postero die pars murum aquilonem uersus extruebat, pars lapides atque materiam comportabat ad locum, cui nomen Trogilum, deponens semper qua parte breuissimus murus fiebat è magno portu ad alterum mare. At Syracusanis non placuit amplius totius populi uiribus in prælio periclitari, præcipueq; ductu Hermocratis: sed quod satius murum substruere, qua parte illi suum ducturi erant, & si in discludendo hostem præuenirent, simulq; sibi ibidem præsidium posuissent, mittere aliquam partem copiarum ad occupandos aditus atque intersepiendos. Hostem enim, si opus absoluerit, omnes populos ad se asciturum. Egressi itaque murum excitant, ducto ab urbe ipsa exordio subter ambitum muri Atheniensium ex transuerso, excisis oleis fani, ex quibus turres ligneas erexerũt. Adhuc enim ipsi maritima obtinebant, nondum Atheniensium classe in magnum portum circumducta è Thapso,

Syracusanorũ clades.

unde illi terreſtri itinere neceſſaria afferebant. Vbi ſatis habere & uallum & ſubſtructionem muri uiſum eſt, nunquam interpellantibus eos Athenienſibus, quòd & ipſi ſuas munitiones abſoluere properabant, quodq; timebant, ſi bifariàm agitarent, ne facilius oppugnarētur, in urbem rediēre, una cohorte in pręſidiū operis relicta.

Athenienſium in Syracuſanos excurſio.

At uerò Athenięſes tum fiſtulas aquęductus, quæ aquā ad potandum in urbem ferebant, interciderūt, tum ſpeculati alios Syracuſanorum per meridiem intra tentoria ſe tenentes, alios in urbem regreſſos, alios pro uallo ſegniter excubantes, conſtituunt ut trecenti ex ſuis armati, & item ex leui armatura aliquot utrique electi, repentè incurrerent in ſubiectas hoſtium munitiones, cæteræ copiæ bipartito ſub ſuo quæq; duce contenderent: altera ad urbem, ſi illuc ſuccurreretur: altera ad uallum, qua uicinum pyramidæ portulæ erat: aggreſsi uallum trecenti illi capiunt, cuſtodibus id deferentibus, & ad murum templo circundatū refugientibus: quo pariter irrumpentes qui perſequebantur atq; ingreſsi, ui rurſus à Syracuſanis eiecti ſunt: ibiq; aliquot Argiuorum atq; Athenienſium occiſi: cæteræ copiæ diruto muro reuulſoq; uallo, reuerterunt, uallos ſecum pro ſe quiſque portantes, ac trophæum erexerunt. Poſtremo die locum arduum paludi imminentem, muro cinxerunt, unde ex Epipolis in magnum portum proſpectus eſt, & qua breuiſsimus eis muri ambitus foret deſcendētibus per planum & paludem in portum. Hoc interim ſpatio Syracuſani egreſſi, rurſus & ipſi uallum reparant, inchoatum ab urbe per mediam paludem, foſſamq; pariter & aggerem ducūt, ne liceret Athenienſibus murum ad mare uſq; producere. Illi perfecto ſuperius opere,

Syracuſani uincuntur.

iterum aggredi ſtatuunt Syracuſanorū foſſam & uallum. Itaq; iubent claſſem ex Thapſo circumagi in portum magnum, ipſi circa auroram ab Epipolis deſcendentes in planū, per paludem (qua limoſa erat, & minimè dumoſa) ſubſtratis foribus, latisq; aſſeribus, ac deſuper inſcendētes, ſub ipſum diluculū foſſam capiunt & uallum pręter exiguā partem, mox & id quod reliquum erat: prælioq; ibi commiſſo, uincunt Syracuſanos: quorum qui in dextro cornu ſteterant, ad urbem fugerunt: qui autem in ſiniſtro, ad flumen. Horum tranſitum uolentes intercludere trecenti illi delecti Athenienſiū, curſu ad pontem cōtenderunt. Quod ueriti Syracuſani (aderant autem eis pleriq; equitum) eunt pariter in hos trecentos, eosq; in fugam uerterūt, & dextrum Athenienſium cornu aggreſsi ſunt: ad quorum impetum prima cohors eius cornu perterrita eſt.

Lamachi cædes.

Id intuēs Lamachus, à ſuo ſiniſtro cornu ſuccurrit cum multis ſagittarijs, aſſumptis etiā Argiuis: & cùm foſſam quandam trāſgreſſus eſſet, deſtitutus cum paucis qui unà trāſgreſsi fuerant, occubuit, cum quinque ſex'ue comitibus. Hos ſtatim Syracuſani arreptos

arreptos properauerũt portare trans flumen in locũ tutum,ante alterius manus hostium aduentũ:sed illa iam instãte,abscesserunt. Hæc interea fieri uidentes ĳ,qui inter initia fugerant ad urbem,& ipsi rursus addito animo aciem instruunt aduersus sibi oppositos Athenienses,& partem quandam suorum ad ambitum qui obiectus erat Epipolis,mittũt,rati se desertum illum intercepturos.Et qui missi sunt,occuparunt illi quidem atq; expugnarũt exteriores munitiones decem iugerum, expugnaturi etiam ambitum,nisi à Nicia prohibiti fuissent,qui illic propter malam ualetudinem erat relictus.Is enim machinas & omnem quæ ante murũ erat obiecta materiã incenderẽt,ministris suis imperauit,non uidẽs alio pacto locum inopia defensorũ posse seruari.Atq; ita contigit ut seruaretur.Nam Syracusani non ausi propter incendium subire propius, rursus rediêre,quoniam Atheniensis,qui hostem deorsum fuerat insecutus,iam ad auxilium aduentabat,& naues pariter à Thapso (ut dictum est)ad portum magnum appellebãt.Quod cernentes illi qui superius erant Syracusani,properè abscessêre, reliquusq; omnis exercitus,ad urbem,quod existimarẽt non satis sibi iam uirium adesse,ad prohibendũ quòminus ab hoste murus ad mare duceretur.Secundum hæc Athenienses trophæum erexêre,mortuosq; Syracusanis uictoriã concedẽtibus reddidêre,& Lamachũ inuicem cum ĳs qui unà perierant,recepêre.Et cùm iam pręstò esset omnis exercitus naualis pariter & pedestris,conclusêre duplici muro Syracusas,perducto ab Epipolis rupibus'que ad mare.Ad quos & cõmeatus undiq; comportabãtur ex Italia,& accedebant permulti socĳ Siculorum,quod antea facere contempserant,& ex ora Thireni maris naues biremes tres.Deniq; omnia ita procedebant,ut uictoriam spe præsumerent,quia Syracusanis nec fiducia iam erat bello superandi,quòd sibi nihildum è Peloponneso auxiliorum ueniret.Itaque colloquia de paciscendo,& inter seipsos & cum Nicia habuêre.Is enim iam solus imperator erat defuncto Lamacho:nihil tamen usquequaque trãsactum est,multa tantùm (qualia solent agitari inter homines consilio nutantes, & arctius quàm antea obsessos) dicta sunt cùm apud Niciam,tum uerò intra urbem.Quippe mutuò sibi ex præsentibus malis nonnihil suspecti erant.Ipsos etiam duces,sub quibus ista contigerant eis,abdicauerunt,tanquam clades esset accepta illorum aut infelicitate aut proditione,& in eorum locum alios delegerunt,Heraclidem, & Euclea,& Telliam.Interea Gylippus Lacedæmonius & naues à Corintho iam circa Leucadem erant,animo quàm celerrimè auxilia in Siciliam ferẽdi.Quibus cùm atroces nuncĳ afferretur,omnes in idem mendacium congruentes, iam prorsus circumuallatas esse Syracusas,omnem spem Gylippus Siciliæ abiecit:cupiens

Acris pugna.

Gylippus Lacedæmonius.

tamen Italiam tutari, cum duabus Laconicis nauibus, & unà Pythen Corinthius cum totidem Corinthijs, quàm uelociſsimè trāſmiſſo Ionio, Tarentum peruenêre, dum Corinthij præter ſuas decem naues, duabus Leucadijs & tribus Ambraciotis inſtructis, poſterius nauigare conſtituerent. E Tarento Gylippus in Thuriā primùm pro legato profectus, renouata prius memoriā patris in adminiſtrāda Republica, ut ad defectionem adduceret, cum nihil proficeret, abijt. Cùm prꝑteruel.eretur Italiam, abreptusq́ uētis in

Terinæus ſinus ſinu Terinæo, qui obnoxius aquiloni uehemēter ſpirat, abreptus eſſet in pelagus, rurſus tēpeſtate acerrima iactatus, Tarentū ſubijt, ac naues quæcunq; tempeſtate quaſſatæ erant, ſubduxit refecitq́. Hunc Nicias curſum Syracuſas tenentem cùm audijſſet, præ nauium paucitate cōtempſit, id quod & Thurini fecerant, exiſtimantes eum potius prædonum ritu nauigare, eoq́ nullam adhibendam eſſe cuſtodiam.

Argiui agri depopulatio. Per eadem huius æſtatis tempora Lacedæmonij cum ſocijs aduerſus Argos arma ſumpſerūt, magnamq́ Argiui agri partem depopulati ſunt. Contra quos triginta naues Argiuis auxilio miſêre Athenienſes, per quas fœdera quæ ipſis erāt cum Lacedæmonijs, apertè ſunt rupta. Nam ad eam diem latrocinijs è Pylo & circa Peloponneſum potius egerant, quàm in Laconicam cum Argiuis & Mantineis ingreſsi bellum geſſerant, & hortantibus crebrò Argiuis, ut Laconicam cum armis eatenus peragrātes, quatenus ipſi tenerent, & quantulamcunq; partem populati ſecum abirent, nunquam id facere in animum induxerant: tunc uerò prꝑfectis Pythodoro, Leſpodioq́ ac Demarato, in Epidaurum ingreſsi, Limeram & Praſsias, & alia quædam eius regionis loca, populati ſunt: quo factum eſt ut Lacedæmonij multò excuſatius ſe contra Athenienſes tuerentur. Reuerſis ex agro cum claſſe Athenienſibus, & item Lacedæmonijs, Argiui Phliaſiam incurſauêre: ac parte agri uaſtata, nonnullisq́ interemptis, domum reuerſi ſunt.

THVCYDIDIS HISTORIARVM PELOPONNENSIVM, LIBER SEPTIMVS.



Locri. YLIPPVS autem ac Pythen, poſteaquàm naues inſtruxêre, ad Locros, qui ad occaſum uergunt, è Tarento profecti ſunt: & facti certiores nondum circumuallatas eſſe undiq; Syracuſas, ſed adhuc licere uenīetibus cum exercitu per Epipolas introire: deliberabant utrum dexteriora Siciliæ tenentes, periculum facerent intrandi, an ad læuam nauigātes, Imeram peterent primò, & comparata tum ex illis, tum ex alijs quos induxiſſent manu, pergerent

itinere

itinere terrestri.Et constituerunt ad Imeram nauigandum,præsertim nōdum Rhegium appulsis quatuor Atticis nauibus,quas tamen miserat Nicias,cognito quòd isti adhuc apud Locros essent. Harum aduentum Gylippus & Pythen præuertentes,ac per fretum transmittentes,cùm Rhegium Messanam tenuissent,ad Imeram peruenerūt.Ibi cùm essent,Imeræos ad belli societatem,& ad se sequendum,& ad præbenda suarum nauium nautis quibus deerant arma,induxerūt.Naues enim ibidem subduxerant. Selinuntios præterea iussêre missis quibusdam ad certum locum sibi occurrere cum omnibus copijs:aliquantulū autem,non tamen multum copiarum missuros se ad istos spoponderunt & Geloi & Siculorum nonnulli,multò tunc ad transeundum animosiores, quòd & Archonides,qui apud quosdam id loci Siculos regnasset, nuper uita excesserat,non inualidus Atheniensium amicus,& Gylippus impigrè uenire è Lacedæmone uidebatur. Sumptis itaque Gylippus è suorum nautarum epibatarumq; numero,quos armauerat ad septingentos, & Imeræorum mille tam leuis quàm non leuis armaturæ, & equitibus centum Selinuntiorum aliquot leuiter armatis, atque equitibus Geloorum paucis, ac Siculis ad mille,omnino pergit Syracusas. Necnon Corinthij è Leucade mouētes,cum reliquis nauibus quàm potuêre maturrimè auxilio uenerunt.Cuius Corinthiæ classis unus è ducibus Gongylus,qui postremus unà cum naui profectus erat,primus appulit Syracusas paulò ante Gylippum:qui nactus ciuitatem de pacificādo cum hostibus concilium habituram,id fieri inhibuit:atq; eam exhortatus est,quòd diceret & alias in cursu esse naues,& Gylippū Cleandridæ filium,pro duce à Lacedæmonijs missum.Qua ex re Syracusani animo confirmati,Gylippo protinus (iam enim aduentare eum acceperāt) tanquam obuiam ituri cum omnibus copijs prodiêre.Ille in ipso transitu Siculorum Gega,& muro expugnato, acie instructa tanquam ad prælium contendit ad Epipolas,conscendensq; ab Euriclo,qua parte Athenienses primùm ascenderant,perrexit cum Syracusanis aduersus Atheniensium munitiones.Atq; id temporis quo iste uenit,septē octóue stadiorū murus erat ab Atheniensibus ad portum magnū perfectus,& is duplex, præter aliquantulum spacij uersus mare quod adhuc ædificabatur.Nam ex altera & quidem maximè ambitus parte Trogilum uersus,lapides mari tenus iam comportati iacebant, & opus alibi perfectum,alibi semiperfectum erat relictū. Eo periculi Syracusæ deuenerant. Athenienses repentino Gylippi ac Syracusanorum aggressu tumultantes quidem à principio,tamen è diuerso sese instruxêre,ad quos Gylippus positis iuxta armis caduceatorem præmittit, qui diceret, si uelint intra quinque dies Sicilia decedere,

ſumptis rebus ſuis, paratum ſe fœdera cum eis inire. Illi parui facientes hæc, nullo reddito reſpōſo caduceatorem remiſere, moxq; ab utriſq; ueluti ad pugnam acies inſtructa. Cæterùm Gylippus perturbatos cernens Syracuſanos, ægreq; in ordines ire, ſatius duxit eos in locum patētiorem reducere. Nec ſuos Nicias in hoſtem egit, ſed quietos ſub muro caſtrorum tenebat. Quos ubi non inuadentes ſe Gylippus animaduerteret, abduxit copias in uerticem nomine Temenitem, ibiq; ſtatiua poſuit. Poſtero die cum maiore ſuorum manu acies admouit ad muros Athenienſium, ne illi inuicem ſibi ſuccurrerent, ac miſſa copiarum parte, caſtellum Lapdalum cepit, & omne quod ibi nactus eſt præſidium interemit. Non enim conſpiciebatur à reliquis Athenienſibus locus. Eorundem quoq; triremis eodem die à Syracuſanis excepta eſt, dum portum magnum ſubirent. Extruxêre quoq; ſecundum hæc Syracuſani & ſocij murum ab urbe, incipientes per Epipolas, ſurſum uerſus ducentes ad illum alterum obliquum & ſimplicem, ut Athenienſes, ſi hoc non impedire, ne urbem quidem circumuallare amplius poſſent. Verùm illi abſoluto ad mare muro iam ſe in ſuperiora receperant: ſed eius portio quædam fragilis erat, ad quam Gylippus noctu ſumpto exercitu contendit: ſed cùm Athenienſes (extra uallum enim ſtationem habebant) ſenſiſſent, & obuiam ſe ferrent, tacito agmine redijt. Hoc demum muro Athenienſes ſublimius excitato, illic per ſe excubias agebāt. Nam ſocios iam reliquis in partibus ubi quiſq; excubare deberet, collocarant. Niciæ quoq; uidebatur muros ſepiendus locus, quem Plemmyrium uocant, quod eſt promontorium è regione urbis, quodq; prominēs portui magno, fauces eius coartat. Et eo ſepto faciliorem fore receptū commeatus ac rerum neceſſariarum, & propinquiori ſpacio ante portum Syracuſanorum ingreſſuros, non quemadmodum tunc longinqua portus parte ſeſe recepturos, ſi quid hoſtes claſſe molirentur. Et iam tum intendebat animum magis ad nauale bellum, cernens minus ſperādum ſibi è mediterraneis locis poſt Gylippi aduentum. Inſtructa itaq; atq; ornata claſſe exercitu, tria præſidia muro communiuit, ubi & pleraq; uaſa repoſita ſunt, & naues magnæ pariter & ueloces iam in ſtatione agebant. Propter quod tum primùm non ex minima parte facta eſt iactura hominum, quippe penuria aquæ, quòd longius aquarentur, laborabant. Et quoties lignatum nautæ prodibant, ab equitatu Syracuſano terram obtinente pleriq; conficiebantur. Nam tertiam equitum partem Syracuſani apud oppidū quod eſt in Olympieo collocarant, ne ij, qui apud Plemmyrium erant, ad ipſos iuuandos exirent. Cognito inſuper Nicias cæteras Corinthiorum naues aduētare, ad eas intercipiendas mittit uiginti ſuas, cum mandato, ut illas in Siciliā tranſ-

Lapdalum capitur.

Athenienſium clades.

mittentes

mittentes circa Locros & Rhegium prominentia Siciliæ loca caparet. Gylippus & ipſe murum inter Epipolas extruit, uſus ijs lapidibus, quos Athenienſes in uſum ſuum aggeſſerant, ſimulq; Syracuſanos ſocios in aciem extra munitiones producebat, aſsiduè Athenienſibus è diuerſo ſuam aciem inſtruentibus. Cui poſteaquàm tempus adeſſe uiſum eſt hoſtem inuadẽdi, princeps ipſe inuadendi extitit: & cùm ad manus uentum eſt (coartabatur autem Syracuſanus equitatus atque ſociorum, inter utrorunq; munitiones itaque eorum nullus uſus fuit) Athenienſes, uictisq; mortuos redditêre, ac trophæum erexêre. Gylippus conuocatis copijs, negat illarum culpam eſſe, ſed ſuam, qui uſum equitũ iaculatorumq; eripuiſſet, inſtructa intra murorum intercapedinem acie, nunc autem ſe rurſus illos educturum eſſe, iubereq; eos ut id cogitarent, cùm non minorem habeant quàm hoſtes exercitum, non committendum ſibi qui Pelopõnenſes & Dores eſſent, quin Ionios & inſulanos & conuenas homines uincerent, & è regione depellerent. Poſt hæc ubi tempus fuit, iterum eoſdem eduxit. Nicias autem atque Athenienſes cenſebant, etiam ſi illi nollent priores in aciẽ prodire, tamen ſibi neceſſarium fore non contemnere murum hoſtilem, qui iuxta ſuum excitabatur, iamq; tantum non ad extremitatem ſui acceſſerat: qui ſi acceſsiſſet, faceret ut Syracuſani non iam oppugnarentur, ſed oppugnarent, planeq; uincerent ac debellarent. Prodierunt igitur in aciem aduerſus Syracuſanos ac conflixerunt. Gylippus autẽ longius à muris quàm nuper armatos produxerat, & equites atque iaculatores in loco ſpatioſo, ubi muralia utrorunq; opera deſinebant, tranſuerſos hoſti collocarat. Cõmiſſa pugna hic equitatus ſiniſtrum Athenienſium cornu, quod in ipſum urgebat, inuadit, atq; in fugam uertit. Quo factum eſt ut reliquus exercitus à Syracuſanis ſuperaretur, ac diſsipatus in ſua munimenta redigeretur. Nocte inſequenti uictores perduxerunt murum ſuum uſq; ad hoſtilem, ita ut non poſſent amplius ab illis neq; prohiberi ab ædificando, neq; muro, neq; à uincentibus quidem circumuallari. Appulêre poſt hæc Corinthiorũ & Ambraciorum & Leucadiorum, quæ reliquæ erant naues numero duodecim, quibus præerat Thraſonides Corinthius, fruſtratæ Atheniẽſium nauium cuſtodiã, à quibus adiuti ſunt Syracuſani in reliquo muro ſtruendo uſq; ad tranſuerſum. Et Gylippus urbe digreſſus cæteram Siciliam obiuit, ad claſſem pedeſtremq; exercitum comparandum, ad ſolicitandas etiam in ſocietatem ciuitates, ſi quæ aut non propenſæ in bellum, aut omnino abhorrentes à bello eſſent. Alij quoq; Syracuſanorum Corinthiorumq; legati ſunt miſsi Lacedæmonem & Corinthum, ut plus copiarũ traijceretur, quoquo modo poſſet, ſiue onerarijs nauibus, ſiue nauigijs, ſiue aliter, dum perue-

Athenienſium uictoria.

Syracuſanorũ uictoria.

peruenirent. Præterea tanquam ab Atheniēsibus etiam copiæ accerserentur, Syracusani classem explent, & quasi nauibus quoque hostem aggressuri, huic rei operam dant, & in alia quæque uehementer incumbunt. Quæ Nicias animaduertens illorum uires augescere magis indies, suasq́ decrescere, mittit & ipse Athenas qui referrent cùm alias de singulis quæ gererentur, tum uerò de præsenti rerum statu quem ancipitem arbitrabatur, & de illo actum esse, nisi aut ipsi reuocarentur, aut alij non pauci mitterentur. Veritus tamen ne eos qui mittebantur aut dicendi facultas, aut memoria mandatorū deficeret, aut uoluntas populo assentandi auerteret, epistolam scripsit, ratus sententiam suam nihil à nuncio suppressam, cùm didicissent Athenienses, præcipuè ex uero consultaturos. Quibus literis illi quos mittebant acceptis, ac mādatis quæ ipsi expósituri erant, abiêre. Interea Niciæ rem castrensem custodire maiori iam curæ erat, quàm uolūtaria pericula adire. Sub extremum eiusdem æstatis Euerion Atheniensium dux, cum Perdicca permultisq́ Thracibus bellum intulit Amphipoli: & cùm eam non expugnasset, adductis in Strimonem omnem Liburnicis nauibus ab ipso Strimone urbē oppugnabat, ex Imeræo proficiscens. Atq́ hæc æstas excessit. Ineunte hyeme qui missi à Nicia erant, Athenas peruenêre, & quæ mādata erant uerbis exposuêre: & si quid percontabatur, respondere, atque epistolam reddidêre. Quam procedens scriba ciuitatis Atheniensibus recitauit in hæc uerba:

Strimō fluuius

Epistola Niciæ ad Athenienses.

QVæ ante hæc gesta sunt, ex superioribus epistolis nostris, Athenienses, cognouistis. Nunc tempus est uos, cognito qua in conditione simus, nihilominus consultare. Cùm Syracusanos, aduersus quos missi sumus, aliquot prælijs superassemus, murosq́ extruxissemus, intra quos nunc agimus, aduenit Gylippus Lacedæmonius cum exercitu ex Peloponneso, & ex quibusdam Siciliensium ciuitatum, quem prima in pugna uicimus, in secunda ab equitatu frequēti atq́ iaculatoribus, coacti sumus intra muros nos recipere. Nunc itaq́ prætermissa circumuallatione murorum, propter hostium multitudinem, ocium tenemus. Non enim possumus omnes in aciem copias educere, cum parte armatorū opus sit ad agēdas in stationibus murorum excubias, & hostes murum simplicem iuxta nostrum excitauerint, ut iam eos circumuallare nequeamus, nisi quis illū multo cum exercitu adortus expugnet. Euenitq́ ut qui alios obsidere uidemur, ipsi potius, quatenus ad terram pertinet, obsideamur: quippe qui haud multum, propter hostium equitatum, è loco progredimur. Miserunt præterea in Peloponnesum legationem, accersitum alias copias, & ad urbes

Siciliæ,

Siciliæ,in ſocietatem belli ſolicitandas,quæ nunc in partibus non ſunt,Gylippum illinc pedeſtres naualesq; copias,ſi poterit,adducturum. Conſtituunt enim,quantũ audio,pariter adoriri noſtras munitiones,peditatu à terra,claſſe à mari. Neq; cuiquam ueſtrûm hoc arduum eſſe uideatur,quòd etiam à mari. Nam noſtra claſsis, ut illi quoq; cognitũ habent,inter initia excelluit,tum ſiccitate nauium,tum hominũ incolumitate. Nunc & naues tam diu ſub dio agentes,& in mari,putrefactę,& uiri abſumpti ſunt. Nec licet illas nobis ad reficiendũ ſubducere,ob id quòd aduerſariæ noſtris numero pares ſunt,atq; etiam plures,quæ nos ſe inuaſuras aſsiduè ſignificant. Quod palam eſt illos eſſe facturos,cùm penes eos ſit, & laceſſere pugna,& ſuas naues exiccare cõmodius,ut qui obſident alienas naues,quòd uix nobis licuit tanta claſſe abundãtibus,nec dum coactis,quemadmodũ nũc,omninos claſſe tutari:qui ſi quid uel modicũ de cuſtodia noſtra remiſerimus,cõmeatum nullũ habebimus,quem nunc quoq; urbem illorũ præteruehẽtes ægrè importamus. Qua de re nautici homines cùm antea amiſsi ſunt,tum uerò nunc amittũtur,cùm lignatũ,cùm aquatum,cùm aliquid prędatũ longius eunt,ab hoſtili equitatu cõfecti:ſeruitijs quoq;,cùm ad pugnandũ conſtitimus,trãsfugientibus:peregrinorum quoq; militum,ij qui cõſcendere naues adacti fuerunt,cõtinuò in urbes dilabuntur. Qui uerò magnitudine mercedis allecti uenerant, ratiq; ſe quæſtũ facturos,potius quàm dimicaturos,ubi præter opinionem ex aduerſo claſſem & alia hoſtilia uiderunt,partim per occaſionem ad hoſtem tranſeunt,partim ut cuiq; facultas eſt,abeunt (ſpacioſa enim Sicilia eſt) quidã etiam mancipia Hyccarica mercati,perſuaſis trierarchis ut illa pro ſe ſubſtituant,diſciplinã rei naualis euertunt. Intelligentibus autem uobis ſcribo,breue ad tempus eſt ille claſsiariæ multitudinis flos,paucią; agendi nauem ac moderandi periti. Atq; inter hæc omnia id me maximè ſollicitum facit, quòd mihi duci non licet iſta prohibere. Nam & ingenia ueſtra Athenienſes difficilia ſunt ad coërcendũ,nec unde expleamus naues,habemus:id quod hoſti multis ex locis licet,ſed neceſſe eſt nobis illinc ſumere, unde quando huc uenimus, & quæ abſumpta ſunt,& quæ ſuperſunt ſumpſimus. Siquidem quæ perſtant in ſocietate ciuitates,inualidæ ſunt,Naxus & Catana.quòd ſi hoc unũ hoſtibus accedet,ut oppida Italiæ quibus alimur cognito in qua conditione ſimus,& quòd à uobis non mittantur auxilia, ad illos deficiant,profectò ſine prælio debellatum eſt,nosq; ab iſtis expugnati. His ego iucundiora uobis ſcribere poteram,ſed non tamen utiliora,ſi modò decet uos rebus noſtris apertè cognitis deliberare,cùm præſertim habeam ueſtra ingenia probè nota, qui iucundiſsima quidem uultis audire,ſed ſi quid ex ijs non perinde ſucceſ-

feris, póstmodum accusatis. Tutius duxi uerum promere. Et nunc in ijs ad quæ nos à principio misistis, ita sentite, nihil uos neq; militibus neq; ducibus succensere posse. Verùm cùm omnis Sicilia conspiret, & alius à Peloponneso exercitus expectetur, decernatis aut nos reuocandos esse, qui ne præsentibus quidem hostibus pares sumus, aut alium huc exercitum mittendum, nec peditatu minorem, nec classe, nec exigua pecunia, & mihi quoq; successorem, utpote ad permanendum inualido, ex renibus laboranti. Quod ut impetrem, mereor: quia cùm rectè ualerem, in administrandis magistratibus crebrò de uobis benemeritus sum. Quicquid autē facturi estis, id ineunte statim uere neutiquam differendo facitote, tanquā hostibus res Siciliensiū paulatim sibi conciliantibus. Nam quod ad Peloponnensiū res attinet, cunctātius illæ quidem fient, tamen nisi animum aduertitis, partim quemadmodum antea, uos latebunt, partim præoccupabunt.

Athenienses subsidium mittunt in Siciliã.

Hæc Niciæ narrabat epistola quibus Athenienses auditis, Niciam quidem magistratu non amouerunt, sed donec illi collegas mitterent duos eorū, qui cum eodem erant, delegerūt, Menandrū & Euthydemū, ne solus & idem æger molestia cōficeretur. Alium quoq; exercitum censuêre mittendum nauticarū pedestriumq; copiarum tam sociali ū quàm suorum, ex formula delectis Niciæ collegis, Demosthene Alcisthenis, & Eurymedonte Thuclis filio. Quem Eurymedōtem statim circa solstitiū hybernum in Siciliam dimisêre cum nauibus decem, cumq; centū uiginti talentis argenti, qui etiam nunciaret illis uentura ipsis auxilia, curamq; eorum ciuitati fore. Demosthenes ad apparādum profectionem remansit, tanquam primo statim uere profecturus, ad indicēdum socijs delectum, ac comparandas illinc pecunias, naues, & armatos. Super hæc Athenienses mittunt circa Pelopōnesum naues uiginti ad custodiendum, ne quis è Corintho ac Peloponneso trajceret in Siciliam. Nam Corinthij posteaquàm ad eos uenêre legati, & res in Sicilia meliore cōditione esse nunciauêre, multò magis animo confirmabantur, existimantes non intempestiuā fuisse classem, quam prius misissent. Itaq; ad mittendas eôdem armatorum copias, onerarijs in nauibus sese accingebant: eodem modo ex cætera Peloponneso Lacedæmonij, suas & ipsi copias missuri. Et Corinthij uigintiquinque naues impleuêre, ut pugnam naualem experirentur aduersus speculatorias illas, quæ stabant ad Naupactum, ne ab ijs onerariæ suæ transire prohiberentur, oppo siturí triremiū præsidium. Lacedæmonij uerò prout cōstituerant, expeditionem apparabant, urgentibus Syracusanis atq; Corinthijs, cùm audissent auxilia ab Atheniensibus in Siciliam mitti, ut ipsa missio prohiberetur Lacedæmonijs terram illorum ingressis, Alcibiade quoq;,

qui ijs

qui ijs aderat, admonente Deceleam muro obsepiendam esse, nec bellum omittendum. Et cùm hæc, tum præcipuè illud cōfirmabat Lacedæmoniorum animos, quòd arbitrabantur Athenienses duplex gerentes bellum contra ipsos cōtraq; Sicilienses, facilius opprimi posse, & eosdem prius fœdera rupisse. Nam in superiore bello se id potius admisisse, quoniam Thebani saluis fœderibus Platæam inuasissent: & cùm in prioribus pactionibus diceretur, ne arma inferrētur ijs, qui iudicio stare uellent, ipsi ad hoc ab Atheniensibus euocati stare noluissent, & ob id meritò se aduersa fortuna usos, cùm in alijs, tum uerò in illa apud Pylum calamitate. At postquàm Athenienses ex agro profecti cum nauibus triginta, quandam Epidaurici agri partem Prasiorumq;, & alia loca uastauerunt, atq; è Pylo latrocinia agitabantur: & quoties ex fœdere à Lacedæmonijs repetebantur res ereptæ, & in iudicium uocabantur, disceptationem abnuebant, tum uerò arbitrati sunt pristinam culpam suam in Athenienses refusam esse. Ideoq; alacri ad bellum animo edixerunt eadem hyeme socijs ut illi ferramenta, dum ipsi cætera ad extructionem murorum instrumenta pararent. Simulq; tanquam supplemento in Siciliam mittendo, pecuniam & ipsi contulerunt, & cæteros Peloponnenses ad conferendum adegerunt. Hyemsq; exijt, ac duodeuigesimus huius annus belli, quod Thucydides conscripsit.

Sub initium statim insequentis ueris, Lacedæmonij socijq; maturrimè Atticam incursauêre, duce Agide Archidami filio Lacedæmoniorū rege, & primùm quæ prœiacent campestria uastauêre, deinde muro Deceleam intersepire cœperunt, distributo per ciuitates eo opere. Abest autem Decelea ab Athenis circiter centū ac uiginti stadijs, tantundem aut non multò plus à Bœotia. Extruebatur autem murus tum apud cāpestria, tum apud opportunissima ad infestandum loca, etiam Athenas usque conspicuus. Et Peloponnenses quidem ac socij murum in Attica ædificabāt. Interea uerò qui in Peloponneso erant, armatorum copias in Siciliam miserunt onerarijs nauibus Lacedæmonij lectissimum quenq; seruorum atq; ascriptitiorum numero sexcentos duce Eccrito Spartiata, Bœotij trecentos, ducibus Zenone & Nicone Thebanis, Hegesandroq; Thespieo. Hi inter primos à Tenaro Laconicæ profecti, altum tenuêre. Nec multò pòst hos Corinthij quingentos, partim ex ipsa Corintho, partim ex Arcadibus mercede conductis, præfecto eis Alexarcho Corinthio. Cumq; Corinthijs Sicyonij ducentos, quibus præerat Sargeus Sicyonius. Illæ autem quinque & uiginti Corinthiorum naues instructæ atque ornatæ per hyemem è regione uiginti Atticarum nauium, quæ ad Naupactum stabant, in statione fuerunt, dum illæ quæ armatos è Pe-

Deciminoni anni initiū. Lacedæmoniorū in Atticam irruptio.

loponneso portabant, onerariæ iam transirent, quarũ causa triremes ipsæ prius fuerãt instructę, ne Athenieses aduersus onerarias, potius quàm aduersus triremes, animũ intenderẽt. Inter initia ueris, dum Decelea muro intercludebatur, Athenienses dimisêre triginta circa Peloponnesum naues, duce Charicle Apollodori filio, cui mandatũ erat, ut profectus Argos ex iure societatis, hortaretur Argiuos ad explendas naues armatis. Dimiserunt item, quemadmodum destinarãt, in Siciliam Demosthenem sexaginta cum nauibus Atheniensiũ, & quinq; Chiorũ, ferentibus ex formula mille & ducẽtos Atheniensiũ armatos, insulanorumq; quàm plurimos undiq; cõtrahere potuerũt, & ex alijs suæ ditionis socijs, sicubi aliquos opportunos ad rem militarẽ habebant. Cui præceptũ est, ut iuncta cum Charicle classe circumuecti Laconicã oram infestarẽt. Et Demosthenes quidem in Æginam traiecit: ibiq;, si qui suorum reliqui erãt, & dum Charicles Argiuos assumeret, opperiebatur.

Gylippus suadet Syracusanis ut discant nauticam.

In Sicilia uerò per eadem ueris tempora Gylippus redijt Syracusas, agẽs è ciuitatibus quas persuaserat quàm potuerat maximum undiq; exercitum: cõuocatisq; Syracusanis, inquit: Operæ preciũ esse eos quàm plurimas possent naues armare, ac pugnam experiri naualem. Sperare enim se aliquod periculo dignũ facinus in eo bello editurũ. Ad quod illos etiã Hermocrates hortabatur in primis, negans recusandũ classe confligere cum Atheniensibus: non enim illos hæreditariã aut perpetuã habere peritiã rei naualis: sed mediterraneos esse magis, quàm Syracusanos, & cogentibus Medis nauticos factos. Cæterùm audacibus uiris, quales sunt Athenienses, eos uideri asperrimos, qui & ipsi ex aduerso audaciam ferant. Nam quòd finitimos suos in potestatem redegerunt, id uerò non tribuendũ esse eorũ uiribus, sed audacię inuadendi, eoq; idem terroris ab aduersarijs pati debere. Seq; dicebat probè nosse Syracusanos ex ipsa audacia obuiã eundi classi Atheniensiũ, & ex hac re illis inopinata terrorẽ incutiendo magis profecturos, quã Athenienses ex sua peritia Syracusanorũ imperitiæ rei naualis obfuturos. Capesserent igitur rem nauticã eos iubebat, nec pigeret experiri. His & Gylippi & Hermocratis, & si cuius alterius exhortationibus inducti Syracusani, ad pugnam naualem se expediunt, nauesq; implẽt. Quod ubi factum est, Gylippus tota nocte cunctum pedestre agmen duxit, ut eodem momento ipse à terra ad muros, qui sunt in Plemmyrio, subiret, & naues à mari. Itaq; ex composito triremes Syracusanorũ portu magno, quinq; & triginta in aduersum tendũt è portu minori, ubi naualia eorũ erant, quinq; & quadraginta circumagũtur, eo cõsilio ut cum ijs qui intus erãt, miscerentur, & nihilominus Plemmyriũ adorirentur, quo Athenienses utrinq; inuasi tumultuarentur. At illi properè sexaginta è diuerso

nauibus

nauibus impletis, quinque ex ijs & uiginti certamen iniêre cum Syracusanorum quinque & triginta, intra portum magnum, cæteris tendunt aduersus eas quæ è nauali circumagebantur: cum quibus statim in ore magni portus conflixêre, diuq; inuicem obstitum, his conãtibus penetrare, illis penetrare prohibentibus. Interim dum Athenienses qui erant ad Plemmyriũ, ad mare descendissent, & ad spectaculum pugnæ naualis intenti essent, Gylippus prima luce repētè muros adoritur, & primum è tribus maximum capit, deinde & alios minores, non resistentibus custodibus, cùm uiderent primum tam facilè captum. In quo qui fuerant, ægrè in naues & quasdam onerarias effugerunt, & in castra se receperunt, insequenti eos una ueloci trireme Syracusanorum, qui iam intra portum magnũ uictoria nauali potiebantur. Vbi uerò & duo reliqui capti sunt muri, ibi Syracusanorum haud dubiè uictoria erat. Cæterùm uictores facilè fugam capesserunt. Nam Syracusanæ illæ, quæ pro faucibus portus decertabãt, cùm perrupissent obstantes, nullo sunt ordine ingressæ, sed se inuicem perturbantes, hosti præbuêre uictoriam: Siquidem classis Atheniensis istas in fugam dedit, & illas à quibus ipsa intra portum superata fuerat: Quarum decem depressit, ac permultos in illis mortales interfecit, præterquàm ex tribus quos uiuos cepit, tres quoque ipsius naues corruptæ sunt. Atheniẽses extractis hostilibus naufragijs, ac posito trophæo parua in insula quæ Plemmyrio præiacet, in sua castra rediêre. Atq; hunc in modum Syracusani rem gesserũt in pugna nauali apud Plemmyrium: tamen tribus muris potiti, totidem trophæa statuerũt, & è duobus muris posterius captis alterum diruerunt, reliquos præsidio imposito tuebãtur. In quibus muris expugnandis & perierunt multi, & capti sunt: capta insuper quæ ingens erat omnis pecunia, quoniam illis uelut ærario utebãtur Athenienses, ubi multa inerat pecunia negociatorum, & res frumentaria, multa etiam trierarchorum. Quippe relicta illi erant quadraginta triremium uela, atq; alia instrumenta, & tres quæ subductæ erant triremes. Quæ Plemmyrij expugnatio Athenienses maximo detrimento affecit, & in primis quòd non tutò iam necessaria importabantur, sed cum prælio, importari prohibente Syracusanorum nauium occursu. Quæ res cùm timorem ad cætera exequenda militibus, tum languorem animi afferebat. Secundum hæc miserunt Syracusani naues duodecim, cum præfecto Agatharcho Syracusano: quarum una legatos in Peloponnesum ferret, ad edocenda quæ apud ipsos gesta essent, & se in spẽ ingressos, simulq; ad acuẽdos ut bello ibi gerendo magis incumberent: reliquæ in Italiam peterent, quòd rumor erat naues pecunia onustas ad Athenienses cursum tenere. Eas naues Syracusanæ nactæ magna ex parte cor-

ruperunt,& materiam ad ædificandas naues idoneam in Cauloniatide cõcremarunt,quæ Athenienſibus erant pręparata.Poſtea cùm Locros hinc abiſſent,& illic in ſtatione eſſent,nauis una è Peloponneſo oneraria, in qua Theſpiei armati uehebãtur,aduenit: quibus in ſuas naues receptis Syracuſani domum redibant,obſeruantibus eos Athenienſibus cum uiginti nauibus ante Megara, à quibus una omnino intercepta eſt (nam plures non potuerũt) cæteræ Syracuſas elapſæ.In ipſo quoq; portu pugnatũ eſt leui certamine ſub uallũ,quod in mari ante uetera naualia Syracuſani iecerant, intra quod ipſorum naues ſtationem haberent.Huc Athenienſes nauem decem millium ſarcinarũ turritam & loricatam,ne in aggrediendo ſibi noceretur, admouent, uallosq; in mari depactos è nauiculis illaqueant,machinamentisq; conuellũt,quoſdam etiam urinãdo educunt,Syracuſanis in iſtos ex naualibus, iſtis ex oneraria in illos miſsilia iacientibus.Ad extremum,Athenienſes multum euulſere uallorum.Erant enim eis cùm cæteri infeſti,tum maximè qui occultabantur non extantes ab aqua,de induſtria ſic depacti,ut accedentes naues periculum adirent,niſi prouidiſſent ne ueluti in pedicam inducerentur.Hos tamen urinatores mercede ſollicitati refixerunt, ſed alios rurſus Syracuſani pangebant. Multæ pręterea machinationes inuicem,quales inter uicinos exercitus & oppoſita caſtra habentes fieri ſolent, excogitabantur, leuiaq; conferebantur certamina,nullum deniq; genus experimenti prætermittebatur.Miſerunt autem Syracuſani legationes ad ciuitates Corinthiorũ,Ambraciorum,Lacedęmoniorum nunciatum de Plemmyrio recepto,deq; pugna nauali,in qua non tam hoſtiũ uiribus,quàm ſua perturbatione ſuperati eſſent:& quod reliquũ erat,ſe bene ſperare,ac poſtulare ut ſibi forent auxilio claſſe pariter ac peditatu,utpote Athenienſibus alium exercitum expectantibus,ante cuius exercitus aduentum ſi illi profligarentur,ſit debellatum.Atque hæc qui in Sicilia erant,egerunt.

Demoſthenes autem ubi copias coëgit,cum quibus ad auxiliandum ſuis in Siciliam erat tranſmiſſurus,ſoluens ex Ægina in Peloponneſum nauigauit:Charicliq;, qui cum triginta nauibus erat, coniunctus eſt,ac ſumptis in naues Argiuorum armatis Laconicam petiuerunt. Et primùm partem Limeræ agri Epidaurici depopulati ſunt:deinde appulſi in agrum Laconicum,è regione Cytherorum,ubi eſt Apollinis templum,nõnihil terræ uaſtauerunt, & locum quendam Iſthmo ſimilem muro clauſerũt,quo transfugerent Lacedæmoniorum ſeruitia,& unde latrones ſicut ex Pylo prædatum irent.Quem locum ſimul accepit Demoſthenes,traiecit in Corcyram,ut illinc quoque ſumptis ſocialibus copijs extemplo in Siciliam nauigaret,Charicle,dum murus loco circundare-

tur,per-

tur, permanente, qui imposito illic præsidio, mox & ipse triginta cum nauibus se recepit, & Argiui pariter.

Thraces Machærophori.

Hac eadem æstate uenerunt Athenas è Thracibus machærophoris à Diaco oriundis mille ac trecenti peltati, in Siciliam cum Demosthene transmissuri. Hos, quia serius uenerāt, Athenienses in Thraciam, unde uenissent, remittere constituerunt. Nam mittere eos ad bellum quod ex Decelea gerebatur, sumptuosum sanè uidebatur. Nanque horum singuli quotidie singulas drachmas accipiebant. Et Decelea posteaquàm hac æstate primùm ab uniuersis hostium copijs muro conclusa est (nam postea certo temporum spacio præsidijs ciuitatum inuicem succedentibus insessa est) magnam iacturam fecēre res Athenienses, & in primis pecuniarum atque hominum amissione. Nam antehac cùm ad breue tempus fierent incursationes, non prohibebantur reliqua parte anni frui suis agris Athenienses. Nunc autem hostibus perpetuò obsidentibus, & nonnunquam maiore cum manu inuadentibus, aliquando etiam ex necessitate suæ cuiusque uicis custodiam ac prædas agendi, utique Agide præsente Lacedæmoniorum Rege, nec segenem militiam sinente, uehementissimè uexabantur, omnique circa regione exuti sunt, & ipsorum seruitia amplius uiginti millibus ad hostem transierunt, ea'que manuarias artes magna ex parte factitantia. Oues quoque uniuersæ amissæ sunt ac boues. Necnon equi quotidiana agitatione equitum, tum ad Deceleam recurrentium, tum omnem circa regionem tutantium, partim claudi fiebant arido in solo, & assidua ærumna, partim sauciabantur. Etiam commeatus qui prius ex Eubœa per Deceleam breuiore uia subuehebatur, nunc circumnauigando Sunio sumptuosus reddebatur. Adeò omni re aduectitia ciuitas indigebat, & ex urbe præsidium factum erat, ciuibus interdiu per uices ad pinnas murorum excubantibus, noctu omnibus, præter equites. Ita alij sub armis, alij super muros æstate pariter & hyeme perseuerantes conficiebantur: & eo quidem tristius, quòd duo simul bella sustinebant, atque eo peruicaciæ uenerant, quàm nemo si audisset antea, fuerit crediturus, ipsos muro à Peloponnensibus circumsessos, tamen ne sic quidem è Sicilia decedere, sed illic uicissim eodem modo obsidere Syracusas, urbem nihilo per se quàm ipsas Athenas inferiorem, dantes specimen suæ tum potentiæ, tum audaciæ, maius opinione Græcorum quàm ab initio belli conceperant. Nam alij annum, alij bienniū, alij triennium, nemo diutius eos bellum toleraturos putauerat, si ipsorum regionem Peloponnenses introissent. Atqui à primo horum ingressu annus septimusdecimus agebatur, cùm in Siciliam transmiserunt, iam eodem bello exhausti, & alterum bellum sumpserunt,

Atheniensium angustiæ.

nihilo inferius priore quod cum Peloponnensibus gerebant. Itaq; & Decelea tunc uehementer afflicta, & incidentibus magnis alijs super alios sumptibus, ad tenuitatem rei pecuniariæ redacti suut, *[Tributi uigesimus exigitur.]* & in locum tributi per id tempus uigesimam exegerũt ab ijs, quíbus imperabant, maritimis populis, rati plus sibi hac ratione pecuniæ obuenturũ. Nam & impensæ non quales prius, sed tantò maiores fiebãt, quantò maius existebat bellum, & redditus erant extinctę. Igitur Thraces qui post discessum Demosthenis uenerant, extemplo inopia rei pecuniarię missos fecerunt, dato negotio Dijtrepi eos deportandi, & in prænauigando (transibant enim per Euripum) si quid possent hostibus nocẽdi. Hos ille in Tanagram cùm eduxisset, & raptim nonnihil prædæ egisset, sub uesperum è Chalcide Eubœæ traiecit Euripum, & expositos in Bœotiam duxit *[Mycalessus capitur.]* aduersus Mycalessum, & per noctem occultus subsedit ante Mercurij fanum, quod à Mycalesso distat sexdecim circiter stadia, ac prima statim luce urbi succedit: eamq; etsi magnam, tamen incustoditam nactus, & nihil minus quàm aliquos unquam à mari tantum facinus ausuros suspicantem capit, qua parte murus inualidus erat, & alicubi collapsus, alicubi humiliter structus, securitate *[Thracum in Mycalessos truculentia.]* insidiarũ etiam portis apertis. Irrumpentes itaq; in eam Thraces & priuatas & sacras ædes diripiunt: oppidanos trucidant, non senili, non iuuenili ætati parcẽtes, sed omnes, ut in quenq; incidebant, pueros q; ac fœminas, quinetiam iumenta & quascunq; animantes uidebant, iuterimentes. Etenim Thracum genus Barbarico proximum, ubicunq; non timet, ibi sæuissimum se præbet. Et tunc alia non exigua extitit perturbatio, & passim funestum spectaculum: irruentes enim in ludum puerorum, qui illic maximus erat, eos omnes (iam enim scholam introierant) conciderunt, quæ clades, adeò inopinata, adeò acerba toti ciuitati incidit, ut nulla alteri *[Thebani Thraces persequuntur.]* magis. Cognita re Thebani suppetias eunt, adeptiq; Thraces iam digressos (non tamen longè) præda exuũt, perterritosq; persequuntur ad Euripum usq; & ad mare: ubi naues quibus aduecti fuerant, stabant: plurimos eorum dum naues conscendunt nec natandi gnaros occidunt, cùm illi qui in nauibus erant uisa suorum fuga, retraherent naues extra ictum sagittarum. At posteaquàm iterum se recepêre Thraces, non incompositè & aduersus equitatum Thebanorum, à quo primùm inuasi fuerant, procurrerunt, conglobatiq;, & ut tempus ferebat ordinati sese defensabant, tum pauci eorũ periêre: nonnulli etiam intra urbem illic inter prædandum deprehẽsi. In summam ex mille trecentis ducenti omnino & quinquaginta, ex Thebanorum autem & alijs qui suppetias iêre circiter uiginti equites armatiq;, unà cum Scirphonda Thebano, uno ex Bœotijs magistratibus, & Mycalesiorum pars quædam consumpta

consumpta est. Et Mycalessijs quidem, qui casum hunc passi sunt, maximè (ut si quis alius) in tanto bello miserandum, hæc usuuenerũt. Demosthenes autem è Laconica post munitũ muro locum in Corcyram traijciens, nauem onerariã in Phia, quæ est agri Elei, in statione adeptus corrupit. Qui uerò in ea erant, elapsi sunt, uiri Corinthij, ijdémq; armati, in Siciliã trãsmissuri: & qui mox alia sumpta oneraria trãsmisere. Post hæc in Zacynthũ profectus Demosthenes, & in Cephaleniã, sumpsit illinc armatos, & ex Naupacto Messenios accersiuit, atq; in oppositã Acarnaniæ continentem traiecit, in Alyziam quoq; & Anactorium, quod ab Atheniẽsibus tenebatur. Cui circa hæc loca agitanti occurrit Eurymedon è Sicilia remeans, quo cum pecunia ad exercitum portanda per eam hyemem fuerat missus. Is nunciat cùm alia, tum uerò se audisse inter nauigationem Plemmyrium esse à Syracusanis receptũ. Conon insuper, qui Naupacto præerat, ad hos uenit nunciatum quinq; & uiginti Corinthiorum naues, quæ contra Naupactum in statione essent, non desinere bellum gerere pugnandi cupidas. Iubere igitur eos mittere ad se naues, quòd suæ duodeuiginti impares essent ad confligendũ cum hostium quinq; & uiginti. Itaq; mittũt cum Conone Demosthenes & Eurymedon ex ijs, quas ipsi habebant, uelocissimas decem, ad illas quæ erant ad Naupactũ. Quibus missis ad delectũ agendum se conferũt: Eurymedon quidẽ in Corcyram profectus, quindecim naues ab illis expleri iussit, & armatos delegit. Nam collega Demostheni iam datus erat, ubi redijt, quemadmodum dictum est. Demosthenes autem ex ijs quæ circa Acarnaniã sunt locis quascũq; potuit funditores ac iaculatores coëgit. At legati Syracusanorũ, qui post expugnatũ Plemmyrium adierant ciuitates, cùm illas oratione persuasissent, & quem cõparauerant exercitũ adducturi essent, de hac re certior factus Nicias, mittit ad eos Siculos, quà transitus erat hostis, & ad socios cùm alios, tum Centoripinos & Alicyæos, ne illum transire permittant, sed congregati prohibeãt. Non enim alia uia transire conaturũ. Nam Agrigentini per suum agrum iter denegabant. Itaq; Siculi, quemadmodum orati ab Atheniensibus erant, Siciliensibus iam iter ingressis insidias tendũt in tribus locis, ac repẽtè incautos aggressi, ad octingentos fermè occiderunt, omnesq; legatos, præter unum Corinthium. Hic eos qui elapsi sunt ad mille & quingentos perduxit Syracusas. Per eosdẽ dies ad Syracusanos auxilio uenerunt Camarinæi armati quingenti, iaculatores trecenti ac totidẽ sagittarij. Miserunt & Geloi naues quinque, iaculatores quadringentos, equites ducentos. Iam enim omnis propèmodum Sicilia, præter Agrigentinos, qui in partibus non erant, cæteri conspiratione facta cùm hactenus circumspectassent, auxilia ferebant Syracusanis

contra

contra Athenīēſes. Accepta tamen apud Siculos clade, Syracuſani cohibeantur ab inuadendis protinus Athenienſibus, cùm Demoſthenes & Eurymedon comparato iam exercitu è Corcyra atq; è continente tranſmiſſo mari Ionio, tenuerūt Iapygiam promontorium, & illinc Chœradas Iapygiæ inſulas, & Iapygū centum quinquaginta iaculatores Meſſapiæ gentis impoſuêre in naues, & renouata uetuſta quadam amicitia cum Arta eius loci principe (qui etiam iaculatores eis prębuit) appulerūt ad Metapontium Italiæ, induxeruntq; Metapontinos ad mittendos iure ſocietatis trecentos iaculatores, & triremes duas. Quæ cùm accepiſſent, uenerunt Thuriam, ubi deprehendūt aduerſarios Athenienſium proximè per ſeditionem exactos. Atq; illic contractis omnibus copijs, uolentes recognoſcere ſi quis relictus eſſet, & ſimul inducere Thurinos ad capeſſendam quàm libentiſsimè ſocietatē militiæ, & quando eo fortunæ ueniſſent ad eoſdem, pro hoſtibus proq; amicis habendos quos haberent Athenienſes, ſubſederunt, atque iſta confecerunt. Circa hoc idem tempus Pelopōnenſes & claſsiarij quinque illarum & uiginti nauium, quæ onerariarum gratia in Siciliam tendentium è regione Naupacti ad ancoras ſtabant, contra Atticas tanquam ad pugnam naualem ſe inſtruebant, impletisq; alijs adhuc nauibus, adeò ut paulò eſſent pauciores Atticis, ſtationem habuerūt iuxta Erineum Achaiæ in Rhypica, loco in ſpeciem lunæ curuato. Quorum ad præſidium in eminentibus promontorijs peditatus utrinq; diſpoſitus erat tum Corinthiorū, tum indigenarum, ipſis nauibus inter ſe ſtipatis medium tenentibus, duce earum Polyanthe Corinthio. In has è Naupacto tres & triginta Atticæ, duce Diphilo contenderunt. Et Corinthij principio quidem quieuêre, poſtea uerò quàm ipſis ſignum ſublatum eſt, & tempus adeſſe uiſum, obuiam Athenienſibus eunt, ac pugnam committunt, in qua perdiu ab utriſque repugnatum eſt, & Corinthiorum tres naues corruptæ. Athenienſium nulla quidem depreſſa prorſus, cæterum ſeptem inutiles ad agendum factæ incurſu à prora Corinthiarum, craſsiora habentium roſtra, laceratisq; remigiorum frontibus. Certatum eſt autem ancipiti Marte, adeò ut ſibi utriq; uictoriam uendicarent, Athenienſes tamen naufragijs potiti ſunt, ſed propellente in altum uento, nec inſtantibus ultra Corinthijs utriq; dirempti, nec utriq; alteros inſecuti, nec ulli ex alterutris capti: quia Corinthij ac Peloponnenſes beneficio terræ, prope quam dimicârant, liberati ſunt, & Athenienſium nulla depreſſa eſt nauis. Quibus in Naupactū abeuntibus, cōtinuò tropheū erexêre Corinthij ceu uictores, quòd plures hoſtiliū nauium inutiles ad curſum reddidiſſent, interpretantes ob id ſe non fuiſſe ſuperatos, quòd neutri uiciſſent. Nam & Corinthij uictores ſe

Corinthiorum et Athenienſiũ prœliũ nauale.

eſſe cen-

esse censebant, si non admodum uicti essent: & Athenienses se uictos, nisi admodũ uicissent. Discessu Peloponnensium, dilapsoq; peditatu, Athenienses erexerunt & ipsi trophæum in Achaia, uelutiuictores, cùm abessent ab Erineo, ubi Corinthij classem habebant, uiginti fermè stadijs. Atq; hunc exitum habuit pugna naualis. Demosthenes autem atq; Eurymedon, posteaquàm Thurini ad societatem militię se expedierũt, septingenti armati, & trecenti iaculatores, iubent classem in oram tendere Crotoniatam. Ipsi recensitum prius peditatum ad fluuium Sybarim ducũt per agrum Thurinũ: qui cùm ad amnem Hyliam peruenissent, pręmisissentq; ad eos Crotoniatæ, qui dicerẽt nolle se per suã terram meare exercitum, descenderunt ad mare, & ubi Hylias in illud excurrit castra habuêre. Vbi naues eis ob id præstò fuerunt. Quibus postera die conscensis, abiêre subinde adeũdo ciuitates, prӕterquàm Locrensium, donec ad Petram peruenêre agri Rhegini. Hos interea Syracusani cognito uenire, antequàm peruenirent uoluêre fortunam naualem rursus experiri, atq; terrestrem alio peditatu, quem ob id ipsum comparauerant. Instruxerũt autem tunc & alteram classem tanquam superaturi, quòd è superiori pugna plus aliquid inspexissent, decurtatisq; proris nostra imposuêre, ab ijs sublicas protenderunt ante murum, senorũ ferè intrinsecus cubitorũ, quo scilicet modo Corinthij aduersus Athenienses ad Naupactum naues instructi è proris pugnauerunt: Quippe putabãt Syracusani aduersus Atticas, non ut suas ædificatas à prora, sed graciles, ut quę non tam aduersa fronte quàm ex circumductu incurrerent, non minus ualituras suas: & in magno portu pugnã multarum nauium, non magnum intra spaciũ futuram, secum facere, qui aduersis proris, eisdemq; æratis, incurrẽtes, diffracturi essent suis crassis ac solidis rostris, uacuas Atheniensium ac fragiles proras, nulla ipsis Atheniensibus facultate suas naues aut circumagendi aut educendi, propter angustias, quo genere pugnãdi maximè illi confiderent: quorum alterum, ne illi elaberentur, quoad possent ipsi, alterum ne naues ijdem circumagerent, angustia loci præstaret. Itaq; quod inscitia suorum gubernatorum prius cõtigisse uidebatur, ut proris confligerent, ex hoc se maximè superiores fore: non enim liciturum Atheniensibus nauibus ictu aduersaria repulsis, remigare retrorsum ad iactum iterandum aliò, nisi terram uersus: nec id nisi perexiguum, & in exiguo tractu, iuxta sua ipsorum castra, cum cætero portu sint hostes potituri, & suis, sicubi succumberent, auxilio futuri: illæ uerò in arctum redactæ omnes, & in eundem locum incidentes, inuicem se turbaturæ, id quod in omnibus naualibus pugnis plurimùm Atheniensibus obfuit, quibus non licebat, quemadmodum Syracusanis, in omnem portum re-

Hylias fluuius.

Petra Rheginorum.

Naualę prelium Syracusanorum atq; Atheniensium.

tum re-

tum retrocedere, nec circunflexu in apertum mare euadere: cùm illi à pelago ingressum tenerent, nec resilire, præsertim futuro ipsis infesto Plemmyrio, & non satis amplo portus ingressu. Talia Syracusani ex sua peritia suisq; uiribus commentati, simulq; iam pręsuperiori prælio ferociores rem aggrediuntur, peditatu pariter & classe. Et peditatum quidem Gylippus paulò prius extra urbem eductum ad murum Atheniensiũ eatenus admouet, unde sibi in urbem esset prospectus. Item qui apud Olympicum erant armati, atq; equites & leuis armatura Syracusanorum, utrinq; murum & ipsi subeunt. Mox deinde Syracusanę naues, socialesq; procedunt. Athenienses qui à principio certaturos illos solo peditatu opinabantur, ubi naues quoq; cernũt ex aduerso tendentes, subitò perturbantur. Illi partim in muros, partim ante muros cõtra accedentes in acie steterunt. At Atheniensium alij procedũt in equites qui multi erant, iaculatoresq; properato uenię̃tes ab Olympieo, & ab his qui exterius erant, alij naues conscendũt, alij in littus auxilium ferunt. Et ubi quinque & septuaginta impletę sunt naues, obuiam itur hosti, cuius naues erãt circiter octoginta. Hæ classes, cùm diu inuicem eo die incurrissent, resilijssent, multa tentassent, & neutri possent quippiã alteris eripere duntaxat memoratu dignum (nisi quòd Syracusani unam aut alteram Atheniensium nauem depresserunt) diremptæ sunt, simulq; à muris peditatus abscessit. Postero die Syracusani quieuêre, neutiquam significantes quid'nam essent acturi. Nicias uerò cernens pari euentu fuisse pugnatum, ueritus ne rursus idem conaretur hostis, adigit trierarchos ad naues instruendas, si qua quippiam laborasset, onerariasq; protrahit è uallo, quod in uicem portus cõclusi defixum erat in mari: reliquas onerarias binum iugerum spatio inter se distinxit, ut si qua nauis ab hoste superetur, tutum ei effugium foret, & rursus per ocium egressio. In hoc apparatu totum diem ac noctem usq; cõsumpsêre Athenienses. Die insequenti Syracusani aliquanto maturius, sed eodem conatu & peditatus & classis cõflixêre cum Atheniẽsibus: & cum eodem quo nudiustertius modo ad multũ diei classes obnixè constitissent, inuicem lacessentes, Ariston Corinthius Pyrrichi filius, omnium qui cum Syracusanis erant optimus gubernator, suadet prius suæ classis ducibus mittant in urbem sedulos aliquos, qui iubeant extemplò omnes qui in urbe essent, quod quisque esculentum haberet cõferre ad mare, exhibereq; forum rerum uenalium, & ad uendendum adigi, ut egressi nautæ mercatiq; statim ad naues economy

Alterum naua-le prælium.

Tertium naua-le prælium.

prandent. Hos rati Athenienses tanquam superatos retrò ire in urbem, ipsi per ocium egresi cùm ad alia, tum uerò ad prandium expediendum se conferunt, ut qui non crederent amplius eo die futuram pugnam naualem: cùm rursus repentè Syracusani conscensis nauibus inuehuntur. Qua de re Athenienses magno tumultu, ac plerique ieiuni nullo ordine naues ascendunt, atque ægrè obuiam tendunt. Et cùm aliquandiu utrique mutuò obseruantes disiuncti fuissent, non committendum sibi putauêre Athenienses ut differendo labore à seipsis superarentur, sed quamprimùm cum hoste decernendum. Itaque dato signo ingruentes pugnam cient. Eos Syracusani excipiẽtes aduersis proris, quemadmodum excogitauerant ornauerantq; ære, lacerant illorum magna ex parte remigiorum frontes, & ex tabulatis iaculatores uehementer eosdem infestabant, sed longè magis qui exilibus nauigijs circumuecti, nunc ima subeuntes, nunc latera prætereuntes, missilia illinc in nautas Atheniensium iaciebãt. Tandem hunc in modum Syracusani omnibus aduocatis uiribus dimicãtes superant. Athenienses terga uertentes, per onerariarũ nauium effugium in suam stationẽ penetrant, hoste usq; ad illas insequẽte, ulterius ille prohibito ab antemnis, quæ delphinibus insignitæ ex onerarijs pendebant: à quibus duæ Syracusanæ uictoria feroces succedere ausæ, corruptæ sunt, & altera cum ipsis defensoribus capta. Syracusani septem nauibus Atheniẽsium depresis, multis laceratis, multisq; uiris tum captis, tum occisis, rediêre, ac trophæa utriusque pugnæ naualis crexêre, sibi pro certo iam persuadentes se classe multum Atheniẽsibus antecellere, peditatu uerò inferiores esse. Et hi quidẽ tanquam rursus hostem utrinque aggressuri sese præparabant.

Syracusanorũ uictoria.

Demosthenis & Eurimedontis aduentus.

Demosthenes autem interea atque Eurimedon cum auxilijs quæ acceperant ab Atheniensibus, aduenerunt nauibus tribus fermè & septuaginta, præter mercede conductas cum quinque millibus ferè armatorum tam populariũ quàm socialium, cumq; non paucis iaculatoribus, & Barbaris, & Græcis, necnon funditoribus sagittarijsq; & huiusmodi genus hominum magna ui. Itaq; statim Syracusanos non paruus perculsit pauor, diffidẽtes ullum sibi esse exitũ posse periculi deuitandi, cùm uiderẽt circumuallata Decelea, nihilo tamen minus alium exercitum similem paremq; priori superuenisse, & undiq; eximias Atheniensium uires ostendi, quod superiori exercitui tanquam ex imbellibus confecto robur quoddam accessisset. Demosthenes quónam modo res se haberent animaduertens, censebat non esse terendum tempus, nec committendum sibi quod Nicias cõmisisset: qui cùm in ipso principio terribilis appulisset, quia non protinus Syracusas adortus est, sed apud Catanam hybernauit, & in contemptum uenisset, &

Demosthenis institutum.

à Gylippo è Pelopōneso copias afferēte præuentus esset, quas copias ne accersissent quidē Syracusani, si cōfestim eos Nicias inuasisset, & quia se pares hosti rebantur esse, ubi uidissent se impares esse atq; circumuallatos, non perinde etiā si accersissent copias, adiuuari potuissent. Hæc itaq; cōsiderans Demosthenes, sciensq; se tunc primo statim die maximè horribilem esse hostibus, uolebat ocyus uti in illos prȩsenti exercitus sui terrore. Et dum cerneret directum Syracusanorū murum, quo se ab Atheniēsibus circumuallari prohibuerant, simplicē esse, & ad expugnandū facilē, si quis ascensum Epipolarū occuparet, & item quæ illic erant castra (quippe nullis uim Atheniensiū laturis) properabat inuasionē experiri, spe intra breue momentū bello defungendi. Fore enim ut aut prosperè pugnando potiretur Syracusis, aut illinc copias abduceret potius, quàm in cassum uexaret omnes, & qui in militia & qui domi erant Athenienses. Igitur egressi Athenienses, primùm Syracusanorum agrum circa Anapum depopulātur, potiti regione, quemadmodū prius, pedestribus copijs pariter & classe, aduersus neutros enim prodière Syracusani, præter equites atque iaculatores ex Olympieo. Deinde uisum Demostheni munimēta hostiū machinis tentanda. Sed cùm illæ munimētis admotę à Syracusanis supernè defensantibus incēderētur, & reliquæ copiæ diuersis in locis subeuntes expellerētur, non amplius tempus terendū, sed Epipolas inuadendas. Quod ita faciendum Niciæ & alijs collegis suis persuasit. Cæterùm non posse fieri ut accedentes ascendentesq; hostem laterent. Edicit igitur quinq; dierū cibaria, eosq; qui lapides legerent, ac structores sumit, & cæterum missilium apparatum, cum omnibus quæ extruentibus necessaria sunt, si loco potirentur. Ipse à primo somno & Eurimedon & Menander sumptis omnibus copijs ad Epipolas contendit, Nicia ad muros relicto. Vbi iam loco propinquabāt prope Euryelum, qua parte iterū prior exercitus ascenderat, latuêre custodias Syracusanorum, & hostilem qui ibidem erat subeuntes murū capiunt, nonnullos custodū occidunt, pluribus elapsis, qui properè apud terna, quæ in Epipolis erant castra, Syracusanorum una, altera cæterorū Siciliensium, tertia aliorum sociorū, nunciant hostes introisse, sed præcipuè sexcentis illis Syracusanis, qui primi apud hanc partē Epipolarum excubabant. Hos protinus subsidio ueniētes nacti Demosthenes atq; Athenienses, & si strenuè resistentes, tamen in fugam uertunt, ac porrò celeriter pergunt, ne præsenti impetu penetrādi, cuius rei gratia uenerant, segnius uterentur. Cæteri proximas munitiones Syracusanorum, non ualentibus resistere custodibus, capiūt, pinnas detrahunt. At Syracusani & socij, & Gylippus cum suis subsidio è propugnaculis eunt, & quando per noctem inexpectata hostiū audacia premebantur,

bantur,attoniti cum Atheniensibus cõgrediuntur,& repulsi inter initia superantur. Sed progredientibus iam longius nullo ordine Atheniensibus,quasi uictoribus,quod uellent omnino nondum expugnata loca hostium quàm uelocissimè perrumpere,ne se impresionem remittentibus, illi rursus conglobarentur, obsistere primi omnium Thebani,& congresi eos fundunt fugantq́. Hic ingens iam Atheniensium perturbatio oritur atque difficultas, quam ne cognoscere quidē facilè est ab alterutris quónam modo singula contigerint. Nam quæ interdiu gesta sunt,certius illa quidem,sed neq; singula nouêre qui adfuerunt:uix quisq; quæ circa ipsum acta sunt,nouit. In nocturna pugna hac,quæ sola eo bello inter magnos exercitus facta est,qua ratione quippiā apertè quis nouerit? Fulgebat quidem luna,sed ita se inuicem conspiciebant, ut conspici ad lunam licet,speciem corporis cernebant, familiarem ab alieno non discernebant. Angusto in loco armati ex utrisq; non pauci uersabātur,ex Atheniensibus cùm alij iam uincerētur, alij priore adhuc impresione inuicti pergebant, ad quós ex reliquo exercitu plerique aut ascenderant iam, aut aduentabāt, adeò ut nescirēt quónam tendere deberent. Nam facta iam à primis fuga, omnia perturbata ac difficilia ad dignoscendū erant. Siquidem & Syracusani socijq́; uincētes non paruo clamore in iubendo utebantur,quod nequibant aliter per noctem quod uellent significare,& eos qui se ferebant obuiā,excipiebant. Et Athenienses suos quæritabant,& quicunque occurrerent,etiam si amici essent,utiq; cùm iam refugerent,eos hostes esse suspicabantur:cumq; signum tesseræ percontarentur identidem,quod nulla re alia internosci poterant,sibijpsis ingentem perturbationem præbebant,quod & omnes & simul idem percontabātur, id signum hostibus prodendo, cùm illorū tesseram ipsi inuicem non ita intelligerent,quia uincentes illi,nec dissipati,minus agnoscebātur. Itaq; si qui hostes in hos incidebant,& si magis ualidos,tamen diffugiebant,quòd eorum tesseram nossent,at ipsi nisi simulabant, trucidabantur. Cæterùm quod eis præcipuè nocuit,fuit modulatio pæanis,qui cùm similis utrorunq; esset,animos cōfundebat. Nam ut hostes,ita Argiui & Corcyræi, & quicquid Doricæ gentis cum Atheniensibus erat, ipsos Athenienses perterrefaciebāt,quoties pæanē citassent,adeò quidem ut ad postremū cùm semel perturbati essent inter seipsos pasim incursantes amici in amicos, populares in populares non modò metum mutuò facerent,sed etiam ad manus uenirent penè ad internicionem. Quorum multi alijs insequentibus per abrupta sese præcipitātes interiêre,cùm arctus foret ex Epipolis ad regrediendum descensus:& postquàm in plana,qui euadebant ex arduis locis descenderant,eorum plerique, uidelicet qui erant ex

Lunæ splēdor.

Athenienses uincuntur.

priore exercitu præcipuè locorum notitia in castra perfugiebant. Qui uerò posterius uenerunt, eorum nonnullos uia deceptos errabundosq́ ac palantes, ubi illuxit, Syracusanorum circunfusus equitatus obtruncauit. Postero die Syracusani duo trophæa statuerunt apud Epipolas, unum quà intratum est, alterum ubi primùm Bœotij restiterunt. Athenienses se uictos cōfessi mortuos receperunt, quorum non exiguus numerus fuit tam ipsorum, quàm sociorum. Plura tamen arma quàm pro numero cæsorum capta. Nam qui ad desiliēdum ex abruptis compulsi sunt, abiectis scutis inermes partim periêre, partim euasêre. Post hæc Syracusani prospero, ex re inopinata, successu, ueluti in pristinam audaciā restituti, mittunt Agrigentum, quod seditionibus agitabatur, Sicanum quindecim cum nauibus, ad occupandam si posset eam ciuitatem. Gylippus quoq; terrestri itinere Siciliēses urbes adijt, rursus alias copias adducturus, ut qui spem esset ingressus, quādoquidem res ita apud Epipolas contigisset, ui muros Atheniensium expugnandi. Interea Atheniensium duces tum ex calamitate accepta, tum ex præsenti cunctis in rebus exercitus imbecillitate consultabant, cernentes neq; successum habuisse conatus suos, & milites perosos esse mansionem, utpote morbo implicitos duplici causa, & propter anni tempus (nam id erat quo præcipuè ægrotatur) & propter loci situm, ubi erant castra, palustrem, atq; asperum, cùm & aliunde nulla spes ostēderetur. Igitur Demostheni non placebat ulterius manere: sed cùm constituisset apud Epipolas periclitandū, & cum frustratus euentus esset, decedere potius quàm morari, dum mare foret idoneum ad transfretādum, ut ipsi possent iam classis accessione hostium copias superare: & esse conducibilius patriæ cum ijs bellare, qui in ipsorum regione hostiles extruerēt muros, quàm cum Syracusanis, quos iam expugnare arduum esset: neq; conueniens illi urbi ingentem pecuniam absumentes in cassum assidere.

Atheniensium ducum de discedendo dissensio.

Et Demostheni quidem ita placebat. Nicias autem & ipse male rem habere sentiebat, nolebat tamē id oratione cōfiteri, ne palàm facto ipsorum placito de discedendo, rumor ad hostes emanaret, & idcirco multò difficilius, cùm uellent, latêre hostem possent. Ad hæc nonnihil spei Nicias habebat, quippe qui res hostium magis quàm collegæ intelligebat, quòd crederet deterius actum iri cum illis quàm secum, si in obsidione perseueraretur, exhausturosq́ se pecunia illos, cùm præsertim mari iam latius recenti classe potirentur. Erant Syracusani nonnulli qui rem Atheniensium fouerēt, & ad ipsum mitterent certos, nec abire sinerēt. Quæ ille intelligens, res in ancipiti tenebat, circunspectansq́ differebat. Propalàm tamen negauit se exercitum illinc esse abducturum. Probè enim se scire hoc si fecissent, non esse ratum habituros Athenienses iniussu

suo de

suo de prouincia decedere exercitũ,nec eosdem de ipsis iudicaturos,qui rebus agendis interfuissent, quemadmodum commilitotones:nec ita sensuros de ipsis plectendis,ut ab alijs audissent, sed fidem habituros criminibus,quæ quis apposite loquẽdo obiecisset.Quinetiam multos,imò adeò plerosq; cõmilitonum,qui tunc uociferarentur,tanquam dura in cõditione positi,cùm illuc redijssent,diuersa uociferaturos,quasi duces pecunia corrupti discesserint.Nolle itaq; se,qui nosset Atheniensiũ ingenia,ob turpem causam atque iniquè perire ab illis potius,quàm ab hostibus,in quo iam periculo fuisset.Etiam deteriore cõditione quàm suas aiebat esse res Syracusanorum, quòd sumptum facerent in mercenarijs militibus alendis,pariter & nauticis tantæ classis:idq; iam annũ in tutãdis circa oppidis,& aliarũ rerum inopiam tolerare,aliarũ nullam inire rationem,duoq; talentorũ millia erogasse,& multorum etiam esse debitores:& si uel quantulumcunq; annumerãdo militibus stipendio cessarent,res eorum perituras:ut quæ magis auxiliari exercitu starent,quàm necessitate,quod secus in ipsis esset:& ideo debere in obsidenda urbe præstare,nec tanquam inferiores pecunia,qui multò superiores essent,abscedere.Hæc Nicias dicẽdo asserebat,pro certo habens & inopiam pecuniarum esse Syracusis,& quosdam qui res Atheniensibus succedere cuperẽt,à quibus mãdata accipiebat,ne discederet.Super hæc fretus classe tunc magis quàm antea cùm uictus est.Ei Demosthenes neutiquam assentiebatur de perstãdo.Cęterùm si non foret iniussu ciuitatis abducendus exercitus,sed perstandum,dicebat hoc faciendũ,ut aut in Thapsum mouerent castra,aut in Catanam, unde & peditatu frequenter in hosticum incursantes,illudq; expugnãtes,se alerent pariter & hosti nocerent,& non intra angustias,quę pro hostibus magis essent,ut nuper,sed in libero mari decertarent,ubi sua ipsis peritia prodesset,ubi & recipiendi se,& aggrediendi hostem,non ex breui & ex præscripto,facultatem haberent.In summa,nulla ratione sibi placere ipsos ibidem ulterius manere,sed quàm uelocissimè iam ac nihil differre proficisci. Huius orationem comprobabat Eurymedon, sed contradicente Nicia,segnicies quædam atque cunctatio existebat, & præterea suspicio ne propter aliquid Nicias, quod præ cæteris nosset, ita perstaret. Hunc in modum negligentiores facti Athenienses,in loco permansêre,cùm interim Gylippus atq; Sicanus remeauêre Syracusas,Sicanus quidem infecto Agrigenti negocio. Nam cùm apud Gelam adhuc ageret, seditio illa propter Syracusanos in gratiam redierat. Gylippus autem afferens secum & ex Sicilia magnam uim militum uenerat,& ex Peloponneso eos armatos, qui onerarijs nauibus illinc missi per uer in Selinuntem appulerant è Lybia transmittentes. Nam

Atheniensium ad fugam molitio.

delati in Lybiam cùm essent, & eis Cyrenæi duas triremes dedissent, ac faciendæ nauigationis duces, tulerunt, dum prætereherentur, auxilium Euhesperitis, qui à Libyis oppugnabantur, ipsisq; Libyis superatis, & illinc profecti nouam ad urbem Carthaginense emporiū, unde in Siciliam breuissimus est traiectus duorum omnino dierū & unius noctis nauigatione, & illinc traijcientes in Selinuntem applicauerant Qui postquàm aduenerūt, tum uerò Syracusani confestim sese expediebant, tanquam hostem interim utrinq; aggressuri classe ac pedestribus copijs. Eūdem exercitum intuentes Atheniensium duces accessisse, & res suas quotidie non in melius proficere, sed ex omni parte in peius, præcipuè hominibus morbo affectis, pœnitebat quòd non antea discessissent, & Nicia iam non adeò cōtradicente, sed tamen postulante ne palàm decerneretur, edixerunt omnibus quàm potuerunt occultissimè abitionem, utiq; expediti forēt cùm quis signum dedisset. Ita expeditis rebus, ubi erant profecturi luna defecit. Erat enim plenilunium. Eam rem pro ominosa habētes, cùm Atheniensium pleriq; ad subsistendum duces hortabantur, tum uerò Nicias, qui miraculis atq; huiusmodi rebus uehemēter deditus erat, negabat sibi aliquid cōstitutum esse ante ter nouem dies, quibus uates manendum prædicassent, ut tunc primùm castra mouerentur. Quare Atheniensium animis refrigeratis, māsum est. Syracusani hoc percepto, & ipsi tanto promptiores efficiebantur ad illorum fugam prohibendam, tanquam noscentium iam se non esse præstantiores Syracusanis uel classe uel peditatu: non enim alioquin furtiuā molituros abitionem. Et simul nolebant eosdem illinc profectos alibi in Sicilia considere, unde infestiores hostes essent. Sed primo quoq; tempore cogi ad dimicandū pugna nauali, ubi ipsis incommodum esset. Itaque naues implent, & aliquot dies, qui satis esse uisi sunt, conquiescunt. Vbi tempus instat, primo die ad muros Atheniensium succedunt: in quos cùm pars quædam, non tamen magna, armatorum, equitumq; Atheniensium per quasdam portas egressa impetum dedisset, aliquot ex armatis deprehensi sunt à Syracusanis, atq; in fugam uersi: & cùm ingressus esset arctus, septuaginta equites amisêre, & nonnullos ex alijs. Atq; hoc quidem die se recepere Syracusani. In sequenti autem cum classe prodière sex & septuaginta nauium, & simul ad muros hostium cum peditatu perrexêre. Aduersus quorum classem Athenienses suam eduxêre, sex & octoginta naues, confligentesq; prælium conseruêre. Dextrum eorum cornu tenebat Eurymedon. Hunc aduersarias naues circundare conantem, & in eas laxiori ductu tēdentem propius terram, Syracusani ac socij eo facilius media Atheniensium classe superata, primùm & ipsum adipiscuntur apud conclusa atq;

Prælium nauale & terrestre Syracusanorū et Atheniensiū

profunda

profunda portus, cumq; cum ſua naui ac cæteris quæ comitabantur, cōficiunt. Deinde & reliquam claſſem inſequuntur ad terram uſq; urgentes. Eam iam ſuperari, extraq; lignea ſepta & ſua caſtra præferri cùm cerneret Gylippus, auidus occidendi egredientes in terram, & facilitatis prębendæ Syracuſanis ad retrahendas hoſtiū naues, quod ab amicis terra teneretur, pergit cum parte quadam copiarum ad fauces portus, ſuis auxiliū laturus. Hos uiciſsim cernentes Tyrrheni (illic enim præſidio pro Athenienſibus ſtabant) incompoſitè cōtendentes ad ſuccurrendum ueniunt, in primos irruunt, eosq; in fugam uertunt, & in paludē, cui nomen eſt Lyſimelia, deturbant, mox ingruenti iam maiore Syracuſanorum ac ſociorum manu, ipſi quoque Athenienſes, qui de nauibus ſoliciti erant, ſuppetias ferunt, ac congreſsi ſuperant atq; perſequuntur, occiſis armatorum non ita multis, nauiumq; ſuarum pleraſq; tutati in caſtra retulerūt. Quarum duodeuiginti cepêre Syracuſani ac ſocij, earum defenſoribus cæſis, & cupientes concremare cæteras, onerariam quandam uetuſtam ſarmentis tædis'que cùm referſiſſent, iniecto igni (erat autem euentus in Athenienſes ſecundus) dimiſêre. Aduerſus hanc Athenienſes de ſua claſſe anxij, machinamenta ad ignem reſtinguendum adhibuerunt, eáque propius accedere prohibita, reſtinctáque flamma, periculum deuitarunt. Secundum hæc utrique trophæa ſtatuerunt: Syracuſani quidem naualis uictoriæ pariter & interceptorum prius ante muros hoſtiles armatorum militum atque adeò equitum: Athenienſes autem tum peditatus prius à Tyrrhenis in paludem, tum cæterorum à ſe reliquis deinde repulſorum. Paratam iam inſigni uictoria nauali per Syracuſanos, qui prius reformidarant claſſem, quæ cum Demoſthene ſuperueniſſet, Athenięſes exanimati prorſus erant, quòd longè ſecus atque ominati fuerant, euenerat. Sed exercitum multò magis pœnitere cœpit, quòd eis demum ciuitatibus bellū eſſet illatū, quæ eiſdem inſtitutis & ſub ſtatu & populari degerent, ut ipſi: quæq; claſſem & equitatū & potētiam haberent: & illatum eſſet à ſe, qui non poſſent neq; inducere diuerſam factionē, ſpecie mutandæ aliqua in parte adminiſtrationis Reipublicæ, neque ſubigere maioribus quàm illa haberet copijs. Ita & pleraque ſpe decepti, de ſtatu rerum ſuarum anxij erant. Et poſtea quàm (id quod minimè opinabantur) claſſe ſuperati ſunt, multò uehementius conſternato animo expaueſcebant. At Syracuſani ilicò portum præuecti, fauces eius præcludere ſtatuebant, ne poſſet amplius, etiam ſi uellet latere in excūdo hoſtis. Neq; enim iam eis de ſalute ſua tuenda curæ erant, ſed de hoſtili prohibenda, arbitrantibus ex præſenti rerū fide id quod erat, melius agi ſecū quàm cum Athenienſibus; quos unà cum ſocijs, ſi mari pariter & terra

Athenienſium res in anguſto ſunt.

superare potuissent, splendidum sibi certamen hoc apud Græcos uisum iri, quoniã mox cætera Græcia partim seruitute, partim seruitutis metu liberaretur. Non enim fore reliquam Atheniensium potentiam post hac ualidã ad sustinendũ bellum quod inferretur: cuius facti se autores magnæ admirationi futuros, tum apud præsentes, tum apud posteros. Et cùm propterea operæpreciũ erat in id certamen incumbere, tum uerò quòd non modò Atheniẽsium, uerùm etiam multorũ sociorum uictores existerent. Neq; ipsi tantùm Syracusani ista cogitabãt, sed ij quoq; qui auxiliariũ copiarũ duces erant, Corinthiarũ ac Lacedęmoniarũ, quòd in primis suas ciuitates periculo exposuissent, suppeditata prę cęteris magna classis parte, & egregiè nauata opera. Etenim gentes ad hanc unam urbem cõfluxerant plurimę, secundũ eas, quæ per hoc bellum uel ad Atheniensem uel ad Lacedæmoniorum urbem cõuenerant. Tot nanq; uel contra Siciliam, uel pro Sicilia se illuc contulerunt eorũ, alij ut subactæ regionis participes forent, alij ut sua pariter tutarentur, aut hinc aut illinc steterunt, non secuti partes uel iudicio aliquo, uel cognationis gratia potius, quàm prout cuiusq; casus tulit, aut emolumentum aut necessitas. Quorum hæc nomina sunt, qui uenerunt in Siciliam cum Atheniensibus.

Gentium enumeratio, quæ sub Atheniensibus ad Syracusas militarunt.

Athenienses quidem quum ipsi essent Iones, Syracusanis qui sunt Dores, bellum intulerunt ultrò, cumq; ijs eadem lingua & eisdem quoq; institutis utẽtes Lemnij, Imbrij, Æginetæ, qui tunc Æginam tenebant. Præterea Hestienses coloni, qui Hestiæam in Eubœa incolunt. Super hos alij partim subditi, partim socij suis uiuentes legibus, partim tributarij. Ex subditis quidem tributarijsq; ac stipendiarijs, ab Eubœa Eretrienses, Chalcidenses, Styrenses, Carystij. Ab insulis autem Chij, Andrij, Teij. Ab Ionia uerò Milesii, Samij, Chij: Quorum Chij tributorum immunes sunt, tantùm nauibus pręstandis obnoxij, cætera liberi, quòrum etiam plerique sunt Iones & factionis Atheniensium, præter Carystios, qui inter Dryopes numerãtur. Isti etsi Iones, tamen aduersus Dores ab Atheniẽsibus, quibus parebant, coacti sunt ipsos sequi, præter hos Æoles, quorum Methymnæi naues, non tributum pendebant, Tenedij atque Ænij uectigales erãt. Hi Bœotijs, qui Æoles ut & ipsi sunt, atq; etiam eorum conditores, cum Syracusanis necessitate hostes ferunt. Item Plateænses ex Bœotijs soli Bœotijs iure inimicitiarũ hostes. Rhodij quoq; atq; Cytherij, Dores utriq;, sed tamen Cytherij Lacedęmoniorũ coloni pro Atheniẽsibus contra Lacedæmonios qui cum Gylippo erant, tulerũt arma, & Rhodij, Dores, utpote ab Argiuis oriũdi, cõtra Syracusanos, qui Dores sunt: Item contra Geloos coloniam suam militantes cum Syracusanis utriq; necessario. Insularum quoque circa Peloponnesum

Cepha-

Cephalenses atq; Zacynthij liberi illi quidē, tamen quòd essent Insulani, Athenienses potius, qui mari potiebantur, sequi cogebantur. At Corcyræi non modò Dores, sed Corinthij planè, Corinthijs atq; Syracusanis, cùm horum coloni, illorum cognati essent, tamen hostes erant, tum officij gratia erga Atheniēses, quibus parebant, tum libenter propter odium Corinthiorum. Etiam qui nunc Messenij uocitantur è Naupacto & Pylo, quæ tunc ab Atheniensibus tenebatur: Item Megarensium exules non multi numero, Megarensibus, qui Selinuntini sunt, aduersi erant aduersitate fortunæ: cæterorum sociorum magis uoluntarium commilitium fuit. Nam Argiui societatis gratia potius quàm inimicitiarū cum Lacedæmonijs, & suæ cuiusque ad præsens utilitatis, Dores aduersus Dores, secuti sunt Athenienses, qui sunt Iones. Mantinæi atque alij Arcades mercede conducti, aduersus apertos perpetuosq; sibi hostes assueti ire, tunc lucri gratia, nihilominus eos Arcades, qui cum Corinthijs uenerant, pro hostibus habebant. Necnon Cretes & Aetoli stipendio & ipsi adducti. Contigitq; ut Cretes, qui unà cùm Rhodijs Gelam condidissent, non pro colonis starent, sed contra illos ultrò stipendia facerent. Acarnanum quoque nonnulli cùm lucri, tum multò magis demerendi Demosthenis gratia, & erga Athenienses beneuolentia, socia arma in auxilium contulerunt. Et hi quidem intra fines Ionij sinus. Ex Italicis autem Thurini & Metapontini, qui eo necessitatis uenerant seditionis Reipublicæ temporibus, ut comites militiæ assumerentur. Ex Siciliensibus Naxij, & Catanenses. Barbarorum Ægestani, qui belli autores extiterant, & plerique Siculorum. Extra quoque Siciliam nonnulli Tyrrhenorum, quod Syracusanis aduersarij essent, & Iapyges mercenarij. Tot adeò gentes Atheniensium sunt auspicia secuti.

Syracusanorū copiarum enumeratio.

Ediuerso autem Syracusanis auxilio fuêre Camarinenses illorum finitimi, & qui post hos incolunt Geloi. Nam Agrigentini, quorum urbs ordine proxima est, à partibus aberant. Secundum hos siti Selinuntini Syracusanas partes sectati sunt, & quicam Siciliæ partem incolunt, quæ in Lybiam uergit. Ex ea autem quæ in mare Tyrrhenum, Irenæi, qui soli omnium è Græcis illic habitabant, soliq; illinc auxilio uenerunt. Atq; ij demùm ex Sicilia Græcæ nationis. Fuerunt auxilio & Dores, & qui sui iuris erant, & ex Barbaris soli Siculi, quicunq; non transierant ad Athenienses. Ex ijs qui extra Siciliam sunt Græcis, Lacedæmonij ducem Spartiatam præbuerunt, & alios libertinos atq; seruos. Possunt autem libertini iam liberi esse. Corinthij soli & classem & peditatum, Leucadij quoq; propter cognationem, Ambraciotę uenerunt, ex Arcadia mercenarij à Corinthijs: & Sicyonij necessitate militantes,

ex ijs

ex ijs qui extra Peloponnesum sunt Bœotij, super has aduentitias copias, ipsi Sicilienses magnæ utique ciuitates, ingentem perinde uim omnis generis hominum suppeditauerunt. Siquidem & armatos sanè multos, & naues & equitatum, & aliam innumeram multitudinem contraxerunt. Verùm præ omnibus (ut sic dicam) alijs Syracusani ipsi plus copiarum præstiterũt, tum pro ciuitatis, tum pro periculi magnitudine in quo erant. Atq; hæc utrorunque contracta auxilia fuêre, ac tunc præstò utrique parti suæ, neutriq; alia ulla pòstmodum superuenêre. Igitur non immeritò Syracusani ac socij parta nauali uictoria, pulchrum sibi certamen arbitrabantur debellãdo omni Atheniensium, qui tantus esset, exercitu, utraq; parte illum mari terraq; effugere prohibentes. Præcludunt itaque continuò maioris portus os octo fermè stadiorum, transuersis triremibus onerarijs alijsq; nauigijs, ea ancoris stabilientes, cæteraq;, si adhuc Athenienses pugnare conentur, expediũt, nihil etiam paruum paruifacientes. A quibus Athenienses se intercludi cernentes, & reliqua quæ ijdem destinauerant intelligentes, consultandum sibi putauerunt, congregatiq; duces ac præfecti, cùm propter alias difficultates, tum præcipuè propter inopiam commeatus, quem nec ullum in præsens habebant, quia præmissis Catanam nuncijs, tanquã profecturi nè quid ad se deueheretur mandârant) nec in posterum habituri erant, nisi classe superarent, censuerunt superiores muros esse deserendos, occupatúq; ante naues locum quàm minimo possent muro cõcludendum, utensilium atque ægrotorum capacem, & hunc præsidio custodiendum, cætero peditatu cunctas naues implendas, quæcunque & idoneæ & non idoneæ ad cursum forent, ac omnibus rebus in eas congestis, prælium nauale committendum: ut si ex eo uictores discederent, Catanam se reciperent: sin secus, incensa classe pedestri itinere, atq; agmine abirent, qua parte citissimè locum aliquem, seu Barbaricum seu Græcum, qui amicus esset, adepturi forent. Quæ postea quàm agi placuit, ilicò acta sunt. Nam è superioribus muris ad littus descenderunt, nauesq; uniuersas compleuerunt, cunctis ingredi adactis, quicunque per ætatem quoquo modo idoneus esset. Vniuersæ autem fuêre ad centum ac decem. In quas impositi sunt complures sagittarij atq; iaculatores. Acarnanum aliorumq; militum peregrinorũ, ac cętera quæ necessitas ad illud institutum postulabat, pro uirili compararunt. Hæc cùm pleraque iam in expedito forent, Nicias intuens milites consternato esse animo, quòd præter solitum in pugna nauali longè inferiores fuissent, quodq; præ inopia commeatus summæ rerum sine mora periculum facere uellent, conuocauit prius omnes, exhortatusq; est in hunc modum oratione habita:

Oratio Niciæ ad milites.

Milites, & qui Athenienſes, & qui ſocij eſtis, certamen quidem quòd nobis inſtat præcipuè omnibus commune eſt, ubi de ſua quiſꝙ ſalute ac patria non minus quàm hoſtes noſtri laboramus: qui ſi uincimus nunc in hac pugna nauali, licebit nobis ſuam cuique urbem reuiſere. Verùm non debetis abiecto animo eſſe, neque id pati quòd inexpertiſsimi hominum ſolent, qui ſi primis in prælijs malè ſucceſsit, nunquam deinceps ſpem habent, ſemper timentes ſimilem calamitatem. Sed uos quicunque adeſtis Athenienſes permulta iam bella experti, uoſꝙ ſocij Athenienſium perpetui cõmilitones, mementote, inopinatos bellorũ eſſe euentus, ancipitemꝙ fortunã, & ſi eam à nobis ſtare ſperabimus: eoꝙ uos ad pugnandum præparate, quemadmodum pugnare par eſt tantam ueſtrûm multitudinem quam uidetis. Nam quod ad nos attinet, quæcunꝙ ipſi utilia fore animaduertimus circa portus anguſtias, & futurum nauium tumultum, contraꝙ illorum pro contabulationibus propugnaculiſꝙ apparatum, unde nobis antehac nocitum eſt, ea omnia nos cum gubernatoribus, ex præſenti copia prouidimus comparauimuſꝙ. Nam ſagittarij permulti atꝙ iaculatores in naues aſcendent, & tanta hominum multitudo, quanta pugnãtes quidem in libero mari non uteremur, quoniam ad exercendam diſciplinam rei naualis impedimẽto eſt onus nauium, ſed hic futura utilis ubi ex nauibus prælium pedeſtre faciemus. Excogitauimus præterea cùm alia quæ in nauibus ædificanda fuerunt, tum uerò aduerſus craſsitudinem lignorum, quæ prominent è proris illorum, quod præcipuè nobis obfuit, ferreas manus, quæ nauem hoſtilem quum ſimul incurrerit, retrò ſe recipere prohibeant, ſi modò qui ſuperſtabunt, hoc opus exequentur. Huc enim redacti ſumus, ut de nauibus pedeſtre prælium geramus, & ſicut conſtat, nobis expediat, ut neque ipſi reſiliamus à complexu claſsis aduerſæ, neque illam à nobis reſilire permittamus, præſertim cùm terra futura ſit hoſtilis, præter eam, ubi noſter peditatus conſiſtet. Quæ uos tenẽtes memoria, pugnare debetis quoad ſuppetũt uires, nec ſinere uos ad terram propelli: & cùm nauis in nauem impegerit, non prius eas dirimẽdas putare, quàm armatos qui pro tabulato hoſtili ſtant, detruſeritis. Atꝙ in hæc non minus quàm nautas uos grauioris armaturæ milites, quantò magis hoc eorum opus eſt, qui deſuper pugnant, & uobis licet ſicut aliàs, ita nunc quoque pleraꝙ pedeſtri acie uincere. In quo ipſo uos etiam nautæ hortor atque obſecro, ne admodum perculſo animo ſitis ob acceptas calamitates, cùm & meliorem tabulatis habeatis apparatum, & naues plures. Quinetiam illam animo cõcipere uoluptatem, dignũ uobis eſſe, ut uos periculo eximatis & qui Atheniẽſes nuncupa-

nuncupamini,& qui non eſtis,tamen propter commercium linguæ,ac propter æmulationem noſtrorum inſtitutorum,apud omnem Græciam inclyti extitiſtis,conſortes etiam imperij noſtri:eatenus certè,quatenus ad commodum ueſtrum ſpectabat, ut cùm terrori eſſetis ſubditis ueſtris, tum uerò ab alijs lædi nequiretis. Itaq; cùm ſoli liberè ſocij ſitis imperij noſtri,meritò nunc illud cauete ne prodatis,ſed contemnentes quos ſæpenumero ſuperaſtis, Corinthios pariter ac Sicilienſes(quorum nemo quamdiu noſtra claſsis uiguit,reſiſtere auſus eſt)eos propulſate,oſtenditeq; ueſtrã peritiam,etiam ægrotantium atq; afflictorum,antecellere alieno robori uel experta felicitate ſubnixo. Rurſus ijs, qui inter uos Athenienſes ſunt,hæc in memoriam redigo,neq; naues alias his ſimiles apud naualia,neq; aliam armatorum iuuentutem uobis reliquam eſſe,& ſi quid aliud contingat uobis,niſi uincere,protinus hoſtem illinc huc nauigaturum aduerſus noſtros hîc relictos,qui inualidi erunt ad eos,qui illic ſunt, & qui ſuperuenerint,propulſandos. Voſq; continuò partim in Syracuſanorum uenietis poteſtatem (contra quos qua mente ueneritis,ipſi uobis conſcij eſtis) partim in Lacedæmoniorum,qui illic ſtant. Quare cùm ſit uobis de his duabus rebus certamen conſtitutum, ſi unquam ante hac, nunc maximè annitamini,memores,& ſinguli & uniuerſi,claſſem hanc quæ nunc pugnatura eſt,eam demum eſſe Athenienſium & peditatum,& naues,& urbem,& ciuitatem reliquam, deniq; magnum nomen Athenarum, pro quibus ſi qua in re alius alij præſtat,aut peritia aliqua,aut animi præſtantia,is nunquam opportunius quàm hodie ſe oſtentauerit,& ſibi ipſi utilis,& cæteris ſalutaris futurus. His Nicias ſuos exhortatus,è ueſtigio iuſsit ut naues conſcenderent,quòd Gylippo atq; Syracuſanis in promptu erat ſentire,quippe qui illos ſeſe ad pugnandum præparare conſpicerent,facti etiam certiores de manibus ferreis,quas in ipſorum naues iniecturi eſſent Athenienſes. Ideoq; ſicut aduerſus alia, ita aduerſus hoc remedia adhibuerunt. Proras enim & bona ex parte ſuperiora nauium corijs contexerunt,ut in his nihil haberet manus iniecta quòd prehenderet,ſed laberetur. Quæ poſtquàm præparata ſunt omnia,ijdem qui hæc militibus præparauerũt,duces eorum ac Gylippus talia apud illos uerba fecêre:

Ad manum ferream remedia.

Oratio Gylippi ac Syracuſanorum ad milites.

QVod præclarè ſe habeant quæ hactenus geſsimus, quódq; de præclaris in poſterum rebus certamen nobis futurum ſit, Syracuſani atq; ſocij,ut uidemini plerique cognoſcitis. Non enim tam promptè prælia adijſſetis. Si quis tamen id non perinde ac debet ſentit,hunc edocebimus,Athenienſes huc ſe loci contuliſſe primùm ad Siciliam ſubigendam,deinde ſi cœptis bene ceſsiſſet,ad

ſubigendam

subigendam Peloponnesum, cæteramq; Græciam. Hos maximo imperio præditos cunctorum & superiores & nostræ memoriæ Græcorum, uos primi omnium resistẽtes classe, qua illi cuncta obtinebant, aliquoties superastis: & nunc, ut credibile est, superabitis. Nam qui bellum inferunt ijs, quibus pręesse se dignos putant, si sæpe decepti, & sua quam præsumpserant, opinione infirmiores succumbunt, horum mox animus, sicut antea supra uires, ita postmodum infra uires est, id quod nunc Atheniensibus accidere credibile est. At uobis (qui cùm adhuc imperiti essetis, tamen obsistere ausi estis) nunc ualidioribus effectis, accedente persuasione uestræ strenuitatis eximiæ, quòd strenuissimos superastis, duplex adesse singulis spes debet: Vna, & ea maxima, quæ perinde maximam fiduciam præbet, quòd multa à nobis ad audendum comparata sunt: Altera, quòd hæc ipsa in quibus illi apparatum nostrum imitantur, nostro mori cõsueta sunt, nec incompositi aduersus singulas eorum naues erimus. At illi cùm solito frequẽtiores armati tabulatis superstiterint, ex magna parte (ut sic dicã) terrestres iaculatores, ueluti Acarnanes, alijq; id genus hominũ, qui ne sedentes quidem inuenient quomodo tela emittere debeant, quini stantes in nauibus aberrabunt à nostris hominibus feriendis, & inter seipsos alius alio modo titubãtes tumultuabũtur: quibus ne multitudo quidem nauiũ proderit, eas etsi plures quàm nostræ sunt, ne quis uestrũ reformidet. Illæ enim cùm multę sint, tardiores erũt ad id exequẽdum, quòd gubernatores uolent, oportunissimæ autem machinamentis, quę ad eas affligendas comparauimus: quod uerissimum esse cognoscatis licet ex ijs, quæ uos arbitramur apertè audisse. In gentibus isti malis euicti, & præsenti rerum penuria urgẽte, ad desperationem redacti sunt, nec tam apparatui suo confidunt, quàm id quod possunt temeritati fortunæ: ut aut perrumpentes classem nostram elabantur, & in altum uela faciant: aut si hoc nequeant, terrestrem profectionem moliantur, nimirum ut in hoc rerum statu non deteriora secuturi. Cum istis igitur tam cõfusis hominibus, & quos fortuna sua tradidit infestissimos hostes, cum ira pugnam cõferamus, existimantes æquissimum esse simul de aduersarijs, qui ad nos uexandos uenerunt, sumere ultionem, & saturare animi iracundiam, simul inimicos propulsare, rem nobis maximè uoluptati futuram, quoties alicubi narrabitur. Nam quòd inimici atque inimicissimi nobis sint isti, omnes cognoscitis: qui huc ad nos in seruitutem redigendos traiecerunt, si prosperè pugnassent, nos uiros summo supplicio, nostros liberos atque uxores extrema deformitate, totam deniq; ciuitatẽ maxima ignominia affecturi. Quibus de causis nemo uestrûm molli animo esse debebit, neq; pro lucro ducere, quòd illi abeãt nullo periculo no-

stro. Nam sine periculo nostro abibunt etiam si uicerint. Si uerò id effecerimus, quod facere debemus & uolumus, ut istos puniamus, cunctæq; Siciliæ pristinam agricolationem ac libertatem restituamus, etiam certiorē quàm antea fuerat, profectò pulchrum nobis hoc certamen est, & rarisśima talium periculorum occasio, ut ex aduersa fortuna minimū damni fiat, ex prospera plurimùm lucri. His uerbis Syracusanorum duces ac Gylippus, suos & ipsi milites adhortati, inuicem naues implent, simul ac Athenienses idem facere senserunt. At Nicias præsenti rerum conditione attonitus, quòd cerneret quale periculū esset, quamq; uicinum, cùm tātùm non iam processuri essent, reputāsq; qualia in atrocibus prœlijs contingere soleāt, existimabat nihil dum satis præparati apud suos esse, nec se satis eosdem alloquutum. Rursus itaque sigillatim trierarchos uocat, eos honorificè & patrum & tribuū & proprijs nominibus appellans, oratq; (prout in quoque aliquid decoris erat) ne dignitatem suam prodat, neue ij, quorum egregia maiorum facinora extabant, domesticam uirtutem ac gloriam obliterarent. Admonebat eosdem patriæ, quæ omnium liberrima esset, & suarum cuiusque facultatum in illa ad uictum repositarum: alia præterea commemorans, quæ tali tempore compositi homines dicerent, non qui captarēt uideri cuiquam priscorum uti oratione, referendo quæ de singulis conuenientia sunt dici: de uxoribus, de liberis, de dijs patrijs, sed quæ in præsenti pauore utilia dictu putantes exclamant. Hæc Nicias non tam sufficientia quàm necessaria se locutū ratus, digreditur ab ijs, ac peditatum ducit ad mare, & in ordines quàm primùm potest collocat, ut ijs qui in nauibus forent, quàm maximè prodesset ad fiduciam præsumendam. Demosthenes autem & Menander & Euthydemus (ij enim duces in naues Atheniensium ascenderant) mouentes à loco castrorum, sine mora nauigarunt ad fauces portus iam præoccupatas præclusasq;, ne illac exiretur, habentes in animo perrumpere in exteriora. In quos ut undiq; ingruerent Syracusani ac socij, totidem ferè nauibus prius mouentes, earum parte exitum portus, parte reliquum portum in orbem tutabantur, peditatu pariter eis auxilium ferente, quocunq; in loco naues substitissent. Præerant autem classi apud Syracusanos Sicanus & Agatharchus, in suo cornu uterque medium Pythen & Corinthij tenebant. Athenienses postea quàm ad obsessas fauces subière, primo impetu congressi sunt, collocatumq; ex aduerso nauium agmen superauêre, illarumq; retinacula soluere tentabant. Sed mox inuectis in eos undique Syracusanis ac socijs, non iam pro angustijs exitus tantùm, sed etiam intra portum prœlium gerebatur, eratq; atrox, quale nullum superiorū: multa etiam ferocia utrisq; ad alteros incursando

Niciæ desperatio.

Prælium nauale.

sandos per nautas, quando uociferans exhortatio existebat, multa quoꝙ inter aduersos gubernatores artis aduocatio atꝙ cõtentio, nauigatoribus subseruientibus, quoties nauis nauem incurreret, ne qui tabulis insistebant, aliorum destituti artificio deficerent. Vnusquisꝙ in loco sibi asignato nitebatur primus extare. Cæterùm cõfligentibus tot in tam breui spacio nauibus (plurimę enim hæ in breuissimo spacio pugnarunt: quippe quæ ex ambabus partibus essent paulóminus ducentæ) rari excursus fiebãt, nulla facultate aut retrocedendi, aut excedendi, sed frequẽtiores implicationes, prout quæꝙ nauis in alteram incidisset, siue inter fugiendum, siue inter alteri occursandũ. Et quandiu alia nauis inuadebat, tam diu ij, qui pro tabulatis erant, abundè missilibus utebãtur, iaculis, sagittis, saxis. Cùm uerò conserebantur, nauigatores ad manus ueniebant, conantes utriꝙ in alienã transgredi nauẽ. Contingebatꝙ multis in locis, cùm in arcto stipatæ naues essent, ut alij in aliorum naues transilirent, & alicubi singulas binæ aut plures necessariò coarctarent, & gubernatores aliarum custodia, aliarũ insidiæ, neꝙ id per uices, sed pariter undiꝙ circunsisterent, ingensꝙ multarum inter se concursantiũ nauium sonitus & pauorem præbebat, & auditum eorum qui uidebatur adimebat. Multa enim utrinꝙ adhortatio prępositorũ ac uociferatio existebat, tum ex arte gubernatoria, tum ex præsenti contentione uincẽdi: Atheniensium quidem suis ut perrumperent exclamantiũ, utꝙ si quãdo aliàs, nunc promptius eniterentur pro sua salute, proꝙ in patriam reditu: Syracusanorum autem ac sociorum, quòd eis pulchrum uidebatur, ut prohiberent eos effugere, & suam quisꝙ patriam gloria uincendo augerent. Duces quoꝙ utriusꝙ classis hoc amplius sicubi aliquam animaduerterant non necessaria causa nauim retrò ire, accitum nominatim eius trierarchum, percontabantur: Athenienses quidem, num cederet, quia terram iam hostilissimam, magis hospitalem, quàm mare non exiguo labore obtentum arbitraretur? Syracusani uerò num quos planè sciret in animo habere, quoquo modo effugere, hos fugiẽtes ipse fugeret? Cùm apud hos ancipiti Marte dimicatur, utrorunque peditatum ingens certamen & animorum contentio tenebat: Syracusanũ de maiori, quàm parauerat, decore sibi comparãdo: Atheniensem, ne ipsos durior insuper sors maneret. Cùm enim essent Atheniẽsibus omnia in nauibus pósita, erat de futuro metus incomparabilis, & propter inæqualitatem loci, etiam inæqualiter præliũ ex terra spectare cogebantur. Nam cùm esset è uicino spectaculum, nec pariter in eodem intuerẽtur, si qui suos alicubi uincentes aspexissent, animos attollebant, & ad inuocandos deos ne se salute fraudarent, cõuertebantur. Qui autẽ suos uinci, ij planctu atꝙ uociferatione utebantur. Adeò magis animo

Exhortationes utrarunꝙ partium ad suos.

frangebantur ex ijs, quæ fieri uidebant, quàm ij, qui in ipso opere uersabantur. Nonnulli sicubi anceps certamen cernerent, quod acre & pertinax esset, ipsis corporibus, prout animo affecti erant, præ metu innuebāt, gestusq́; agebant, & in maximo angore erant. Semper enim illi propémodum uel effugiebant, uel peribant. Licebatq́; in eodem Atheniensium exercitu, quandiu anceps certamen erat omnia pariter audire lamenta, clamores, uincentes, succumbentes, & alia quæcunque magno in discrimine exercitus edere plurifariàm cogitur. His æqualia patiebantur & ij, qui in nauibus erant. Cæterùm Syracusani ac socij quum perdiu obstinatè pugnatum esset, classem Atheniensium in fugam uertunt, & inuecti strenuè cum magno clamore atque exhortatione, terram uersus persequuntur. Tunc nauticus exercitus, alia atque alia parte, quicunque in mari capti non erant, citato cursu castra subierunt, ne peditatus quidem amplius in ambiguo esse, sed uniuersi ploratu gemitúque miserantes, ea quæ fiebant uno impetu, partim ad subueniendum nauibus tendunt, partim ad reliquam partem murorum tuendam: alij, quæ maxima portio erat, iam pro seipsis, qua sibi salutem parerent, circunspectant. Fuit autem eo momento pauor tantus, ut nullus ex superioribus extiterit maior. Ac tale quiddam passi sunt, quale ipsi fecerunt ad Pylum, ubi Lacedæmonij amissa classe perierunt, & illi insulam transgressi: ita in terra nunc Athenienses, nisi quid inopinatum accideret, saluos se fore desperabant. Post gestam acerrimè pugnam naualem, in qua multæ naues ac multi uiri

Syracusanorū uictoria.

perierunt, Syracusani atque socij uictoria potiti, naufragijs etiam ac cæsorum corporibus potiti sunt, reuectiq́; ad urbem, trophęum statuerunt. Athenienses autem præ magnitudine præsentium malorum, ne cogitauerunt quidem de mortuis ac naufragijs repetendis, sed consultabant de abeundo protinus per noctem, & Demosthenes Niciam adiens, censebat faciendum ut repletis reliquijs nauium, sub auroram erumperent portu, si possent, quòd dicerent plures adhuc ipsis utiles naues superesse quàm hostibus. Supererāt enim eis naues circiter sexaginta, hostibus minus quinquaginta. Cui cōsilio cùm Nicias assentiretur, uellentq́; naues implere, nautæ introire abnuebāt, ut qui perculsi animo erāt, quòd male pugnassent, nec credebant se posthac esse superiores. Ita cuncti ad discedendum terrestri itinere animum adiecerunt. Horum

Hermocratis consilium.

consilium suspicatus Hermocrates Syracusanus, ratusq́; periculosam rem fore, si tātus exercitus itinere pedestri proficiscens, alicubi subsideret, unde rursus contra ipsos faceret bellum, adit magistratus, negat'que oportere contemni nocturnam hostium profectionem, commemorans hæc & alia quæ ipsi uidebantur, sed potius

egredi

egredi omnes Syracuſanos pariter & ſocios, ad obſtruendas uias, occupandaꝙ locorum anguſta atꝙ cuſtodiēda. Hoc alij nihilo illi quidem minus quàm Hermocrates, intelligebāt, & eſſe faciendū putabāt, ſed homines ab ingēti certamine reuerſos, libentius iam quieturos, & eo ægrius imperata facturos, quòd dies feſtus inſtaret. Inſtabant enim eo die ſacrificia Herculis, in quo præ ingenti uictoriæ gaudio, pleriꝙ ſe conuerterent ad potandū, omnia deniꝗ ſperanda citius illis perſuaderi poſſe, quàm ut in præſens ſumerent arma ad exeundum. Talia reputantes, ac difficilia factu exiſtimantes magiſtratus, cùm inducere non poſſet Hermocrates, ueretureꝙ ne Athenienſes per ſilentium noctis tranſeuntes ardua maximè loca occuparent, hoc per ſe commentus eſt: Quoſdam è comitibus ſuis equeſtres mittit ad hoſtium caſtra, obſcura iam nocte, qui euſque præuecti unde quis exaudiri poſſet, quaſi eſſent Athenienſium ſtudioſi, quales quidam in urbe erant, Niciam de rebus urbanis certiorem facere ſoliti, euocatis certis iuberent referre Niciæ, ne mouerent ea nocte, tanquā Syracuſanis itinera obſidentibus, id potius poſtridie per ocium inſtructo agmine facerent. Hæc cùm miſsi dixiſſent, diſceſsêre: cumꝙ eadem ij, qui audierant, ducibus Ahenienſibus retuliſſent, duces ipſi ob eum nuncium hac nocte cunctandum cenſuerunt, nullam ſubeſſe fraudem opinati: & quia non ſtatim prodijſſent, etiam die inſequenti, ut ſe milites pro facultate cōmodiſsimè inſtruerent, manendum, ac relictis cæteris rebus omnibus abeundum, præterquàm ijs quæ ad uſum corporis pertinerent. Syracuſani interea ac Gylippus cum peditatu priores egreſsi, itinera paſsim, quibus illos tranſituros credibile erat, obſtruxerunt, & ad riuorum ac fluminum uada poſuêre præſidia, & alia opportuna excipienda hoſti loca, qua uiſum eſt, ut illum tranſitu arcerent. Super hæc inuecti claſſe, naues Athenienſium ab littore abſtraxerunt: quarum aliquot concrematis, quod facere ipſis quoque Athenienſibus in animo fuerat, cæteras per ocium, inhibente nemine (ut queꝙ alicubi quaſſata) religatas portauerunt in urbem. Poſt hæc Nicias ac Demoſthenes, ubi ſatis ſibi uiſi ſunt ſuos inſtruxiſſe, tertio à pugna nauali die mouerunt. Res acerba omnibus, non eo ſolùm nomine, quòd omni claſſe amiſſa decederent, è magna ſpe redacti in diſcrimen & ſuum & ciuitatis, uerùm quod relinquere caſtra, eſſet cunctis triſte ſpectaculum, ſenſuꝙ & cogitatione miſerū. Nam cùm mortui inſepulti eſſent, quoties quis aliquem neceſſariorum iacentem cōſpexerat, mœrore pariter & metu afficiebatur, ſed multò mœſtiores reddebantur erga uulneratos atꝙ ægrotos, tanquam defunctis miſeriores, quos relinquebant. Nam ad complorationem ſe atꝙ eiulatum conuertentes illi miſeri, quid agerent neſciebant, ut ſe ſocij abdu-

Herculis ſacra

Hermocratis commentum.

Lamentabilis Athenienſium claſsis.

cerent,obsecrabant,nominatim unumquenque inclamantes:& si cubi quis uidisset ullum aut sodalium,aut familiarium,aut contubernalium iam abeuntē,pendentes ab eis,& quoad poterant insequentes,& si quos prius uires membrorum defecissent,non sine multis obtestationibus ac ploratibus deserebantur:prorsus ut omnis exercitus lachrymis compleretur,& prę huiuscemodi angore non facilè discederetur, quamuis ex hostico,& maiore quàm quem lachrymis ostendebant, mœrore,tum ex ĳs quæ iam passi erant,tum ex ĳs,quæ intra se ne paterētur,formidabāt.Nec mœsti tantùm,sed etiam sibiĳpsis admodū succensentes,nihil enim aliud quàm expugnatæ ciuitati,& quidē non exiguæ,quæ profugeret, similes uidebātur,quippe uniuersa multitudo simul proficiscētiū, non erat infra numerum quadraginta millium:Quorum cæteri omnes,ut quisq; poterat sibi utilia:pedites autem equitesq; prçter consuetudinem sua ipsorum cibaria sub armis ferebant,alĳ inopia comitum,alĳ diffidētia.Transfugerant enim serui cùm antea multi,tum uerò proximè plurimi,neq; hæc quæ ferebant,sufficientia erant.Nam rei frumentariæ in castris iam nihil supererat.Cùm interim huiusmodi ærumna,quæ alias ob hoc,quod æqualis & communis est cum multis,habet aliquid leuamenti,nunc nihilo magis eis tolerabilis uidebatur,præsertim cogitātibus,quantò ex splendore pristinæ dignitatis in quem exitum miseriamq; recidissent. Etenim hæc maxima nouitas exercitui Græco cōtigit,ut ad quos subigēdos uenisset,ipse metu ne potius ab illis subigeretur abscederet:& qui cum uotis & canticis in expeditione exissent,rursus ab expeditione diuersa uoce ac cōtrario sono reuerterētur,ex nauticis facti pedestris,& armato agmini magis,quàm classi uacantes, tamen ipsis hæc omnia toleranda uidebantur,propter impendentis iam periculi magnitudinem.Quos Nicias cernens tam affectos animo esse,& uehemēter abalienatos,adiens exhortabatur ex rerum conditione,cōsolabaturq;,clamore etiam utens magis quàm uoce,ut ad quosq; accedebat,ut illorum animos excitaret:uolens quàm maximè uociferando iuuare.

Fugiētiū Athenienses copiæ.

Oratio Niciæ ad milites.

ATheniensés (inquit) ac socĳ,cùm nonnulli etiam ex asperiori quàm nostra est,conditione,aliquando incolumes euaserint,debetis habere spem,neq; supra modū uobismetipsis succensere,aut propter iacturas quas fecistis,aut propter indignitatem quam nunc sustinetis.Ego quoq; nihilo meliore quàm uos conditione sum,nō uiribus:nam quomodo ex ualetudine effectus sim, cernitis:non fortunis,quibus tum ad uictum,tum ad alia pertinentibus,nulli aliquando inferior cùm fuerim,nunc tamen in pari periculo inter miserrimos conspicior,quanquam multo cultu deos, multa

multa iusticia ac bonitate homines prosecutus sum, propter quæ futurorũ spes audax tamen est: sed clades acceptæ supra modum terrent, quæ forsitan sedabuntur. Nam & satis feliciter cum hostibus actum est: & si cui deorũ inuisi huc militauimus, satis iam dedimus pœnarum. Etenim alij quoq; nonnulli aliquãdo iam bellum alijs intulerunt, qui cùm more hominum egissent, tamen tolerabilia passi sunt. Vos quoq; cùm sperare debetis Deum mitius nobiscum esse acturum, quippe qui digniores simus misericordia numinum, quàm odio: tum non ualde extimescere, cùm intueamini uosipsos, qualis armatura uestra sit, & quantus numerus pergentis agminis. Quinetiam illud cogitare ubicunque consederitis, ibi protinus uosipsos uobis esse ciuitatem urbemq;, neq; ab ulla alia Siciliensi ciuitate, aut uenientes facilè receptum, aut alicubi collocatos facilè expulsum iri. Iter autem ut tutò & ordine fiat, ipsi obseruabitis, nihil aliud suo quis animo uersantes, nisi quocunque loco quis uestrûm pugnare cogatur, se eum obtinẽdo, & patriam & mœnia sua obtenturum. Quod iter properabimus continenti nocte ac die, quoniam exiguum habemus commeatum. Et si peruenierimus ad aliquod amicum oppidum Siculorum (hi enim ob metum Syracusanorum in fide perstant) tunc demum sentite tuto uos in locò consistere. Ad quos præmittite qui iubeat eos nobis occurrere pariter, & cõmeatum afferre. In summa hoc sentite, commilitones, necessarium uobis, fortibus uiris, esse, ut quibus nullus uicinus locus est, in quo si ignauè egeritis, salui esse posłitis: & si hostem euaseritis, cæteros quidem è uobis consecuturos, quæ reuisere concupiscitis: Athenienses autem magnam ciuitatis uestræ potentiam, etsi collapsam, resuscitaturos. Viri enim, non mœnia & naues sine uiris, ciuitas sunt. His Nicias adhortationibus milites adibat, sicubi cernebat eos aut non cõtinẽri, aut non ordinata serie pergentes, cogendo atq; disponẽdo. Nihilominus Demosthenes hæc aut similia apud suos dicebat, quadrato agmine euntes. Niciæ copiæ sub ipso priores ibant, suæ sub Demosthene sequebantur, impedimẽtis & turba plurima intra armatos recepta. Qui postea quàm ad uada peruentũ est Anapi amnis, offendunt illic instructã Syracusanorum ac sociorum manum. Ea in fugam uersa, ac trãsitu potiti, ultrà progrediuntur, Syracusano equitatu assultante, leuiq; armatura iaculis incessente. Atq; hac die confectis quadraginta ferè stadijs, tumulum quendam insederũt. Postero die diluculo iter ingressi, cùm uiginti circiter stadia processisłent, descenderunt in campestrẽ quendã locum, ibiq; castra posuerunt, uolentes sumere cùm aliquid esculentũ è suis quisq; rebus, tum (habitabatur enim locus) aquã illic quam secum ferrent, quoniã multa per stadia quæ perrecturi erãt, nihil admodũ aquæ esset. Interea Syracusani trãsitũ

Atheniensium iter per Sicilia.

ulteriorem præoccupãtes inædificarunt. Erat autem tumulus arduus, & utrinque rupibus præceps, cuius uertex uocatur Lepas. Poſtero die iter ingreſsi Athenienſes, à Syracuſanis ſocialibusq; equitibus ac iaculatoribus (quorũ magnus erat numerus) utrinque obequitantibus atq; iaculantibus pergere prohibebantur: & cùm diu dimicaſſent, tandem in eadem rurſus caſtra rediêre, iam non itidem eis ſuppetente cõmeatu, quibus digredi præ hoſtium equitatu non liceret. Mane tamen mouentes rurſus ire pergunt, & ui peruadunt ad tumulum: ſed cum inueniunt muro præcluſum, & muro ſuperſtantem pedeſtrem aciem ex magna parte ſcutatam, erat autem arctus locus, quem ſubeuntes Athenienſes expugnare nitebantur: uerùm cùm à tot uiris è loco eminenti ferirentur (facilius enim ſupernè tela uibrabantur) nec poſſent prærumpere, retrò ſe recepêre atq; quieuêre, cùm præſertim exiſterent tonitrua pariter & imbres, quales anni tempore in autumnum iam uergente fieri conſueuêre: unde exterriti ſunt, & eò uehementius, quòd exiſtimarent in ſuum exitium iſta omnia fieri. His quieſcentibus, Gylippus atq; Syracuſani partem quandam copiarum mittunt ad hos muro intercludendos à tergo quà uenerant, quod tamen fieri & iſti miſsis è diuerſo quibuſdam ſuorum prohibuêre. Mox cum omni manu regreſsi propius campum cõſedere. Poſtero die cùm progrederentur, eos undiq; circumfuſi Syracuſani adoriuntur, multos ſauciant, retroq; ſe cùm in ipſos impetum Athenienſes facerent, ſubducebant: cùm abirent, ingruebãt: poſtremis quibuſq; præcipuè infeſti, ſi fortè membratim illos territãdo totũ agmen auerterent, & diu hunc in modum reſtitêre Athenienſes, dehinc progreſsi quinq; ſex'ue ſtadia, in campo conquieuêre, ab eiſq; in ſua caſtra rediêre Syracuſani. Sub noctem Niciæ ac Demoſtheni placitum eſt, quoniam malè ſecum ageretur, tum generali iam inopia cõmeatus, cùm multitudine uulneratorum ab hoſtibus, identidem aſſultantibus, accenſis quàm plurimis ignibus abducere exercitum, non tamen eadem amplius qua cõſtituerant uia, ſed econtrario, quam Syracuſani cuſtodiebãt mare uerſus. Ferebat autẽ hæc uia, non in Catanam, ſed in aduerſam prorſus Siciliæ oram, in Camarinæã, in Gelam, in alias circa urbes uel Græcas, uel Barbaras. Accenſis igitur plurifariàm pyris per noctem proficiſcũtur, ſed quod omnibus accedere exercitibus ſolet, præſertim maximis & noctu pergentibus, & per hoſticum, & hoſte quem timerent non procul agẽte, inceſsit eis trepidatio, pauor, tumultus. Et copię quidem Nicianæ quemadmodum erant duces in ordine perſtiterunt, longeq; præceſſerũt. At Demoſthenicarũ dimidium penè ac maior pars interrupta eſt, ac ſolutioribus ordinibus pergebat, prima tamen luce peruenêre ad mare, & ingreſsi uiam nomine

mine Elorinam incedebant, ut cùm ad Cacyparim fluuium deuenissent, secundum ipsum fluuium iter per superiora & mediterranea tenerent. Sperabant enim sibi illac Siculos occursuros, quos accersissent. Vbi ad flumen est uentum, offendunt illic quoq; custodias quasdam Syracusanorum, obsepiẽtes uada munitionibus ac uallo. Sed illis ui summotis fluuium transmisêre, penetraruntq; rursus ad alium nomine Erineum. Hàc enim ductores ire iusserãt. Interea Syracusani ac socij ubi illuxit, senseruntq; abisse Athenienses, pleriq; Gylippum insimulabant, quòd sciẽs Athenienses dimisisset, raptimq; persequentes quà ingressos haud difficilè nossent, adipiscuntur eos sub horam prandij, incidentes in Demosthenicos, & tardius & inordinatius, ut qui noctu perturbati fuissent, iter facientes, ac repentè prælium cient, circundatoq; equitatu eos in idem loci urgent, eo facilius, quòd bifariàm diuisi iam erant, Nicianis illinc centum quinquaginta stadia progressis. Nam Nicias ocyus suos ducebat, existimans minimè salutare esse tali in tempore cunctari ultrò ac dimicare, sed quàm uelocissimè fugere eatenus pugnando, quatenus cogeretur. Demosthenes autem multiplici frequentiq; magis labore implicabatur, quòd posterius digressus prior ab hostibus urgeretur, & tunc gnarus insequi Syracusanos, non tam progrediebatur, quàm ad pugnandũ se instruebat: donec ita cunctatus ab hoste circumueniretur, & magna perturbatione ipse pariter ac milites eius afficerentur. Quippe deprehensi intra locum, qui munitionibus circundatus esset, & in uia quæ hinc & hinc non infrequentes oleas haberet, circunquaq; missilibus incessebãtur. Huiusmodi autem assultibus, non pugna stataria, non ab re utebantur Syracusani. Nam de summa rerum periclitari aduersus homines salute desperantes, iam non tam ipsorũ intererat quàm Atheniensiũ: simulq; nonnihil cauebant, ne rebus iam proculdubio prosperè gestis aliquid interueniret, arbitrantes hoc modo perdomitum hostem à se captum iri. Itaq; ubi toto die missilibus eum undiq; incessentes, uiderunt iam exhaustum uulneribus atq; alijs ærumnis, iubent caduceatorem Gylippus Syracusaniq; ac socij denunciare primùm, si quis ad se transire insulanorum uellet, liberum fore: transieruntq; aliquot, non tamen multæ ciuitates. Mox deinde omnibus alijs qui cum Demosthene erant, oblata conditio, si traderent arma, neminem eorum mortem obiturum, aut uiolentam, aut in uinculis, aut inopia rerum ad uictum necessariarum. Atq; ita dedidêre seipsos cuncti, numero sex millia, omnemq; pecuniam deposuêre, quam habebant, effundẽtes in scuta resupinata, & ex ea quatuor scuta repleuêre: statimq; in urbem à Syracusanis adducti sunt. At Nicias hoc ipso die cum suis ad flumen Erineum peruenerat, illudq; transgressus, in edito quodam

loco

Cacyparis fluuius.

Erineus fluuius

loco conſederat. Eum poſtero die adepti Syracuſani, inquiunt, Demoſthenicos ſeſe dedidiſſe, iubentꝙ ipſum idẽ facere. Ille non habita iſtis fide paſciscitur, ut equitẽ mitteret ad explorãdum. Vbi eques reuerſus, retulit Demoſthenicos ſeſe dedidiſſe, Nicias per caduceatorem Gylippo Syracuſanisꝙ reſpondet, ſe paratum eſſe tranſigere Athenienſiũ nomine, ſi cum exercitu dimittatur, quos ſumptus in bellũ Syracuſani feciſſent, eos omnes reſtituturum, datis obſidibus Athenienſibus, dum pecunia ſolueretur, ſingulis talentis in ſingula obſidũ capita taxatis. Ea conditione non accepta, Gylippus atꝙ Syracuſani aggreſsi undiꝙ telis petiuêre ad ueſperum uſꝙ. Illi etſi male accepti inopia cõmeatus, aliorumꝙ neceſſariorum, tamen habẽtes in animo diſcedere, ſeruato ſilentio noctis arma ſumpſerunt, ſed intelligentes ſe non latere hoſtem (nam ille rem ſentiens pæanem canebat) rurſus ea depoſuêre, præter trecentos ferè, qui ui peruadentes hoſtilem cuſtodiam, qua potuêre per noctem cõtenderũt. Niciam, poſteaquàm dies illuxit, agmen ducentem, Syracuſani ſocijꝙ inuadunt, eodem quo pridie modo undique laceſſentes iaculis ſagittisꝙ. Inter quæ ex omni parte ferientia, equitatu pariter cunctaꝙ multitudine urgente, illi tamen ad amnem Aſinarũ feſtinabant, tum opinãtes fore ut eo tranſito aliquanto facilius haberent: tum potandi deſiderio, quo miſeri tenebãtur. Vbi peruenêre, nullo iam ordine in illum irrumpũt, pro ſe quiſꝙ primus omniũ tranſire properantes. Sed hoſtis ingruens, difficilem eis tranſitũ reddebat. Nam cùm cõferti ire cogerentur, alius in alium incidentes inuicem conculcabãtur, telisꝙ & armis, quorum alij ſtatim peribant, alij cœno conſpurcati defluebant. Hos ex utraꝙ fluminis parte Syracuſani ſuperſtantes (erat autem ripa præceps) deſuper miſsilibus conficiebãt, multos etiam auidè potantes, & inter ſe utiꝙ in cauo fluminis alueo perturbatos. Sed Peloponnenſes præcipuè illuc deſcendentes, trucidarunt eos qui in fluuio erant. Vnde ſubitò aqua corrupta eſt. Ex qua nihilominus cœnoſa & cruẽta bibebatur, deꝙ ea inter multos certabatur. Tandem permultis iam cadaueribus alijs ſuper alia iacentibus, profligatoꝙ exercitu, partim amnem, partim ſi qui effugerant, ab equitibus, Nicias Gylippo ſeſe dedidit, plus ei habens fidei, quàm Syracuſanis, permittensꝙ ſui poteſtatem tum illius, tum aliorum Lacedæmoniorum arbitrio, à cæde cæterorum militum abſtineri iuſsit. Poſt hæc Gylippus imperat non interfici Athenienſes, ſed uiuos capi. Ita cæteri quicunꝙ occultati non eſſent (multi autem hi erãt) uiui ſunt capti, necnon miſsis qui perſequerentur, trecenti illi qui noctu per cuſtodias euaſerant, comprehenſi. Verùm hi omnes in unum contracti, haud multi fuerunt, multi tamen qui ſupprimebantur, ex quibus tota Sicilia referta eſt, ut qui non ex

Niciæ cõditio.

Aſinarus fluuius.

Niciæ deditio

pactione,

pactione, quemadmodum illi qui cum Demosthene capti essent. Quædam tamen eorum pars, neque hæc exigua, interijt. Verùm hæc maxima strages extitit, & nulla minor ex omnibus, quæ in Sicilia hoc bello extiterunt. Nec pauci in itinere faciendo, dum subinde inuaderentur, absumpti sunt: attamen multi elapsi, quidā statim, quidam postea cùm seruissent, fuga inita, quibus in Catanam erat receptus. At Syracusani & socij, acceptis quàm plurimis poterant captiuis ac spolijs, uniuersi in urbem redierunt. Et cæteros quidem Atheniensium ac sociorum quoscunqꝫ ceperāt, in lapidicinas demiserunt, tutissimam existimantes eam esse custodiam. Niciam uerò ac Demosthenē necauerunt inuito Gylippo. Is enim speciosum sibi ducebat, præter cætera ex eo bello portare ad Lacedæmonios etiam ipsos hostium duces: quorum alter extitisset eorum hostis acerrimus propter illa quæ ad Pylum gessisset, alter ob eadem studiosissimus. Nam illos uiros apud insulam captos, Nicias præcipuò affectu prosecutus dimittēdos curauit, inductis Atheniensibus ad facienda cum Lacedæmonijs fœdera, Quo nomine & Lacedæmonij erant in eius amorem propensi, & ipse plurimùm Gylippo credens se dediderat. Sed quia cum illo homines uulgò loquebantur, ueriti tum quidam Syracusanorum, ut ferebatur, ne ob id tormentis interrogatus, tumultum ipsis excitaret in rebus prosperis, tum alij & præcipuè Corinthij, ne corruptis aliquibus pecunia, quod locuples erat, effugeret, aliquid in ipsos iterum rerum nouarum moliturum, persuasis ad hoc socijs hominem interemerunt. Et Nicias quidem ob hanc causam, aut huic proximam, morte affectus est, uir omnium mea ætate Græcorum minimè dignus qui eò deueniret infelicitatis, ob studium uirtutis, quod omne in illam conferebat. Captiuos autem qui apud lapidicinas erant, Syracusani duriter sanè tractauerunt inter initia. Siquidem cùm essent in loco depresso & arcto, tot & sub dio prius in sole & æstu deficiebāt, dehinc superueniente autumnalium noctium gelu, ipsa mutatione contrariorum, ualetudinem contrahebant, præsertim quòd propter loci angustiam omnia ibidem faciebant, quodqꝫ cadauera promiscuè coaceruata erāt, tam eorum qui ex uulneribus, quàm eorum qui ex mutatione & huiusmodi causis decesserāt, intolerabili insuper uexati odore, fame etiam ac siti. Nanque per octo menses data sunt singulis aquæ singula acetabula, panis bina. Denique nihil non malorum passi sunt eorum, quæ pati credibile est in hoc loco homines qui illuc inciderunt. In qua uitæ conditione septuaginta dies stipati traduxerunt. Post hæc præter Athenienses, & si qui Siculienses Italici'ue cum illis militauerant, cæteri omnes sunt diuenditi. Quot autem capti fuerint in uniuersum, exactè dicere arduum est, tamen non intra septem millia

Lapidicinæ custodia.

Captiuorum dira calamitas.

Huius belli factum maximũ.

milliа fuerunt. Quod factum huius belli tempore maximum in Græcia cõtigit:& quantum mihi uidetur omnium Græcorum factorum maximum,quæ nobis fando ſunt cognita, idem uictoribus ſplendidiſsimum, & uictis calamitoſiſsimum, qui in totum & ex omni parte ſuperati,nec ulla in re tenuiter afflicti, funditus (ut dicitur) euerſi ſunt, peditatu,claſſe,nullo denique non amiſſo,pauculis è multis domum reuerſis. Hactenus quæ apud Siciliam ſunt geſta.

THVCYDIDIS HISTORIARVM PELOPONNENSIVM, LIBER OCTAVVS.

Athenienſium conſternatio.



THENIS poſteaquàm nunciata res eſt,diu fide caruit,ne militibus quidem creditum,qui illinc euaſerant,planè quæ geſta eſſent referentibus, ita undique omnia funditus eſſe euerſa. Sed ubi factum agnouerunt, ibi exæſtuare Athenienſes aduerſus oratores,qui principes hortatores extiterant in Siciliam tranſmittendi,tanquam non hoc ipſi decreuiſſent,iraſci inſuper ariolis atꝙ uaticiniis:deniꝙ omnibus qui tunc aliquid ipſis per ſacra cõſulentibus,ſuaſiſſent profectionem,tanquam Siciliam ſubacturis. Vndiꝙ itaꝙ omnibus in rebus mœſtos,ob ea quæ acciderant,circunſiſtebat etiam ingens metus conſternatioꝙ. Exuti enim & priuatim & publicè multo peditatu,equitatu,iuuentute,qualem ſupereſſe alteram non uidebant,affligebantur. Simulꝙ nec nauium ſatis in naualibus,nec pecuniæ in ærario,nec miniſteriorum ad nauticos uſus cùm cernerent,deſperabant in præſens de ſua ſalute,arbitrantes in Piræa aduerſus ſe ſtatim appulſuros claſſem è Sicilia hoſtes:præſertim tanta illic uictoria ſubnixos,& iam omni conatu cùm uires duplicatas haberent,unà cum ſocijs qui ad ipſos ab Athenienſibus defeciſſent, terra mariꝙ oppugnaturos. Non tamen uiſum eſt eis ſuccumbere ſe debere,ſed ex præſentibus facultatibus naues undecunꝙ poſſent comparare,collata ad illas ædificandas materia atꝙ pecunia, ad hæc oppida ſociorum ſtabilire, & præcipuè Eubœam,& in urbe nõnihil caſtigare uitæ ſumptus, & quẽdam magiſtratum deligere ſeniorum,qui de ſtatu præſenti cùm tempus adforet, præ cæteris cõnſultarent:deniꝙ terrore circunſtante,id quod facere uulgus ſolet,ad omnia rectè diſponẽda accincti erant,& quæ agenda uiſa executi ſunt,atꝙ hæc æſtas exceſsit. Inſequenti hyeme ob res in Sicilia ab Athenienſibus adeò malè geſtas,uniuerſi protinus Græci animos erexerãt. Enimuerò qui neutrorum ſocij erant,non debere ſe amplius abeſſe à bello, uel ſi à nemine rogarẽtur,cenſebãt:ſed ultrò aduerſus Athenieẽſes ire,quòd

Græcorum reliquorũ motus in Athenienſes

ire,quòd uidelicet putarent ſinguli in ſe illos fuiſſe uenturos,ſi in Sicilia rem proſperè geſsiſſent,& ſimul reliquum belli breue futurum,eiusq́ ſe fieri participes,fore ſibi ſpecioſum. Qui ſocij erãt Lacedæmoniorum,properabãt impenſius quàm hactenus fecerant, eximi ſe protinus multa ærumna. Qui Athenienſium imperio parebant,ij præcipuè & ſupra uires prompto animo erant ad rebellandum:propterea quòd irati de rebus iudicabant,nec tantùm eis rationis ſupererat,ut cogitarent poſſe Athenienſes ſaltem proximam æſtatem cõſiſtere. Lacedæmoniorum uerò Reſpublica cùm ex omnibus his fiduciam capiebat, tum maximè (quod credibile erat) è Sicilia ſocios, propter acceſsionem claſsis, neceſſariò iam cum magnis copijs ſub initio ueris præſtò futuros. Ita undiq́ affulgente ſpe,ſtatuebant inire ſine ulla dubitatione bellum,ratiocinantes ſi debellatũ foret,ſe tum liberatos in poſterũ tali periculo,quale ipſis impendebat ab Athenienſibus, ſi Siciliam ſubegiſſent:tum illis euerſis,ſine cõtrouerſia totius iam Græciæ principes fore. Igitur eorum rex Agis confeſtim per eandem hyemem profectus ex Decelea cum aliquanto exercitu,pecuniã exegit à ſocijs ad claſſem comparãdam,& ad Milenum deflectẽs ſinum,ingentem Octæorum prædã egit ob uetuſtas inimicitias,& ex ea pecuniam. Adegit Achæos quoque Phthiotes & alios circa populos ditionis Theſſalorum ſibi ſuſpectos,ipſos etiam Theſſalos inuitos pecuniam dare,& aliquantulum obſidum, quos apud Corinthum depoſuit,cùm tentaſſet eos in ſocietatem abducere. Lacedæmonij porrò centum naues ædificandas ciuitatibus diſtribuerunt,ita taxantes ſibi atque Bœotianis quinas atque uicenas, Phocenſibus ac Locris,item Corinthijs quindenas, Arcadibus & Pelenẽſibus & Sicyonijs, item Megarenſibus & Troezenijs & Epidaurijs & Hermionenſibus denas. Alia inſuper comparabant,tanquam circa uer protinus inituri bellum. Per hanc ipſam hyemem Athenienſes & ipſi quemadmodũ conſtituerant,ædificandis nauibus operam dedêre, pro ſe quiſque materiam ſuppeditantes:& Sunium muro præcluſerunt,ut naues quæ commeatum ipſis ſubueherent, tutò præterueherentur:munitionibus quas in Laconica extruxerant,cùm in Siciliam tranſmiſerunt,tunc deſtitutis. Et ſicubi quid ſumptus non expedire uidebatur, in parſimoniam contracto,ſed in primis ne ſocij ædificarent,proſpiciebant.

Nauium ædificatio.

Suniũ munitur

Dum hæc ab utriſque fiunt,nihil aliud quàm inuicem ſe in apparatu belli præuenire maturantibus,primi omnium Eubœi per hanc hyemem ad Agim legatos de ſua ad eum defectione miſerunt. Quorum oratione admiſſa,Agis accerſiuit è Lacedæmone tanquam in Eubœam miſſurus duos è primoribus, Alcamenem Sthenelaidæ filium,& Melanthum, eoq́ tranſitum præmuniente

Eubœi ad Lacedæmonios deficiunt.

illi uenerunt trecentis cum libertinis. Lesbij interea cupidi & ipsi rebellandi uenerunt, à quibus inductus est Agis utique Bœotianis adiutoribus, ut ipsorum defectioni operam daret, intermissa Euboica, Alcameni qui in Eubœam iturus erat, dato præfecto cum uiginti nauibus, quarum Agis & Bœotiani denas pollicebantur, atque hæc ignara ciuitate Lacedæmonia transacta sunt. Etenim penes Agidem fuit ius & copias mittendi, si quò uellet, & contrahendi, & pecunias exigendi, quamdiu apud Deceleam egit, quo tempore uel magis propè dixerim ei socij obtemperabant, quàm Lacedæmoniæ ciuitati. Quippe habens exercitum, protinus ubicunque libebat imperiosus aderat. Et hic quidem cum Lesbijs transegit. Chij autem & Erythræi, qui & ipsi defectionem parabant, non cum Agide tractauerunt, sed cum ciuitate: quibus cum uenit legatus Tissaphernes, qui Regis Darij, filij Artaxerxis, prætor inferioris prouinciæ erat. Is enim ad hoc Peloponnenses incitabat, pollicens se affatim stipendij præbiturum, quoniam nuper è Græcis ciuitatibus prouinciæ suæ pro Rege tributa exegerat, quæ per Athenienses antea lucrifacere nequiuisset, ea se tributa magis percepturum oppugnandis Atheniensibus arbitrabatur, & simul Lacedæmonios regi socios redditurum, atque Amorgem Pissuthni filium nothum Regis, perfugam circa Cariam, sicut ei Rex ipse negocium dederat, aut excepturum uiuum, aut interfecturum. Itaque Chij atque Tissaphernes communiter eandem rem transigebant. Sub idem autem tempus Calligetus Laophontis, Megarensis, & Timagoras Athenagoræ filius, Cyzicenus, sua uterque patria extorris, à Parnabaso Pharnaci filio, cuius hospites erant, Lacedæmonem uenerunt, ad accipiendas in Hellespontum naues, eadem & ipso quæ Tissaphernes cupiente conficere, si posset ciuitates, quæ in prouincia sua essent, ab Atheniensibus abducere, & inter Regem suum ac Lacedæmonios contrahere societatem. Hæc cùm separatim utrique agerent qui à Pharnabazo, & qui à Tissapherne uenerant, ingens inter Lacedæmonios concertatio extitit, his ut in Ioniam & Chium, illis ut in Hellespõtum prius classis mitteretur, persuadere nitentibus. Tandem Chiorum & Tissaphernis postulata multò magis admissa sunt, utpote Alcibiade coadiutore, qui Endio tunc ephoro, id est tribuno plebis, erat in primis hospes etiam paternus. Vnde propter hospitium nomen, Laconicum ei familiæ inditum est. Endius enim Alcibiades cognominabatur. Prius tamen in Chium Lacedæmonij Phrynem uicinum illis hominem miserũt exploratum, num quid tanta classis eorũ foret, quantã dicerent, aliaque adessent famæ urbis respondẽtia. Hoc renunciãte ueritatẽ famæ respondere, extemplò Chios & Erythræos in societatem acceperũt, & quadraginta illuc

Tissaphernes.

naues

naues mittendas decreuerunt, cùm circa se Chij dicerent esse non minus sexaginta, ex quibus primùm missuri erant decem, cum Melãchrida nauarcho: sed cùm terræmotus extitisset, pro Melanchrida Chalcideum miserunt, & pro decem nauibus quinque in Laconica armauerunt: & hyems excessit, atq; undeuicesimus huius belli annus, quod Thucydides conscripsit.

Vigesimus annus belli.

Ineunte statim uere insequentis æstatis Chijs, ut naues sibi mitterentur instantibus, quòd timerẽt ne agitata rescisceret Athenienses (nam omnes clàm illis ierant legationes) miserũt Corinthum Lacedæmonij Spartiatas treis, qui iuberent Corinthios quàm celerrimè ab altero mari, in id quod Athenas uergit, transuectis per Isthmum omnibus nauibus, tam ijs quas in Lesbum Agis armasset, quàm cęteris, transmittere in Chium. Erant autem illic sociales naues numero undequadraginta. Huius classis in Chium proficiscentis, cùm nollent esse participes Calligetus & Timagoras Pharnabazi legati, pecuniam non dederunt quam attulerant classis nomine, quinque & uiginti talenta: sed postea per se, alia comportata classe cõstituerũt nauigare. Agis ut uidit Lacedæmonios in Chium traiecere ante omnia destinasse, ne ipse quidem censuit aliud iam agendum, sed socij apud Corinthum concilio atq; consilio habito decreuerunt in Chium sibi primùm esse nauigandum, duce Chalcideo, qui in Laconica quinq; naues armauerat: deinde in Lesbum duce Alcamene, quem etiam Agis destinabat: postremò in Hellespontum, duce Clearcho Ramphij filio. Verùm prius nauium dimidium transportari per Isthmum, idq; statim traijcere, ne Athenienses tam in eas animum aduerterẽt, quæ proficiscerentur, quàm in eas quæ posterius transportarentur. Nanque ab hac ora propalàm naues soluebant, contempta Atheniensium imbecillitate, quorum nulla admodum classis usquam uisebatur. Vbi id placuit, unam & uiginti naues cõtinuò traduxerunt: qui etsi stimulabant Corinthios ad secum nauigandũ, tamen illis cordi non fuit ante Isthmia, quæ tunc instabant, celebrata. Et cum Agis uellet indulgendo ne fœdera Isthmica soluerentur, suã ipsius classem facere, Corinthijq; abnuerẽt, ac tempus tererẽt, Athenienses acta Chiorũ certius sensêre: ac misso illuc uno è magistratibus Aristocrate, insimularũt Chios, eosq; pernegantes, iusserunt ex formula naues mittere. Atq; ita missæ sunt septem, quarũ mittendarũ fuêre autores, tum multi rerũ agitatarũ nescij, tum pauci qui sibi actorũ erant conscij, nolentes plebem prius hostilem habere, quàm præsidij aliquid accepissent: cùm Peloponnenses, qui tamdiu non uenirent, non amplius uenturi expectarentur. Interea ludi Isthmici edebãtur, quibus spectaculis cùm interessent Atheniẽses (indicta enim fuerãt fœdera dierũ festorũ) eo magis deprehenderũt Chios

Isthmiorum celebritas.

spectare ad defensionem. Atq; ubi discessum est, ita confestim sese prępararūt, ne clàm ipsis naues à Cenchris proficiscerentur. Profectæ autem sunt illinc post ludos confectos, una & uiginti naues, Alcamene præfecto, ad quas totidem obuiam eūtes Athenienses, primùm id pelagus hostem subducebāt: ubi ille non longo spatio secutæ se auerterunt, ipsi quoque rediêre. Quippe septem Chijs, quas in eo numero secum habebat, diffidebatur. Sed pòstea impletis alijs septem & triginta, eósdem proficiscentes persecuti sunt ad Piræum agri Corinthij, qui est portus desertus & nouissimus, ad confinia terræ Epidauricæ. Intra quē Peloponnenses, una quæ in alto cursum tenebat amissa, contractis cæteris se continebant. Eis Athenienses, & à mari nauibus adorti, & in terram egressi, tumultum ingentem perturbationemq; præbuerūnt, ac naues plerasq; lacerauerunt è terra, atq; Alcamenem interfecerunt, aliquot tamen suorū amissis. Vbi dirempti fuêre, naues quę satis uisæ sunt aduersus hostiles, illic collocauêre, cum reliquis ad paruulam insulam non admodum distantem, in stationem subiêre, & castra posuêre, misso Athenas nūcio subsidia accersitum. Nam postero die Peloponnensium classi auxiliares Corinthij adfuerūt, nec ita mul tò pòst alij finitimi. Qui cùm cernerent custodiam deserto in loco sibi perquam laboriosam fore, ancipiti consilio erant, deq; incendenda classe cogitabant. Satius deinde uisum est eam subducere, circundatoq; peditatu tutari, dum aliqua commodè effugiendi offerretur occasio. Verùm agis his cognitis, misit ad eos hominem Spartiatam Thermonem. Fuerant autem & Lacedæmonij certiores iam antea facti de discessu nauium ab Isthmo, cùm præcepissent tribuni plebis Alcameni, ut quum id fieret, nunciūm ad se mitteret. Ideoq; maturè quas apud se habebant naues quinque mittendas censuerunt, Chalcideo duce unà cum Alcibiade. Deinde cùm hi proficiscerentur, nunciumq; de fuga suorum in Piræum accepissent, animo sunt consternati, quòd in bello Ionico auspicando cecidissent, eoq; statuerant non amplius è sua terra classem dimittere, imò adeò quæ dimissa esset, reuocare. Quod animaduertens Alcibiades, rursus suadet Endio, atque alijs tribunis, ne relanguescerent à classe mittenda in Chium: prius enim illam præuenturam, quam cladem acceptam Chij sentirent, & se Ioniam adeat, facilè socias Atheniensium ciuitates ad defectionem inducturum, commemorando & Atheniensium imbecillitatem, & Lacedæmoniorū alacritatem: nam præter cæteros apud illos sibi fidem fore. Ipsi autem Endio separatim dicere speciosum illi fore, si per eum & Ionia deficeret, & rex socius fieret Lacedæmoniorum, neque hoc Agidis opus esset. Erat nanque ipse Agidi aduersarius. Ita Endio atque alijs tribunis plebis persuasis, abijt

cum Chal-

cum Chalcideo Lacedæmonio,& celeriter cursum cum quinque nauibus confecerunt.

Per hoc idem tempus recipiebāt se ex Sicilia sexdecim Peloponnensiū naues duce Gylippo,post gestum illic cōmuniter bellum. Quæ deprehēsæ atq; uexatæ à septem & uiginti Atticis nauibus, quibus præerat Hippocles Menippi filius,classis è Sicilia redeuntis reditum obseruantibus circa Leucadiam, tamen præter unam effugerunt,Corinthumq; tenuerunt. At Chalcideus atq; Alcibiades ut in quasq; incidebant naues,comprehendebant,ne ipsorum nauigatio palàm fieret. Quas non antea missas fecerūt,quàm Coricum,quæ est in continente,tenuissent:& congressi cum aliquot Chiorum,quibus cum res agitabantur,iussiq; ab eis,cum nemine collocuti ad urbem nauigare,illic ex improuiso adfuerunt. Et cùm plerique Chiorum admirabundi attonitiq; essent,per paucos data est opera ut concilium cogeretur. Vbi Chalcideo atq; Alcibiade dicentibus alias quoq; permultas uenire naues, nulla de nauium obsidione apud Piræum mentione habita, defecerunt Chij ab Atheniensibus,& mox Erythræi. Atque illinc ijdem profecti cum tribus nauibus Clazomenas ad defectionem induxerūt. Et cuncti Clazomenij transgressi in continentem,illic oppidulum cōdiderunt:ut si quid timoris in insula foret,quam incolebant,esset quò refugerent. Et omnes quidem qui rebellauerant,in mœnibus muniendis,atque in apparatu belli erant occupati.

Gylippus Peloponnēses repetēs ab Atheniensibus uexatur.

Athenienses autem accepto properè de Chiorum defectione nuncio,rebātur magnum circumstare se manifestū periculum,ne cæteri socij post maximæ urbis rebellionē nollent quiescere. Itaq; mille talenta quæ per omne belli tempus intacta esse cupierant,de quibus tangēdis si quis aut retulisset,aut suffragiū tulisset,propositis pœnis sanxerant,tunc ex præsenti pauore legibus abrogatis, mouenda decreuerunt. Ex quibus naues instruxêre non paucas, & nauiū quæ Piræum obsederant,octo iam tunc mittendas, quæ omissa custodia insecutæ classem qua uehebatur Chalcideus, nec assecutæ, duce Strombichide Diotimi filio, redierant, nec multò pòst alias subsidiarias duodecim Thrasicle præfecto,quæ & ipsæ omiserant obsidionem. Nam septem Chijs,quæ sociæ fuerant oppugnationis apud Piræum,reductis seruos,qui in eis erāt,libertate donarunt,liberis autem uincula indiderunt. Alias item in locum reuersarum raptim armatas miserunt contra aduētum classis Peloponnensis,habentes in animo & alias triginta armare. In quibus conficiendis tantum studij adhibuerunt,ut ne tantulum quidem fecerint,nisi quòd ad succurrendum Chio pertineret. Interea Strombichides octo cum nauibus traiecit in Samum, & illinc sumpta una Samia in Teum,ab incolisq; loci ut quiescerent petijt.

Talenta Atheniensium mille intacta ex legibus.

Eodem & Chalcideus ex Chio cum tribus & uiginti nauibus traijciebat, aderatq; ei Clazomeniorum atque Erythræorum peditatus. Huius aduentum præsentiens Strombichides abscessit: & ubi in altū euectus prospexit multas à Chio naues, fugam in Samum intendit illis insequentibus. Teij peditatum cùm à principio excipere noluissent, post Atheniensium fugam introduxerunt. Qui expectato aliquandiu Chalcideo ab insecutione Atheniensium, necdum reuertente muros demoliti sunt, quos Athenienses extruxerant urbis Teæ, qua parte respicit continentem, adiuuantibus eum aliquot qui superuenêre barbaris, duce Tage Tissaphernis filio, proprætore, Chalcideus atq; Alcibiades Samo tenus insecuti Strombichidem, apud Chium armauerunt ex nauibus Peloponnensium nautas, ibiq; præsidio reliquerūt, substitutis in eorum locum Chijs: & alijs uiginti nauibus instructis petiuerūt Miletum, ut eam ad defectionem pellicerent. Nam Alcibiades cui erat cum primoribus Milesiorū necessitudo, uolebat in illis inducēdis præteruertere naues è Peloponneso uenturas, & tum Chijs tum sibi cum Chalcideo, tum à quo missus erat Endio addere hoc decus, quemadmodum spopondisset, quòd plurimas ciuitates copijs Chiorum cum Chalcideo ad defectionem inducturus esset. Itaq; occultè pleraque nauigatione facta, nec ita multum præueniente Strombichidem & Tharsiclea, qui tunc ex Athenis cum duodecim nauibus aderat illum secutus, Miletum ad defectionem induxerunt. Horum uestigia persecuti Athenienses cum undeuiginti nauibus, cùm à Milesiis non reciperentur, ad Ladam insulam Mileto præiacentem subierunt. Et post Milesiorū defectionem statim prima societas inter regem ac Lacedæmonios per Tissaphernem atque Chalcideum inita est hunc in modum:

Societas inter regem & Lacedæmonios.

Tissaphernis cum Lacedæmonijs societatis formula

HIsce conditionibus societatem cum rege ac Tissapherne Lacedæmonij socijq; fecêre: Quamcūq; regionem, & quamcunq; urbem rex habet, eius'ue progenitores habuêre, ea regis esto. Et ex his urbibus quicquid pecuniarū aliud'ue Atheniensibus pendebatur, rex communiter ac Lacedæmonij socijq; prohibento, ne quid pecuniarū Athenienses aliud'ue quippiā accipiant. Item bellum cum Atheniensibus rex & Lacedæmonij socijq; communiter gerunto, bellumq; cum Atheniensibus dissoluere ne liceat, nisi utrisq; uideatur, regi ac Lacedæmonijs socijsq;. Quòd si qui ab rege defecerint, hi hostes sunto Lacedæmonijs ac socijs: Si qui uerò à Lacedæmonijs socijsq;, ij regis hostes sunto. In hanc formam societas inita est. Secundū hæc Chij statim adornatis decem alijs nauibus ad Anæa se contulerūt, animo tum audiendi de Mileto, tum ciuitates ad defectionē solicitandi, sed accepto nuncio à Chalcideo ut

cideo ut redirent, quoniā terrestri itinere Amorges cum exercitu adforet, nauigauerũt ad Iouis templum. Vnde prospexêre sexdecim naues Atheniensium uenientes, quibus præerat Diomedon post Thrasiclē Athenis profectus. Quibus cognitis Chij cum una naui Ephesum, cum reliquis in oram Teiam diffugerũt. Sed earũ quatuor ab Atheniensibus interceptę sunt, uacuæ tamen, hominibus prius in terrā elapsis, cæteræ urbem Team tenuerũt, & Athenienses quidē in Samum nauigarũt. Chij autem reliquis nauibus cõtractis, adiuncto sibi peditatu Lebedũ ad defectionem induxerunt, & item Eras, post quod & naues & pedites ad suas utriq; domos se receperũt. Circa eadem tempora uiginti naues Pelopõnensium, quas totidem Athenienses insecutæ fuerāt, & in Piræum ingressas obsidebant, in repentinā erumpentes pugnam Atticas superant, quatuorq; earum capiũt, atq; illinc petitis Cenchris, de integro adornāt classem, in Chium atq; in Ioniam nauigaturi, misso eis ex Lacedæmone nauarcho Astyocho, penes quem iam esset summa rei naualis. Digresso peditatu ex Teo aduenit ipse Tissaphernes: & si quid muri reliquum erat demolitus, abscessit. Nec multò post eius abitũ, Diomedon cum decem Atheniensiũ nauibus applicās, pepigit cum Teijs se & illos recepturũ. Et illinc profectus, Eras cùm urbē adortus expugnare nõ posset, uela fecit. Per idem tempus apud Samũ uulgus unà cum Atheniensibus, qui tribus cum nauibus aderāt, aduersus primores arma sumpserunt, & eorum ad ducētos qui maximè potētes erant, interfecēre: quadringentos ex illo mulctauêre, prædijs illorũ & urbanis & rusticis inter se distributis, & Atheniensiũ decreto tanquam in fide posthac permāsuris indulta libertate, per se postea munia ciuitatis obiêre, urbemq; socijs distributionis cõmunicauerũt, interdicta facultate iam ulli è populo aliquid aliud aut his ab illis, aut illis elocādi conducēdiq;. Post hæc eadem æstate Chij, quemadmodũ instituerāt, nihil sedulitatis prętermittentes, etiā absq; Peloponnensibus, cum copijs, ciuitates ad defectionem solicitabāt, cùm ob alia, tum uerò quòd uolebant secum quàm plurimos periclitari. Itaq; in expeditionem cum tribus nauibus aduersus Lesbum tendunt: quemadmodum à Lacedæmonijs erat prædictũ, secundo loco eũdum esse in Lesbum, & inde in Hellespõtum. Nam peditatus & Peloponnensium qui aderant, & indigenarum circa sociorum, in Clazomenas & Cumam abierat: cuius præfectus erat Eualas Spartiata: nauium uerò Diniadas ex finitimis subditis. Quibus nauibus Chij primùm Methymnam, quò prius peruenêre: deinde relictis hîc quatuor nauibus Mitylenem, quò cum cæteris nauibus uenerunt, ad deficiendum impulêre. At Astyochus Lacedæmonius nauarchus è Cenchris, ubi in statione fuerat, cum tribus nauibus

Teos urbs.

Samiorum seditio.

traiecit in Chium, & tertio quàm aduenerat die, quinq; & uiginti Atticæ naues Lesbum appulerunt, ducibus Leonte & Diomedonte. Siquidē Leon posterior cum decem nauibus in auxilium ex Athenis aduenerat. Eôdem Astyochus eadē die iam aduesperascente, inductus est ut sumpta una naui Chia se conferret, si quid posset, profuturus: & cùm uenisset in Pyrrham, & postero die in Eressum, ibi certior fit Mytilenem ab Atheniensibus ipso impetu esse captam. Nam Athenienses ut uenerant ex improuiso cùm portum obtinuissent, naues Chias superauêre: & egressi in terram, ijs qui obstiterant prælio uictis, urbe potiti erant. Quibus cognitis Astyochus cum nauibus Eressinis & tribus Chijs, quæ cum Eubolo ex Methymna supererant ei, ab Atheniensibus comprehensæ: sed cùm Mitylene caperetur, elapsæ: una enim ab Atheniensibus fuerat intercepta: non putauit sibi amplius Mitylenem eundum, sed Eresso per defectionem recepta ac communita, quos habebat in nauibus armatos itinere terrestri transmisit in Antissam & Methymnam, præposito illis Eteonico, ipse quoq; eôdem cum nauibus suis ac tribus Chijs uela fecit, sperans conspectu sui Methymnæos fiduciam capturos ad permanēdum in rebellione. Sed cùm ei omnia apud Lesbum in contrariū cederent, resumptis suis copijs traiecit in Chium. Ibi rursus oppidatim receptus est peditatus sociorum, itemq; classiarius qui erat iturus in Hellespontum: ad quos etiam postea uenerāt è classe sociali Peloponensium, quæ ad Cenchream stabant naues sex. Athenienses autem rebus apud Lesbum de integro constitutis, profecti illinc, castrum Clazomeniorum in continente extructū diruerūt: & Clazomenios iterum in urbem, quæ in insula est, reportarunt, præter defectionis auctores, qui in Daphnuntem abscesserant. Et denuò Clazomenæ in ditionem Atheniensium concessêre.

Mitylene ab Atheniensibus capitur.

Athenienses Clazomenis potiuntur.

Eadem æstate Athenienses qui in Mileto apud Ladam cum uiginti nauibus in statione erant, cùm aggressi essent expositis in terram copijs, Panormum, quod est oræ Milesiæ, Chalcideum Lacedæmonium ducem interfecerunt, occurrētem cum paucis ad uim arcendam, & tertio post die abierunt, erecto trophæo, quod Milesii submouerūt, tanquam erectum ab ijs, qui ui eum locum non obtinuissent. At Leon & Diomedon cū nauibus quibus præerāt Atheniensiū ex Lesbo & ex Oenussis insulis Chio præiacētibus, ex Sidussa quoq; & ex Ptelio, quos muros in Erythræa habebant, diruerunt: atq; è Lesbo transmittentes in Chium, de nauibus cum Chijs præliabantur. Habebant autem nauigatores è numero armatorum, quos ex formula extorserant. Et ad Cardamylam expositis in terram copijs, & ad Bolissum fusis acie qui se obuiam tulerant Chijs, ac multis cæsis, omnia circa oppida in officio tenuerūt,

Chalcidei cædes.

& altero

& altero ad Phanas prælio, ac tertio ad Leuconicū uictores, cùm contra eos Chij amplius non prodirent, regionem egregiè exornatam, & à Medorum temporibus ad illa usq; illæsam uastauerūt. Etenim Chij soli omnium quos ego cognouerim, secundùm Lacedæmonios beati, & ijdem modesti extiterunt, qui quo magis ciuitas proficiebat, eo magis ei instruendæ atq; ornādæ operam dederunt: ac neq; ipsam defectionem (si hoc minus tutò fecisse uidentur) prius facere ausi sunt, quàm unà cum multis se & egregijs socijs periclitaturos compertum habuissent: ac sensissent, ne ipsos quidem Athenienses iam negare post acceptam in Sicilia calamitatem, quin ipsorum res in pessimo statu essent. Quòd si quid in ijs quæ in uita hominum præter opinionem accidere solēt, lapsi sunt, cum multis peccatum agnouerūt, quibus fore uidebatur, ut status Atheniensium propediem euerteretur. Igitur cùm & à mari coërcerentur, & à terra oppugnarentur, conati sunt quidam eorum urbem Atheniensibus tradere: quo principes comperto, ipsi quidē quieuêre, sed sumpto ex Erythris Astyocho nauarcho, cum quatuor quas habebat nauibus, inspexerunt ut insidias aut obsidibus accipiendis, aut quo alio modo quàm moderatissimè cohiberent. Et Chij quidem talia egerūt. Atheniēsium autem sub eiusdem æstatis extremū mille & quinquaginta armati, Argiuorumq; mille: quorum dimidiam partem leuiter armatam, Athenienses iustis armis instruxerant, & sociorum totidem cum nauibus duodequinquaginta, quarum aliquot erant ad armatos portandos, ducibus Phrynicho & Onomocle & Scironida, ex Athenis trāsmiserunt in Samum, & trāseūtes in Miletum castra posuerunt. Aduersus quos egressi ipsorū Milesiorum octingenti armati, & qui cum Chalcideo uenerant Peloponnenses, ac mercenaria Tissaphernis auxilia cum ipso etiam Tissapherne, atq; eius equitatu, prælīū conseruêre. Et Argiui latius exporrecto suo cornu præ cōtemptu, tanquam impetum suum Ionibus non laturis, cùm inordinatius pergerent, à Milesiis superantur, & paulominus trecenti ex ipsis occubuêre. Athenienses cùm à principio uicissent Peloponnenses & barbaros, cæteramq; turbam propulissent, cum Milesiis non sunt congressi. Nam Milesii fugatis Argiuis ad urbem secesserāt, cùm aliud suorum cornu superatum uidissent, & pro mœnibus iam uictores arma disposuerant. Qua in pugna contigit ut Iones utrinq; Dorum uictores existerent: Athenienses quidē Pelopōnensium, Milesii autem Argiuorum. Hinc trophæo Athenienses erecto sese ad circumuallandam urbem (est enim locus peninsula) accingebant, existimantes si Miletum acciperent, facilè sibi cætera oppida in deditionem uentura. Interea sub occasum iam serò nuncius eis affertur, quinque & quinquaginta naues è Peloponneso atque è Sicilia,

Argiuorū exercitus fusus.

Atheniensium aduersus Peloponnenses uictoria.

Miletus obsidetur.

Sicilia, tantum non adesse. Siquidem Hermocrate Syracusano in primis autore apud Sicilienses ferendi auxilium ad reliquas Atheniensium euertendas, uiginti naues Syracusanorum, & duæ Selinuntiorum ueniebant, & Peloponnensium quæ armabantur iam paratæ erant. Hæ classes dato negocio Therameni Lacedæmonio ad Astyochum nauarchum utrasq; deducendi, primùm in Eleum traiecerunt insulam, quæ ante Miletum iacet: mox illinc cùm accepissent in Mileto agere Athenieſes, in Iasicum sinum prius animo noscendi quid rei apud Miletum ageretur: deinde in Tichiusam, quæ est oræ Milesiæ, ubi stationem habentes de prælio facto docentur ab Alcibiade, qui illuc equo aduectus est, quiq; prælio gerendo interfuerat, stans pro Milesiis atq; Tissapherne, & ab eo admonentur, si nolint de Ionia & de cæteris rebus actum esse, maturarēt ocyus Mileto succurrere, neue circumuallari eam pro nihilo haberent. Ita illi prima luce succurrere statuerūt. Phynichus Atheniensium dux, ubi de classe hostiū ex Dero certior factus est, cùm uellent collegæ expectare ad decertandum, negabat id se aut commissurum, aut quoad posset, illis alteri'ue cuiquam permissurum. Cùm enim liceat postea planius nosse aduersus quot hostium naues quantum ipse nauium satis habeas, & per ocium instruere ad pugnādum, nunquā se turpis probri metu temerè periclitaturum. Neq; enim turpe esse Atheniensibus classi cedere ad tempus, sed turpius esse quoquo modo committere ut uincerentur, & ciuitas non modò in dedecus, sed etiam in discrimen maximum adduceretur. Quæ cùm uix deberet pr̨ cladibus acceptis quàm posset tutissimo apparatu, aut aliqua prorsus antecedente necessitate hostem lacessere, quo tandem modo debeat non coacta, sed ultrò, adire pericula? Itaq; iubere illos sumptis saucijs, peditatuq; & instrumentis duntaxat quæ attulissent, cæteris quæ ex hostico cepissent, ut naues leuarentur relictis, quàm ocyssimè uela facere in Samum, & illinc iam contractis in unum omnibus nauibus, sicubi foret opportunum hostes adoriri. Hæc cùm persuasisset, fecissetq; Phrynichus, non magis in præsens quàm in posterum, neq; in hoc tantum, sed in omnibus alijs negocijs quæ ipsi delegarētur, circunspectus est habitus. Hunc in modum Athenienses imperfecta uictoria, statim sub uesperam à Mileto abierunt. Et mox è Samo Argiui ob iram cladis acceptæ domum reuecti sunt. Peloponnenses ipso statim diluculo mouentes è Tichiusa in hostem tendebant, & cùm unum in hoc diem consumpsissent, postridie assumptis nauibus Chijs, quas cum Chalcideo antè fuerat insecutus hostis, statuerūt redire in Tichiusam, gratia lemborum quos subtraxerant. Quò ut peruenerunt, eos adiens cum peditatu Tissaphernes, persuadet ut ad Iasum nauigarent, ubi se tenebat Amorges Pissuthni

filius

filius nothus regis, à quo rebellaret hostis. Ita Iasum repentè aggressi, non opinantibus illis hostiles, sed Atticas naues esse, expugnant. In quo opere præcipua extitit laus Syracusanorum. Peloponnenses Amorgem quem uiuum ceperant, Tissapherni tradiderunt, perducendũ (si ei liberet) ad regem, quemadmodum fuerat ab illo iussus. Iasum ipsam milites diripuêre, magnamq; admodum pecuniæ uim asportauêre. Erat enim oppidũ iam inde à priscis temporibus locuples. Cæterùm auxilia quæ circa se Amorges habuerat, sine noxa recepêre ad se Peloponnenses, interq; ordines suos redegêre, quòd pleriq; illorum essent ex Peloponneso. Hinc tradito Tissapherni oppido cum omnibus captiuis tam liberis quàm seruis, pacti in singula capita singulos stateres Daricos sibi soluendos, redierunt Miletum. Vnde Pedaritum Leontis filium, quem Lacedæmonij magistratum in Chium legauerant, mittunt itinere pedestri usque ad Erythra cum ijs copijs, quæ auxiliares Amorgis fuerant, atq; illic Mileto Philippum præficiunt, æstasq; confecta est.

Insequente hyeme Tissaphernes, posteaquàm Iasum præsidio muniuit, aduenit Miletum: & quemadmodum Lacedæmone spoponderat, menstruum stipendium nauibus numerauit, singulas uiritim drachmas Atticas: uolens in reliquum tempus soluere ternos obolos, donec regem consuluisset: soluturus, ut dicebat, si ille iussisset, integras drachmas. Verùm contradicente Hermocrate Syracusanorum duce (Theramenes enim cùm non esset ipse nauarchus, sed ad tradendam Astyocho classem cum illis nauigaret, segnior erat circa rationem stipendij) conuentum est inter eos, ut præter quinque naues plus quàm terni oboli uiritim soluerentur. Nam quinque & quinquaginta nauibus terna talenta in singulos menses dabat, cæteris nauibus, quæ ultra hunc numerum essent, ad hanc ipsam rationem soluebatur. Eadem hyeme qui apud Samum agebant Athenienses, cùm aduenisset illuc è domo alia classis quinque & triginta nauium, ducibus Charmino & Strombichide & Euctemone, cõtractis & à Chio & aliũde nauibus, statuerunt inter se sortiti inuadere naualibus copijs Miletum, & classem atq; peditatum mittere in Chium: quod & fecerunt. Nam Strombichides & Onomaches & Euctemon cum triginta nauibus, & parte armatorum qui uenerant in Miletum, actuarijs nauigijs aduecti sunt in Chium, quam sortiti fuerant. Mox eorum collegæ apud Samum remanentes cum quatuor ac septuaginta nauibus, ac mare obtinentes, aduersus Miletum tendũt. Astyochus autem, ut erat id tempus apud Chium obsides deligẽs proditionis metu, maturabat eam rem perficere: sed postea quàm sensit Theramenem cum classe uenisse, & negocia societatis in melius proficere, acceptis

Stipendium menstruum.

Pteleí proditio tentata.

acceptis decem Pelopõnensibus nauibus, & totidem Chijs, abijt, & tentata frustrà Ptelei expugnatione, trãsmisit Clazomenas. Ibi eos qui cum Atheniensibus sentiebant, iussit ad se deditionem facere, & migrare in Daphnũtem: quod item iubebat & Tamus Ioniæ prætor. Illis facere imperata recusantibus, adortus urbem muris carentem, tamen expugnare cùm non posset, abijt, & ingenti uẽto usus, ipse quidem Phocæam & Cumam tenuit: naues autem cæteræ insulas Clazomenis obiacentes, Marathusam, Pelam, Drimyssam, & quæcunq; circa loca Clazomenis obnoxia erant. Octo dies propter tempestatem immoratæ, cùm partim diripuissent exhausissentq;, partim oppugnassent, in Phocæam & Cumam ad Astyochum remearũt. Is dum ibi agit, à legatis Lesbiorum aditus est de insula illi tradenda, & ab eis quidem persuasus. Verùm cùm Corinthij atq; alij socij propter superiorem cladem minus libenter illuc ire uellent, proficiscitur in Chium. Sed tempestate disiectæ naues, eôdem tandem omnes aliæ aliunde peruenerũt. Quo postea Pedaritus, qui fuerat apud Erythras, tũc pedibus iter faciens, è Mileto trãsmisit cum ijs copijs quas habebat. Habebat autẽ in ijs ad quingentos milites, qui relicti cum armis fuerãt ex quinq; Chalcideis nauibus. Ibi cùm quidam Lesbiorum se defecturos pollicerentur, Astyochus retulit rem ad Pedaritum atque ad Chios, tanquam expediret ire cum classe ad Lesbum recipiẽdam: fore enim ut aut plus sociorum compararẽt, aut certè Atheniensibus si quid minus succederet, nocerent. Sed cùm hoc illi audire nollent, negaretq; Pedaritus naues Chiorum se illi permissurum, ipse sumptis quinque Corinthijs, & sexta Megaride, & una Hermionide, præter suas Laconicas cum quibus uenerat, Miletum abijt ad suam nauarchiam, sanè quàm minatus Chijs se neutiquam illis opitulaturum, si qua ope indigerent. Et appellens ad Corycum oræ Erythreæ, illic stationem habebat. Athenienses autem è Samo cum exercitu Chium petierunt, & ad alterum tumuli latus quo detinebantur, ita stationem habuerunt, ut utrique alteris occulti essent. Astyochus accepta à Pedarito epistola, quosdam Erythræos captiuos è Samo missos uenisse Erythras ad moliendam proditionem, extemplò reuectus est iterũ Erythras, ac parum absuit, quin incideret in Athenienses. Is ac Pedaritus, qui ipse quoque illuc ad eum traiecerat, quæstione habita de ijs qui proditionem moliri uiderentur, ubi compererunt id totum ob salutem ciuitatis è Samo fuisse confictum, absolutis illis redierunt, alter in Chium, alter in Miletum, quo destinauerat. Interea classis Atheniensis è Corcyro præteruehens Arginum, incidit in treis naues longas Chiorum, easq; simulac conspexit, insecuta est, & exorta ingenti tempestate ægrè in portũ Chiæ refugerunt. Atheniensiũ autem tres, quæ præ

cæteris

cæteris instructæ erant, perierunt impactæ mœnibus Chiorum: uiriq; partim capti sunt, partim interfecti, cæteræ fugam intenderunt in portum Mimanti subiectũ, nomine Phœnicuntem. Vnde postea in Lesbum profecti Athenienses, ad munitiones excitãdas se præparabant. Eadem hyeme Hippocrates Lacedæmonius cum decem nauibus Thurinorum, quibus præerat Doricus Diagoræ filius, unus è tribus, cumq; duabus alijs, Laconica altera, altera Syracusana, ex Peloponeso traiecit in Cnidum, quæ iam à Tissapherne defecerat. Cuius classis aduentum ubi sensêre qui apud Miletum erant, iusserunt dimidium classis Cnidi esse præsidio: naues autem quæ ad Triopium stabant, succurrere onerarijs, quæ ab Ægypto trãsmitterent. (Est autem Triopium prominẽs oræ Cnidiæ promontorium, ubi situm est Apollinis templum.) Eius rei certiores facti Athenienses, profecti ex Samo, sex naues ad Triopium præsidiarias intercepêre, classiarijs in terram elapsis. Mox appellentes Cnidum, eamq; adorti, urbem muris carẽtem, parum abfuit quin expugnarent. Postero die rursus subeuntes, cùm per noctem oppidani melius urbẽ obsepissent, & ij subintrassent qui ad Troipium è nauibus diffugerãt, non iam perinde in oppugnando nocuêre, ac peruastato illorũ agro in Samum rediêre. Per idem tempus cùm in Miletum uenisset Astyochus ad classem, omnia adhuc quæ ad exercitum spectant, suppeditabant Peloponnensibus, ut quibus & stipendium abunde solueretur, & res ex Iaso direptæ à militibus magnæ pecuniæ superessent, & Milesii impigrè onera belli sustinerent. Cæterùm cùm superiora fœdera per Chalcideum & Tissaphernem inita, Lacedæmonijs uiderentur quibusdam rebus manca, nec tam pro sua facere quàm pro altera parte, placuit de integro inire, Theramene adhibito, in hæc uerba:

Pactiones secundæ inter Lacedæmonios & regem Darium.

PActiones inter Lacedæmonios sociosq; & regẽ Dariũ, eiusq; filios ac Tissaphernem, ut fœdera sint & amicitia, in hanc formulam: Quæcunq; prouincia atque urbs regis est Darij, siue eæ patris fuerũt, siue progenitorum, in has ne eant, aut belli aut quoquo modo nocendi ergô, uel Lacedæmonij uel eorum socij, neq; tributa ex his urbibus exigant aut Lacedæmonij, aut Lacedæmoniorum socij. Ne uicissim rex, aliquis'ue eorum quibus rex præest, aduersus Lacedæmonios, eorum'ue socios eat belli ergô, aut quoquo modò lædendi. Si quid aut Lacedæmonij socij'ue rogauerint regem, aut rex Lacedæmonios socios'ue, quicquid alterutri persuaserint bene fieri, id alteri faciant. Bellum autem quod cum Atheniensibus illorumq; socijs geritur, id ab utrisq; communiter geratur. Quòd si id dissoluere placuerit, communiter utriq; dissol-

Pactionum forma alia.

uant.Necnon quãtus exercitus fuerit in regis regiõe ab ipso accitus rege,tanto rex soluat stipendiũ.Si qua autẽ ciuitatũ rege cõsceleratorũ regionẽ regis inuaserint,cæteri prohibeãt,& regi quoad poterunt,opitulẽtur.Rursus si quis ex regione regis,aut quæcũq; ex urbe in qua rex imperium obtinet,inuaserit regionem Lacedæmoniorũ sociorum'ue,prohibeat rex,& quoad poterit opituletur.

Delphinium.

Post has pactiones Theramenes traditis Astyocho nauibus ex loco profectus perijt.Athenienses autem è Lesbo iam Coium appulsi,terraq; ac mari potiti.Delphinium muro clauserunt,locum alioqui & à terra munitũ,& portus habentem,nec procul ab urbe Chia diremptum.Chij cùm multis antea prælijs afflicti,tum inter seipsos non admodum bene animati,sed Tydeo Ione cum suis,tanquam cum Atheniensibus sentirẽt,iam à Pedarito morte affectis,& reliqua ciuitate necessariò in exiguum redacta,quiescebant mutuò suspecti,& ob id neq; istos neq; eos qui cum Pedarito erãt,auxiliares idoneos ad pugnam putabant.In Miletum itaq; mittunt ad Astyochum,ut ad se tutandos ueniat,& illo mandata non audiente,scribit de eo Lacedæmonem Pedaritus tanquam lædente Rempublicam. Hactenus apud Chium Athenienses res suas constituerũt.Cæterùm naues eorum quæ apud Samum erant,aduersus eas quæ apud Miletum stabant,ductæ sunt:& cùm hostes pugnam detrectarẽt,rursus in Samum reductæ quieuêre. Per eandem hyemem trãsacto Pharnabazi negocio per Calligetum Megarensem,& Timagoram Cyzicenum,naues à Lacedæmonijs armatæ septem & uiginti è Peloponneso circa solstitium in Ioniam traiecerũt,duce Atisthene Spartiata,cum undecim Spartis, quos Lacedęmonij ad Astyochum mittebant,ut eorum consilijs uteretur,quorum unus fuit Lichas Archesilę filius,dato eis negocio,ut postquàm Miletũ peruenissent,curarẽt ut cùm cætera quàm optimè haberent,tum uerò has naues siue tot,siue plures,siue pauciores in Hellespontũ ad Pharnabazum,si uideretur,mitterẽt,Clearcho Ramphij filio præfecto,qui in eadem classe nauigabat.Astyochum si eisdem placeret,amouerent à nauarchia, Antisthenemq; subrogarẽt.Ex epistolis enim Pedariti Astyochum suspectũ habebant.Igitur hæ naues à Malea altũ tenentes ad Melũ appulsæ,nactæ sunt decem Atheniensium naues,quarũ tres captę sunt inanes crematæq;.Mox isti ueriti ne reliquæ quæ aufugissent,aduentum suum (sicut contigit) notũ facerent Atheniensibus,Sami stationẽ habẽtibus,Cretã petunt,& pleraq; nauigatione per custodiã cõfecta,tenuerũt ad Caunũ Carię.Inde tanq; ex tuto nunciũ mittũt ad classem quæ stabat ad Miletũ,ut ab ea exciperetur.Interea Chij & Pedaritus Astyochũ,etsi cunctantẽ,nihilo tamẽ minus per nũcios orabãt,ut sibi obsessis omni cum classe succurreret,nec maximã ex

omnibus socijs in Ionia urbibus pro derelicta haberet, & à mari interclusam, & à terra latrocinijs oppressam. Etenim seruitia cùm tot essent, quot in una urbe nusquam, prçterquàm Lacedæmone: & ob tãtam multitudinem seuerius in delictis, quàm alibi castigarentur, ubi exercitus Atheniẽsis tuto se loco post erectas munitiones collocasse uisus est, ad eum permulta trãsfugerunt, & propter notitiam regionis plurima per se detrimenta attulerunt. Itaq; aiebant Chij debere Astyochum usq; dum spes facultasq; esset muri apud Delphinium inhibendi, auxiliũ ipsis ferre, circumuallentem exercitu ac nauibus amplioribus castris hostiũ castra. Astyochus quemadmodum tunc fuerat interminatus, aliter statuerat, tamen ut uidit socios ad hoc incumbentes, incurrere statuit. Interim accepto nuncio ex Cauno de uigintiseptem nauium & consiliariorum aduentu, cætera omnia posthabenda existimauit, satiusq; esse ut reciperet tot naues per quas mari potiretur, & Lacedæmonij qui ad se explorandum uenissent, tutò transmitterent. Igitur omissa nauigatione in Chium, sine mora nauigauit in Caunum, Conq; Meropidem expositis in terram copijs, utiq; cùm præteruehitur urbem, diripuit: & carẽtem muris, & terræmotu collapsam, qui maximus omnium quos meminimus, illic contigit. Et oppidanis in montana dilapsis, agrum discursantes, prædas abegerunt, præterquàm liberorum hominum: hos enim dimittebant. Profectus ex Co in Cnidum nocte ab exponendis in terram nautis reuocatus est à Cnidijs, ut pergeret protinus aduersus uiginti naues Atheniensium hortantibus, quemadmodum res se habebat, quibus Charminus unus è ducibus, qui agebat apud Samum, præerat, ad speculandum harum septem & uiginti nauium trãsitum ex Peloponneso, ad quas Astyochus ipse nauigabat. Etenim in Samo ex Mileto certiores facti Athenienses de horum aduentu, negociũ Charmino dederãt, ut eas obseruaret circa Symam & Chalcem & Rhodum & Lyciam: Quippe iam esse eas in Cauno acceperat. Instat itaque famam nauigationis suæ præuertere Astyochus, tendens in Symam, si fortè classem hostilem in alto aspiceret. Sed pluuia & nubilum cœlum perturbationem ei præbuit, ne classem per tenebras moderari posset: adeò ut sub diluculum disiectis nauibus, sinistrum cornu ueniret in conspectũ Atheniensium, cùm dextrum adhuc circum insulam deerraret. Has esse naues, quas obseruarẽt è Cauno, rati Charminus atq; Athenienses, extemplò prouecti eas adoriuntur, quæ erãt pauciores uiginti, earumq; treis deprimunt, & alias lacerant iam prælio uictores, donec plures opinione ipsorum naues apparuerũt, à quibus undiq; circunuenti, fugæ se mandant: ac septem amissis nauibus, in Teuglussam insulam cum cæteris, & illinc in Halicarnassum contenderunt. His gestis Pelopon-

Cos Meropidis.

Terræmotus in Co.

nenses in Cnidū classem appulerunt, adiūctisq; sibi uigintiseptem ex Cauno nauibus, uniuersa cum classe petierūt Symam, ibiq; tropheo posito, rursus in Cnidum redierunt. Cognita pugna nauali, Athenienses cum omnibus nauibus è Samo in Symam proficiscuntur: & cùm neque inuaderent ipsi classem quę ad Cnidum stabat, neque ab ea inuaderentur, sumptis naualibus uasis quæ erant apud Symam, & Lorymis in cōtinente oppugnatis, redierunt Samum. Peloponnenses coacta ad Cnidum omni classe, si quid deerat apparabant, & ex eis undecim uiri cum Tissapherne, qui illuc aduenerat, colloquium habuerunt de rebus iam transactis, si qua illarum eis displiceret, deq; bello futuro, qua ratione optimè & ex utrorunq; utilitate maximè gerēdum esset. Et ante omnes Lichas quæ transacta essent considerans, negare fœdera bene inita tam à Chalcideo quàm à Theramene esse. Indignū enim sanè, si cuicunque prouinciæ rex atque eius progenitores imperassent, eam rex nunc sibi uendicaret. Oportere enim rursus & insulas omnes, & Thessaliam, & Locros, & deinceps Bœotia tenus in seruitutem redigere, ac Lacedæmonios pro libertate imperiū Medorum Græciæ induere. Itaq; iubet alias inire pactiones, aut istis non usurum se, nec ob eas ullo stipēdio opus esse. Hac de re stomachatus Tissaphernes, infecto negocio, ac præ se indignationem ferens, inde abscesit. Illi à primoribus Rhodiorum publicè accersiti, constituerunt illuc ire, sperantes & insulam tum nauticis, tum hominibus pedestribus pollentem se recepturos, & societatis huius beneficio à Tissapherne pecuniam non poscentes, posse alere naues. Profecti igitur protinus per eēdem hyemem ex Cnido, quum ad Camirum ore Rhodiæ primùm appulissent, nauibus quatuor & nonaginta, permultis terrorem iniecerunt, ignaris rerum quæ tractarentur, ita ut ab urbe profugerēt, mœnibus pręsertim carēte. Quibus postea Lacedæmonij conuocatis, & duabus item ciuitatibus, Lindo & Ielysso, suaserunt Rhodijs ut ab Atheniensibus deficerent. Atque ita Rhodus ad Peloponnenses defecit. Id cùm sensissent Athenienses, sub idem tempus è Samo soluerunt, rem anteuertere cupientes: sed cùm altum tenerent, in hostium cōspectum uenerunt, sed iam tardiusculi. Ideoq; cōfestim in Chalcem abiêre, & illinc rursus in Samum. Tum postea & ex Chalce & ex Co & ex Samo trajcientes in Rhodum, cum illis belligerabant. Ibi Peloponnenses subductis nauibus cætera quieti, per dies octoginta ab Rhodijs duo & triginta talenta coëgerunt. Interea & iam inde antequàm Rhodum ad deficiendum induxissent, dum hæc sunt gesta, Alcibiades post Chalcidei necem, & pugnam apud Miletum, in suspicionem Pelopōnensibus uenit, & de eo interimendo ex Lacedæmone ad Astyochum epistola missa est. Erat enim

Rhodi ad Peloponnenses defectio.

Alcibiadis uersuta consilia.

Agidi

Agidi inimicus, & alioqui infidus habebatur. Ob hūc ille metum à principio ad Tissaphernem secessit, mox apud eum quàm maximè potuit, negocijs Peloponnensium nocuit, & edocendis omnibus quomodo se haberent rebus, autor extitit imminuendi stipendij, ut pro singulis drachmis Atticis terni oboli, nec ij assiduè, soluerentur, iubens Tissaphernem illis dicere, Athenienses qui uetustiores essent, peritia rei naualis ternos duntaxat obolos classiarijs suis numerare, nec tam propter paupertatem, quàm ne illi affluentia stipendij abuterentur, partim corpora sua reddēdo deteriora, dum illud in ea demum impendunt, unde imbecillitas contingit, partim classem deserēdo, dum partem stipendij sibi debitam non relinquunt obsidem sui. Idem edocuit ut trierarchos & ciuitatum duces data eis pecunia ad hanc rem sibi concedendam induceret, præter Syracusanos, quorum dux Hermocrates solus omniū aduersabatur, socialis classis nomine. Ciuitates quoq; quæ pecunias postularent, cōfutabat ipse Tissaphernis uice, quòd diceret Chios quidem impendentes esse: qui cùm sint omnium Græcorum ditissimi, & auxiliarijs illorum incolumes effecti, postularent pro sua libertate alios periclitari & de corporibus & de pecunijs. Alias autem ciuitates iniustè agere, quæ pro Atheniensibus antequàm ab eis deficerēt sumptus facere solitæ, nollent tunc pro seipsis tantundem, aut etiam plus cōferre. Et Tissaphernem non ab re nunc bellum gerentem suis pecunijs parcere, redditurum illis solidum stipendium, si quando id ab rege mitteretur, & ciuitatibus pro cuiusq; merito profuturum. Ad hæc Tissaphernem admonebat, ne admodum incumberet bello finiēdo, néue aut accitis quas instruxerat Phœnicum nauibus, aut maiori Gręcorum classe conducta, tradere Lacedæmonijs terræ ac maris imperium uellet, sed sineret utrosq; separatim habere potentiam. Fore enim ut semper regi liceret in eos à quibus offenderetur inducere alteros. Si uerò ad alterutros deueniret maris ac terræ imperium, non habiturum eum adiutores, quibus opprimeret eos qui rerum potirentur, nisi uellet ipse aliquando per se cum ingenti & impensa & periculo adire certamen. Satius autem esse si aliquantula impensa cum harum rerum difficultate decideret, & sic rebus suis saluis, Græcos inter se collideret. Addebat etiam commodiores illi fore socios imperij Athenienses, quippe qui minus in terra dominari optarent, & rationem simul atq; operam bellandi utiliorem regi haberent: quòd si forent eius socij, in seruitutem redigerent, sibi quidem ipsis maris partem, regi autem Græcos omnes, qui prouincias illius incolerent. Lacedæmonios uerò in contrarium tendere ad restituendam libertatem, quos neutiquam credibile sit, cùm Græcos nunc à Græcis ipsis liberent, non liberaturos esse à barbaris eosdem, si

Stipendiū classiarium Atheniensium.

quos antea ab illis non liberaſſent. Iubebat ergo illū prius utroſq; cōteri ſinere: & cùm præciſum eſſet quamplurimum ex Athenienſium uiribus, tum demum Peloponnenſes è prouincia depellere. Atq; ita ſe rem habere Tiſſaphernes ferè ſentiebat, quantum ex ijs quæ fiebant colligere licebat. Alcibiadi enim ob hæc tanquam bene admonenti fidem habens, parcius Peloponnenſibus ſtipendiū dabat, nec eos bellum gerere permittebat, ſed dicendo naues Phœnicum uenturas, & eos ex abundanti certaturos, res euertit, & claſſem eam, quæ fuerat longè ualidiſsima, defloruit: in cæteris quoque apertius agens, quàm ut lateret eum ad negocium non eſſe alacrem. Atque hæc Alcibiades ſimul quod optima factu arbitrabatur, Tiſſapherni pariter & regi ſuadebat, ſimul quòd ſuum in patriam reditum curabat, cuius impetrādi, ſi eum non impediret, ſciebat ſibi aliquando fore facultatē. Eumq; ex hac re præcipuè exiſtimabat impetratum iri, ſi Tiſſaphernem conſtaret ipſi eſſe familiarē: quod & contigit. Nam poſteaquàm eum apud Tiſſaphernem pollere ſenſerunt milites Athenienſes, qui in Samo erant, & ipſe antea ad potētiſsimos mādata dederat, ut apud optimum quenq; ſui reſtituendi mentionem haberent. Velle enim ſe in patriam redire ſub ſtatu paucorum, non multorum: neq; populi, à quo fuiſſet eiectus, & illis amicum reddere Tiſſaphernem, ante quàm cum eis in Republica uerſaretur. Tum uerò plerique trierarchorum Athenienſium, qui erant apud Samum, & potētiſsimi quique ſua ſponte inclinauerunt ad ſtatum popularem antiquandum. Quæ res in exercitu primùm agitata, mox illinc ad urbem, perſuaſit ut è Samo nonnulli ad Alcibiadem colloquendi gratia uenirent. Et illo ſpondente redditurum ſe illis amicum Tiſſaphernem primùm, deinde regem, ſi modò ſtatum popularem non tutarentur: ſic enim regem magis confiſurum, magnam ſanè ſpem concipiebant, cùm hoſtem ſuperandi, tum uerò ipſi primores ciuitatis qui affligebantur maximè, ad ſe negocia trāsferendi. Hi cùm Samum redijſſent, re cum idoneis tranſacta, coniurauerunt propalàm apud multitudinem, dicentes regem eis amicum fore, & pecuniam præbiturum, duntaxat Alcibiade reſtituto, ac ſtatu populari ſublato. Vulgus, etſi nonnihil ijs quæ tractabantur in præſentia angebatur, tamen affulgente ſtipendij ab Rege ſuppeditanti ſpe quieſcebat. At illi qui ſtatum popularem agitabant, poſteaquàm uulgò rem communicauerūt, rurſus & ſibi ipſis & pleriſq; ſociorum, quæ forent ab Alcibiade proſpiciebāt. Et alijs quidem hæc facilia & credibilia uidebantur. Phrynicho autem, qui adhuc dux erat, nihil admodum horum placebat: & nihilo magis ſtatum paucorum Alcibiades ſicut erat, quàm popularem, deſiderare uidebatur, neque aliud captare, niſi ut quoquo modo diſciplina ciuitatis

Atheniensium de Alcibiade reducendo consilium.

ciuitatis immutata, accitu ſociorum reuerteretur. Ipſis autem maximè circumſpiciendum eſſe, ne ſeditiones exiſterent: quinetiam ne regis quidem intereſſe, ut à Peloponnenſibus iam æquè in mari uerſantibus, & in illis imperio non minimas urbes obtinētibus accederet ad Athenienſes, quibus diffideret, & negocium ſibi faceſſeret, cui liceret Peloponnenſes, à quibus nihildum mali paſſus eſt, efficere ſibi amicos. Præterea ſe probè ſcire aiebat ſocias ciuitates, cùm denunciatum eis foret, hos ſtatum paucorum non popularem uiuere, & ita ipſis eſſe uiuendum, profectò nec quæ defeciſſent, ad imperium redituras, nec quæ non defeciſſent, ſtabiles permanſuras. Neq; enim prœoptaturas in paucorum aut populi ſtatu ſeruitutem, quàm in utrocūq; nāciſci poſſe libertatem. Quinetiam eos qui optimates uocarentur, opinaturos non minus negocij ſibi quàm in populari ſtatu per eos exhibendum eſſe, qui largitionibus uterentur, & duces malorum eſſent: unde plura ipſi commoda conſequerentur, & ſub illis inaudita cauſa homines atque immanius ad necem eſſe rapiendos. Popularem uerò ſtatum & effugium ſuum & illo certiorem eſſe, & hæc ita ſentire ciuitates ex ipſis operibus edoctas, planè ſe ſcire Phrynichus aiebat: ideóque nihil eorum ſibi, quæ in præſentia ab Alcibiade agerentur, placere. Ii tamen qui congregati in ſocietate belli erant, ſicut à principio placuerant hæc, ita nunc admiſerunt: ac legatos qui Athenas mitterentur cùm alios, tum uerò Piſandrum parauerunt, ut Alcibiade reducendò, ac ſtatu populari antiquando, deq; contrahenda Athenienſibus cum Tiſſapherne amicitia tractarent. At Phrynichus ſciens forent oratio de Alcibiade reducendo haberetur, & ab Athenienſibus admitteretur, ueritus ne ob ea quæ à ſe in contrarium dicta eſſent, male ſecum ageretur, ſi in arbitrium illius deueniret, hoc comminiſcitur. Mittit ad Aſtyochum Lacedæmoniorum nauarchum circa Miletum adhuc agentem clandeſtinas epiſtolas, in quibus cùm alia ſimpliciter ſcribebat, tum uerò Alcibiadem illorum negocia corrumpere, qui Tiſſaphernem Athenienſibus cōciliaret. Sibi ueniam dandam eſſe, qui aliquid conſuleret in perniciem hoſtis ſine detrimento ſuæ ciuitatis. Aſtyochus de Alcibiade ulciſcendo, præterquàm quòd amplius ille non ueniebat in manus, ne curauit quidem: ſed reuerſus ad eum in Magneſiam & ad Tiſſaphernem, retulit ambobus quæ ſibi ſcripta eſſent è Samo: index ipſe rei factus, & (ut ferebatur) tum his tum alijs rebus communicandis Tiſſapherni ſeſe applicans priuati lucri gratia, eóque libentius ferens ſtipendium non eſſe perſolutum. Alcibiades non cunctatus literas in Samum ad magiſtratus mittit, de ijs quæ à Phrynicho agerentur, poſtulans ut eum morte mulctarent. Ob id exæſtuans

Phrynichi aduerſus Alcibiadem calliditas.

Phrynichus, ut qui ob indicium eſſet in ſummum omnino diſcrimen adductus, rurſus ad Aſtyochum ſcribit, inſimulans illum ſuperioris facti, quòd haud probè occultaſſet, & nunc ſe paratum eſſe tradere omnem Athenienſem exercitum, qui eſſet apud Samum, illis ad internecionem, expoſitis ſigillatim omnibus modis (cùm Samus muris careret) quibus modis iſta exequeretur: neque inuidioſum ſibi iam eſſe, cùm propter inimiciſsimos de capite periclitetur, ſi hoc & aliud quocunque potius ageret, quàm ut ab illis trucidaretur. Hæc quoque Aſtyochus ad Alcibiadem detulit, cuius iniquitatem præſentiens Phrynichus, tantumq́ non ab Alcibiade de his rebus epiſtolam adeſſe, præoccupat ipſe ad exercitum indicium efferre, inquiens hoſtes in animo habere, cùm Samus careat muris, nec omnis claſsis intus habeat ſtationem, caſtra inuadere: & quandoquidem ipſe pro comperto habeat, debere Samum illos quàm celerrimè muro concludere, & in cæteris cuſtodias agere. Atque ipſe eos pro imperio quo erat, ad hæc facienda adegit. Et iſti quidem partim ad extruendos muros res præparare, partim celeriter extruere non ſolùm ex hac cauſa, ſed etiam tanquam ſic Samus eſſet duratura. At non ita multò pòſt, literæ ab Alcibiade ueniũt, exercitum à Phrynicho proditum iri, & hoſtes eum inuaſuros. Et hoc Alcibiades non ex fide, ſed ex odio dicere exiſtimatus, & Phrynicho tanquam cum hoſtibus ſentienti opponere quæ ipſe facienda ab hoſtibus præuidiſſet, nihil obfuit, imò teſtimonium eo indicio perhibuit. Item poſt Tiſſaphernem alliciendo induxit, ut amicus Athenienſibus foret, timentem quidem Peloponnenſes, quòd maiori cum claſſe quàm Athenienſes adeſſent: cupientem tamen, ſi quo pacto poſſet, ſibi haberi fidem, præſertim poſtea quàm ſenſit eorum apud Cnidum diſſenſionem de fœderibus per Theramenem initis. Nam id temporis cùm illi apud Rhodum eſſent, iam diſſentio extiterat. Poſt quem Alcibiadis ſermonem cum Tiſſapherne habitum, Lacedæmonios ire aſſertum cunctas ciuitates in libertatem, ſuperuenit Lichas, negauitq́ tolerandam eſſe pactionem, ut rex obtineret ciuitates, quibus prius aliquando aut ipſe, aut progenitores eius imperaſſent. Et Alcibiades quidem, utpote ad magna connitens, officioſè Tiſſaphernem demerebatur.

Legati autem Athenienſium qui cum Piſandro è Samo miſsi erant, ubi Athenas peruenerunt, uerba apud populum fecêre, altius repetentes & ante omnia licere illis & regem ſocium habere, & Pelopõnenſes uincere, ſi Alcibiadem reſtituerent, nec eodem modo degerent ſub ſtatu populari. Contradicentibus multis, partim pro ſtatu populari, partim propter inimicitias Alcibiadis, ac reclamantibus indignũ facinus eſſe, ſi is rediret qui leges rupiſſet, in quem

in quem Eumolpides præconesq; de mysticis testimonium dixissent, quo nomine exilium sibi ille consciisset: quem denique si reuocarent, sese deuouissent. Pisander ubi plurimum concertationis erat ac querelæ, adiens ac prehensans singulos contradicentium, percontabatur num quam spem salutis publicæ haberent: Peloponnensibus nec in mari pauciores quàm ipsi naues rostratas habentibus, & socias ciuitates plures, suppeditante illis rege ac Tissapherne pecunias, quæ ipsis nullæ reliquæ essent, nisi quis ad eos regem traduceret. Et cùm interrogasset, & nullam aliam esse dicerent, tunc palàm subijciebat eis: Atqui hoc ut conficiamus, fas non est, nisi Rempublicam prouidentius administremus, & ad paucorum regimen deferamus, ut nobis rex habeat fidem: ne plus de administratione Reipublicæ in præsentia quàm de salute consulamus: habituri facultatem pòstmodum, si displicebunt ista, mutandi: Alcibiademq;, qui hoc unus nunc efficere potest, reducamus. Hæc audiens populus, ægrè quidem à principio ferebat mutationem status paucorum: sed Pisandro planè docente nullam aliam salutem esse, inter metum & spem, ut status Reipublicæ immutaretur, annuit: factumq; decretum est, ut Pisander cum decem collegis irent ad transigendum cum Tissapherne atque Alcibiade, quoquo modo sibi maximè è Republica fore uideretur. Et criminante Pisandro, Phrynichus à præfectura cum suo collega Scironide amotus est, subrogatiq; in eorum locum Diomedon & Leon, & ad classem missi. Dedit autem crimini Pisander Phrynicho, quòd diceret eum prodidisse Iasum & Amorgem, uidelicet arbitrabatur eum non idoneum fore ijs quæ ab Alcibiade transigerentur. Ita Pisander, ubi coniurationes omnes quæ prius fuerant de iudicijs ac magistratibus in ciuitate, recitauit: & eos ut coirent, initoq; publicè concilio popularem statum abrogarent cohortatus est, cæteraq; quæ ad præsentem usum pertinerent, curauit, ne quid moræ intercederet, ad Tissaphernem ipse cum decem collegis nauigauit. Leon ac Diomedon per eandem hyemem cùm ad classem Atheniensium peruenissent, Rhodum petierunt. Vbi nacti subductas Peloponnensium naues, in quendam locum egressi sunt, ac Rhodijs qui ad arcendam uim occurrerant, prælio superatis, in Chalcem se recepêre: & illinc bellum acrius ex Co gerebant, quod inde commodius obseruarent, si qua trajcerent Peloponnensium naues. Xenophantidas autem Lacon è Chio in Rhodum uenit à Pedarito, nunciatum iam ad finem peruenisse Atheniensium murum: Et nisi omne classe subueniatur, actum esse de Chio. Et isti quidem subuenire statuerunt. Attamen Pedaritus interea, & qui cum eo auxiliares erant, atq; Chij, admotis omnibus copijs munitiones Atheniensium circundatas classi oppugnant: & eius

Atheniensium decretū de mutando statu reipublicæ.

& eius parte expugnata, aliquot nauibus qua ſubductæ erant potiuntur. Sed eò ſuccurrentibus Athenienſibus, primi in fugã uerſi ſunt Chij, mox Pedaritus ipſe reliquis circa fuſis occubuit, ac multi Chiorum, pluraq; arma capta. Poſt hæc multo quàm antea Chij arctius obſidebantur, & à terra & à mari, etiam fame inualeſcente.

Tiſſaphernes ſibi metuit.

Piſander autem legatiq; collegæ, ubi ad Tiſſaphernem uētum eſt, uerba fecerunt de pactionibus ineundis. Ille quoniam magis extimeſceret Peloponnenſes, & quemadmodum ab Alcibiade erat edoctus, uellet utroſq; adhuc uehementius conteri, non ſe certum omnino Alcibiadi præbebat. Ea de re ille ad tale genus ſe conuertit, ut inter Athenienſes & Tiſſaphernem tanquam nimia poſtulantem non conueniret. Quod ut mihi uidetur, etiam Tiſſaphernes uolebat: ipſe quidem propter metum, Alcibiades autē, quod ubi animaduertit illum (ut uidebatur) non affectare conuentionem, nolebat uideri Athenienſibus inualidus ad hoc ei perſuadendum: ſed iam perſuaſo, & uolenti ad Athenienſes ſe cōferre, ipſos Athenienſes non idonea offerre. Poſtulauit enim Alcibiades coram Tiſſapherne, cuius uice ipſe in loquendo fungebatur, quæ adeò omnem modum ſupergrederentur, ut per Athenienſes, etſi ingentibus ſanè poſtulatis annuerent, ſtaret quò minus conueniretur. Nam poſtulauit omnē Ioniam tradi, rurſusq; inſulas Ioniæ adiacentes: quæ cùm non abnuerent Athenienſes, tandem in tertio congreſſu ueritus ne planè deprehenderetur parum pollere, petijt ut ſinerēt regem ædificare naues & ijs terram ipſorum obire quot & quoties libuiſſet. Ad hæc poſtulata nihil iam amplius aſſenſere Athenienſes, ſed ea intolerabilia arbitrantes, & ſe ab Alcibiade eſſe deceptos, cum iracundia digreſsi, ſe Samum receperunt.

Tiſſaphernes Peloponnenſibus reconciliatur.

Poſt hæc rurſus Tiſſaphernes eadem hyeme contulit ſe in Caunum, animo Peloponnenſes iterum reuocandi Miletum: initisq; alijs quibuſcunque poſſet pactionibus ſtipendium ſoluere, ne prorſus ſibi hoſtes redderet, timens tum ne aut coacti pugnare cum Athenienſibus, claſſe ex magna parte ſtipendio fraudata ſuccumberent, aut ea exarmata, ad uotū ſine ſe Athenienſibus ſuccederet, tum uel magis, ne illi ſtipendij parandi gratia continentem peruaſtarent. Harum igitur rerum omnium reſpectu atque prouidentia, ut (quemadmodum optabat) Græcos inter ſe coæquaret, accitis Peloponnenſibus ſtipendium numerat, fœderaq; cum eis tertiò init in hæc uerba:

Pactiones tertiæ inter Lacedæmonios & regem ſocietatis.

TErtiodecimo regni Darij anno, Alexippida apud Lacedæmonem tribuno plebis, pactiones initæ ſunt apud Menandri campum inter Lacedæmonios ſociosq; ac Tiſſaphernem & Theramenem,

ramenem, Pharnaciꝗ liberos, de regis deꝗ Lacedæmoniorum & ſociorum negocijs. Quæcunque plaga regis in Aſia eſt, regis eſto, deꝗ ſua prouincia rex deliberato pro ſuo arbitrio. Lacedæmonij ſocij'ue prouinciam regis ne adeunto nocendi ergô. Neue rex Lacedæmoniorum ſociorum'ue regionem adito ullius mali ergô. Quòd ſi quis Lacedæmoniorum aut ſociorum, nocendi ergô regionem regis adierit, Lacedæmonij ſocijꝗ prohibento. Et ſi quis è ditione regis adierit Lacedæmonios ſocios'ue nocendi ergô, rex prohibeto. Nauibus quæ nunc adſunt, Tiſſaphernes ſtipendium præſtato ex pacto, dum naues regis aduenient: quæ ubi aduenerint, Lacedæmonij ſocij ſuam claſſem ſi uolent alunto: ſin à Tiſſapherne ali uolent, Tiſſaphernes ſtipendium præbeto. Eam pecuniam finito bello quantam acceperint Lacedæmonij ſocijꝗ Tiſſapherni reddunto. Poſtquàm claſsis regia uenerit, & illa & Lacedæmoniorum & ſocialis communiter bellum gerunto, quatenus Tiſſapherni uidebitur Lacedæmonijsꝗ ac ſocijs. Quòd ſi ſocietatē belli cōtra Athenieñſes diſſociare libuerit, ex æquo diſſociāto.

Hæ pactiones initæ fuerunt, poſt quas Tiſſaphernes operam dedit, ut naues Phœnices (quemadmodum dictum eſt) adduceret, atque alia quæ ſpoponderat, animo etiam oſtentādi ſe quæ ad ipſum pertinerēt, apparare. Sub extremū iam hyemis Bœotiani Oropum interceperunt, prodito Athenienſium quod ibi erat præſidio, opera etiam nonnullorum Eretrienſium, & ipſorum Oropiorum, captantes Eubœam ad defectionem inducere. Nam cùm id oppidum ſit ſitum in Eretria, quod Athenienſes tenebant, fieri non poterat, quin magna iactura afficeretur & Eretria & cætera Eubœa. Potiti igitur iam Oropo Eretrienſes, in Rhodum uenerunt accitum Peloponēnſes in Eubœam. Illi Chio potius quæ uexabatur ſuccurrendū cùm ſtatuiſſent, & è Rhodo ſoluentes omni cum claſſe circa Triopium nauigarent, proſpiciunt Athenienſium naues à Chalce altum tenētes: & cùm neutri in alteros tenderent, abierunt: Athenienſes quidem in Samum, Peloponnenſes autem in Miletum, cernentes non poſſe ſe Chio ſuccurrere ſine certamine. Hyems hæc confecta eſt, & uigeſimus huius belli annus, quod Thucydides conſcripſit.

Ineunte ſtatim proximæ æſtatis uere, Dercylidas Spartiata haud magna cum manu miſſus eſt itinere pedeſtri in Helleſpontum, ſolicitatum ad defectionem, Abydum quæ eſt Mileſiorum colonia. Chij quoꝗ quamdiu Aſtyochus deferendo auxilio ambigit, obſidione urgente, ad confligendum impulſi ſunt nauali certamine. Acceperāt autem poſt mortem Pedariti Aſtyocho adhuc apud Rhodum agente, Leontem è Mileto hominem Spartiatam pro duce, qui cum Atiſthene uenerat in naui, & duodecim naues *Vigeſimiprimi anni initium.*

Mileti

ibi popularem aboleuit. A cuius discessu Thasii altero ferè mense urbi murum circundederunt, tanquam nihil iam indigentes cum Atheniensibus statu optimatum, sed libertatem à Lacedæmonijs propédiem expectantes. Nam eorum exules qui non penes Athenienses, sed apud Lacedæmonios erant, cum suis qui intra urbem erant necessarijs, omni ope annixi sunt, ut & naues reciperentur, & ciuitas rebellaret. Itaq; ipsis quidem euenit ex sententia, ut & ciuitas citra periculum seruitio eximeretur, & populus qui fuerat ré fragaturus, administratione summoueretur, cæteris autem Atheniensium studiosis è contrario, qui statum paucorum illic constituerant. Igitur apud Thasum euenêre contraria, ijs qui Atheniensium statum paucorum constituebant. Neq; id in Thaso tantùm, ut mihi uidetur, sed in alijs quoq; multis subditorum ciuitatibus, quæ resipiscentes, & impunè id agentes, illa fallaci sub Atheniensibus legitimè uiuendi cõditione posthabita, ad eam quæ proculdubio erat libertatem transierunt. At Pisander cum collegis profecti, statum popularem, ut ipsis uidebatur, ex urbibus sustulerũt, & ex aliquot earũ armatis in socios sumptis Athenas reuerterunt: ubi comperiunt iam pleraq; à sodalibus perpetrata. Etenim Androclem quendam in statu populari longè principem, & qui inter primos extiterat autor Alcibiadis expellendi, nonnulli iuniorum conspirati, clàm obtruncarant, duplici causa, tum quòd erat maximæ apud populum autoritatis, tum uel magis aliquanto Alcibiadis demerendi, tãquam reuersuri, & Tissaphernem eis amicũ redditurí, aliosq; nõnullos tanquã non opportunos eodem clàm modo sustulerant. Oratioq; ab eis ex composito propalàm habita est, neq; mercedem alijs dari debere nisi militantibus, neq; plures esse participes rerum gerendarum quàm quinque millia, & eos præcipuè, qui & pecunijs & corporibus prodesse possent. Erat autem hæc res decora apud plerosq;, ut qui administratiõe ciuitatis immutassent, ijdem ciuitatem administrarent. Adhuc nanq; & populus & conciliũ ex consuetudine congregabatur, ita tamen ut nihil consultaretur nisi quòd cõspiratis probaretur. Ex quorum etiam numero erant oratores, pensatis prius inter se quę forent, dicenda, nemine iam aliorum cõtradicente præ metu, cùm tantam cerneret conspiratorũ manũ. Quòd si quis contrà hisceret, cõfestim aliquo idoneo modo necabatur, neque de percussoribus inquirebatur: si qui suspecti erant, supplicium sumebatur, sed intra silentium populus se tenebat adeò perterrefactus, ut taciturnitatem suam lucri facere se putaret si nihil uiolentiæ pateretur, & cùm multo plurium quàm erat conspirationem suspicaretur, animo succumbebat. Nec id licebat explorare tum propter magnitudinem ciuitatis, tum propter mutuam ignorationẽ. Neq; uerò fas erat ob hoc

Androclis cędes.

ipsum cuiquam apud aliū miserari ac lamentari uicem suam, quasi de ulciscendo secreta consilia agitaret. Siue enim notum siue ignotum nactus esses quem alloqueris, infidus uidebatur, singulis è populo suspiciosè inuicē se adeuntibus, ueluti clàm participes forent eorum quæ agerētur. Quoniam ex eo paucorū numero erant quidam, quos nemo unquā suspicatus esset ad eam se factionē conuersuros, qui præcipuè & apud multitudinem ut fides haberetur efficerant, & apud statum paucorū ut multū firmamenti esset, uel hoc ipso quòd populares ad mutuam diffidentiā inducebāt. Sub hoc igitur tempus Pisander collegæq; uenientes, statim cætera peregerunt: & ante omnia coacto populo, sententiā dixēre de decem scribis deligendis, penes quos liberum imperiū esset, qui cōscriptam rogationem certa die ad populū ferrent, qua ratione ciuitas optimè degeret. Vbi dies dicta aduenit, aduocata concione in editum locum ubi templum Neptuni est situm, decem fermè extra urbem stadijs, promulgarunt decē uiri illi, nihil aliud quàm hoc demum, licere cuicunq; Atheniensem dicere quam uelit sententiam. Quòd si quis eum qui dixerit, accusauerit uiolatæ legis, aut quoquo alio modo læserit, ingentibus pœnis sanxerunt. Hic uerò clarè locuti sunt, nullum iam pristino instituto magistratū ualere, neq; stipendium numerari: sed quinq; deligi præsides, à quibus rursus cētum uiri deligātur, qui singuli ternos sibi cooptēt, penes quos numero quadringentos, cùm in curiā uenerint, imperiū sit exequendi quæ optima factu esse senserint, & quinq; millia ciuiū quoties eis uideretur congregare. Fuit quidem qui hanc rogationē tulit Pisander, qui ut in cæteris, ita in hoc statu popularem libētissimè propalàm abrogabat. Qui uerò totū negocium cōposuit, qua ratione ad hoc deueniretur iam pridē id præmeditatus, fuit Antiphon, uir Atheniensium sui temporis nulli secundus uirtute, atq; item præstantissimus in cōminiscendo, & in ijs quæ sentiret promendis, qui neq; ad populum neq; ullam in contentionē uoluntarius prodibat: sed suspectus uulgò, propter opinionem facultatis in dicēdo, cessaret ab agēdo: tamen hic unus ut cuiq; aliquid aut in iudicio, aut apud populū agenti consulebat, plurimū posse prodesse existimabatur: & qui pòstmodum (cùm statu quadringentorū collapso, acta illorum populus ultum iret, ipseq; in iudiciū uocaretur, siquam unus ex istarū rerum autoribus) uidetur mihi optimè omniū ad meam usq; memoriā, causam capitis dixisse. Pręstabat autem sese & Phrynichus perquàm studiosum circa statū paucorū Alcibiadis metu, quem intelligebat cūcta apud Samū à se cum Astyocho tractata resciuisse, ratus (ut credibile erat) eū nunq; sub paucorū statu reuersurū. Et aduersus atrocia quia is non succubuerat, plurimū de sua uirtute spopōdisse uidebatur. Theramenes quoq; Agnonis filius,

Hunc locum citat Cicero in Bruto.

inter primos eorum extitit qui ſtatum popularem diſſoluerũt,uir neque ad dicendum,neque ad intelligendum inualidus. Itaque opus à ueris & multis & circunſpectis agitatũ,etſi arduum,tamen non immeritò proceſsit.Arduum enim fuit,populũ Athenienſem centeſimo ferè ab exactis tyrãnis anno libertate priuare. Nec eum modò nullius imperio ſubiectum,ſed plus quàm huius temporis dimidio ipſum alijs imperare aſſuetum. Vbi autem cõcio nemine refragãte,ſed rata habẽte quæ promulgabãtur,ſoluta eſt,aliquãto pòſt in curiam introducti ſunt quadringẽti hunc in modũ:Erant Athenienſes aſsiduè ſub armis propter hoſtes apud Deceleã agẽtes,partim in muris,partim in ſtationibus ſuo quiſque loco.Igitur illo die eos qui conſcij non erant,ex cõſuetudine abire permittũt, dato præcepto coniuratis,ut permanerent non apud arma,ſed ſeorſum:& ſi quis ad res quæ agerentur notandas reſtitiſſet, hunc ſumptis armis id facere prohiberẽt.Fuerũt autem ij,quibus id negocium datum eſt,qui ad hoc ipſum uenerant cum ſuis armis,Andrij & Tenij & Caryſtiorum trecenti,& Æginetæ incolæ,quos illuc habitatum miſerant Athenienſes.His itaq; diſpoſitis,quadringenti uiri occulto quiſque pugione uenientes, comitantibus centum uiginti Græcis adoleſcentibus,quibus utebantur,ſicubi manu illorum opus erat,circunſiſtunt intra curiam ſenatores, qui fabis eligebãtur,eiſq; præcipiunt,ut ſumpta mercede egrederentur: Attulerãt autem ipſi mercedẽ illis totius reliqui temporis,& eam egredientibus perſoluerũt. Itaq; hunc in modũ ſenatus nihil refragatus,è curia prorepſit:ne cæteris quidem ciuitatibus aliquid innouantibus,ſed quieſcẽtibus.Tunc illi ingreſsi curiam,quæſtores è ſuo corpore ſortiti ſunt,quibuſcunq; uotis atque ſacrificijs magiſtratus inſtituuntur,uſi:poſtea ualde immutato ritu ſtatus popularis,præterquàm quòd exules Alcibiadis gratia nõ reſtituerũt,in cæteris imperioſè gerebant:& nõnullos (licet haud multos) quia ipſi uidebantur idonei qui in locum ipſorũ ſubſtituerentur,interemerunt,nõnullos in carcerem cõiecerunt,quoſdã relegauerunt. Ad Agidem quoq; regem Lacedæmoniorũ (erat apud Deceleã) miſere caduceatorem,qui diceret uelle ſe redire in gratiam:& conſentaneum eſſe ut ille ipſis potius,quàm in fido populo aſſentiretur.At iſte non quieto animo ciuitatem eſſe exiſtimans,neq; populum ſubitò uetuſtam libertatem traditurum,nec quieturum ſi magnum exercitum conſpexiſſet,ideò non tantum fidei habens illis in præſens,quin crederet etiam turbari poſſe,nihil de cõuentione reſpondit ijs qui à quadringentis aduenerãt,ſed accito è Peloponneſo ingenti exercitu, haud multò pòſt ipſe cum ijs copijs, & his quæ ad Deceleam excubabant, deſcendit ad ipſa mœnia Athenienſium:ſperãs eo magis turbatos Athenienſes in ſuum arbitrium

Agidis exercitus cõtra Athenienſes.

peruenturos, aut uolũtarios, aut ipſo impetu, propter tumultum intra extraq; credibiliter futurum: neq; enim defore putabat, qui muros maiores propter illorum ſolitudines occuparent. Cùm ergo copias propius mœnia admouiſſet, Atheniẽſes ne tantulũ quidem intra urbem mouerunt: ſed emiſſo equitatu, ac parte quadam grauis & leuis armaturę ſagittariorum, depulerunt ſtatim eos qui propius ſubijſſent, armisq; atque corporibus quorundam interfectorum potiti ſunt. Ita re Agis cognita, rurſus eduxit exercitum: & ipſe quidem & qui cum eo fuerant illic, apud Deceleæ loca manſerunt. Eos autem qui hoſtes inuaſerant, poſtquàm illic aliquot dies fuerant commorati, domum remiſit. Secundum hæc, cùm quadringenti uiri ad eum legationem miſiſſent, & hic magis iam admitteret, & ad hoc ipſos hortaretur, Lacedæmonem mittunt ad paciſcendum legatos, cupidi pacificandi. Mittunt item in Samum decem uiros ad leniendos milites, docendosq; cùm alia quæ dicere oporteret, tum uerò illud, non in perniciem ciuitatis conſtitutum eſſe ſtatum paucorum, ſed in ſalutem omnium: & quinque millia hominum eſſe, non quadringentos ſolùm, qui negocia adminiſtrarent. Nec unquam ad eam diem propter expeditiones & peregrinas occupationes ad ullã rem conſultandam quantumlibet arduam, plures quinque millibus conueniſſe. Non tamen ſtatim ab ipſa ſtatus ſui conſtitutione miſerunt, ueriti, ne id quod euenit, nautica multitudo nollet ſub eo ſtatu manere, & illinc inchoato malo ipſis, moueretur. Etenim iam apud Samum circa ſtatum paucorum res talis erat innouata, ea quæ per ipſum tempus contigit, quo quadringenti ſunt conſtituti. Nam Samiorum qui tunc aduerſus proceres ſurrexerant, cùm antea fuiſſent ſtatus popularis, ſed immutati rurſus perſuaſione Piſandri dum uenit, & Athenienſium in Samo conſpicuorum, facta coniuratione ad quadringentos homines, ſtatuerant aggredi cæteros, tanquam illi populus forent, & Hyperpolum quendam Athenienſem, hominem nefariũ, exulãtem, non potentiæ dignitatis'ue metu, ſed propter ſcelera & dedecus ciuitatis interemerũt, unà cum Charmino uno è ducibus & aliquibus ſecum Athenienſibus, quibus fidem dederant. Et cum ijs alia huiuſmodi perpetrarunt, animati & plures inuadere. Hanc rem qui ſenſerãt futuram, nunciauerunt tum è ducibus Leonti ac Diomedonti (hi enim quòd à populo honore afficerentur, inuiti ſtatum paucorum ferebant) tum Thraſybulo ac Thraſyllo, quorũ alter erat trierarchus, alter armatis præerat: itemq; cæteris qui præcipuè uidebantur illi cõſpirationi ſemper auerſi: obſecraruntq; ne ſeipſos morti deſtinatos, ne Samum ab Athenienſibus alienatã, propter quàm unã magiſtratus in id temporis permãſiſſet, cõtemnerent. Hoc illi audito, ſingulos

Samiorum ſeditio.

Hyperpoli cædes.

Charmini cædes.

ſingulos milites adeunt, orantq; ne quo modo id permittant, & in primis eos qui dicuntur Parali, homines Athenienſes, atque liberos omnes qui in ea naui uehebantur, ſtatui paucorum etiamnon præſenti, ſemper infeſti. Quibus Leon & Diomedon quoties aliquò nauigabant, ſoliti erant aliquid nauium cuſtodiendum relinquere. Itaq; cum trecenti illi in Samios impetũ feciſſent, iſti omnes interuentu ſuo pleroſque Samiorum periculo exemerunt, & triginta è numero trecentorum obtruncarũt, & eorum tres maximè nocentes exilio multarunt, cæteris ignoſcentes reſtituto populari ſtatu, in poſterum communiter Rempublicam adminiſtrarunt. Hanc itaque nauem Paralorum cum ipſorum præfecto Chærea, qui ſtatu mutato nauauerat operam, properanter Samij atq; milites Athenas mittunt ad ea quæ acta eſſent nuncianda. Nondum enim reſciuerãt quadringentos uiros imperio potitos. Cùm Athenas nauis perueniſſet, ea protinus quadringẽti ablata, Paralorum aliquot duobus tribus've uincula indiderũt, reliquos in aliam militarem nauem impoſitos, mandarunt apud Eubœam cuſtodiendos. Chærea ſimulac ea quæ agerentur animaduertit, utcunque latitans rurſus in Samum reuerſus, retulit militibus quæ fierent Athenis, omnia in maius ui orationis exaſperans, uniuerſos ab his qui Rempublicam adminiſtrarent uerberibus affici, nec cõtra eos quicquam hiſcere licere: quinetiam horum uxoribus liberisq; uim afferri, cædem quoque ſtatuiſſe omnium qui in Samo militarent, qui ab ipſorum ſententia diſcreparent, propinquos comprehendere atque coërcere, niſi ſibi obtemperatum ſit, eos interfecturos. Alia etiam permulta mentiendo adiecit. Quæ audientes milites, non modò eos qui ſtatum paucorum introduxerãt, ſed etiam eos qui participes erant, ſtatuerunt à principio occidere. Deinde ab ijs qui ſe interpoſuêre prohibiti, atque edocti, ne hoſtibus infeſta claſſe uenientibus rem Athenienſem perderent, abſtiterunt. Ac poſtea uolentes iam apertè rem Samiam ad ſtatum popularem reuocare, Thraſybulus Lyci filius, ac Thraſyllus (iſti enim præcipui autores extiterant ſtatus innouandi) adegerunt ad maximum iuſiurandum cùm cæteros milites, tum uerò eos qui erãt è ſtatu paucorum, capeſsituros ſe Rempublicam popularem, idemq; quod ipſi ſenſuros, bellum aduerſus Peloponnenſes impigrè geſturos, quadringentos uiros pro hoſtibus habituros, ac nihil admodum cum illis per caduceatorem tranſacturos. In eadem uerba iurauerunt etiam ex Samijs omnes qui per ætatem ferre arma poterant, cum quibus omnia negocia & quæ ex periculis euentura forent, milites ſibi communia eſſe uoluerunt, arbitrantes neque ſibi neq; illis ullam reliquam ſalutem fore, ſed utriſq; pereundum, ſiue quadringenti uiri uincerent, ſiue hoſtes è Mileto. Atque hoc tempus

Charea Paralorum præfectus.

per concertationem omne cōsumptum est, militibus Athenas ad popularem statum, illis hos ad paucorum compellētibus. Sed milites coacta protinus concione, superiores duces, & si quem trierarchum suspectum habebant, magistratu amouerunt, aliosq; suffecerunt trierarchos ducesq;, quorum extitêre Thrasybulus Thrasyllusq;: qui ad dicendum surgentes, cæteros exhortati sunt cùm alijs rationibus non debere ipsos animo labare, quòd ciuitas sua defecisset: tum uerò his, quod à se qui & plures essent, & omnibus magis abundarent, illa secessisset. Nam quum ipsi omnem classem habeant, coacturos se cæteras ciuitates, quibus imperent, dare pecuniam, non minus quàm si degerent Athenis. Nam & urbem sibi esse Samum, quæ non modò infirma sit, uerùm etiam parū abfuerit quin Athenienses superiore bello imperio maris priuauerit: & se hostes ex eodem loco propulsaturos, quo prius: & se propter classem potentiores quàm eos qui in urbe essent, ad comparandum commeatum: & propter seipsos in Samo sedentes, etiam antea potitos fuisse Athenienses portu Piræi: & nunc eò deuenturos, si nolint ipsi reddere Rempublicam, ut ipsi magis possint illos prohibere mari, quàm ab illis prohiberi: ac exiguā sanè & nullius momēti utilitatem fuisse, quàm eis præstiterit urbs ad uincendos hostes. Itaque se nihil amisisse, cùm illi neque argentum iam mittere possint, sed id ipsi sibi milites suppeditent, neque bonum consilium, cuius causa urbs castris potiatur. Quin in his quoque illis peccasse, antiquando leges patrias: ipsos uerò easdem seruare, & illos ad easdem cogere conaturos esse. Itaque neq; hos, qui aliquid boni consulerent, apud se deteriores esse: & Alcibiadem proposita sibi per ipsos securitate atque restitutione, societatem inter eos ac regem cupidè cōciliaturum: quodq; maximum sit, si cætera frustrarentur, certè cùm tantam classem habeāt, hoc non deesse ut secedant aliquò ex multis locis, ubi & urbes & agros inueniant. Talibus sese alloquijs mutuò in concione hortati sunt, & nihilo segnius ea quæ ad bellum gerendum pertinebāt, apparabant. Quæ sentientes decem legati qui à quadringentis uiris in Samum missi erant, cùm iam in populo uersarentur, ibidem siluêre.

Per hoc tempus clasiarij Peloponnensium milites, qui erant Mileti, inter se clamabant, negocia ab Astyocho pariter atque Tissapherne perdi: ab Astyocho quidem, quòd neque prius pugnare uoluerit, quandiu ipsorum clasis præpotens, Atheniensium tenuis fuit: neque nunc uelit, cùm Athenienses inter se disidere dicantur, nec eorum naues eodem in loco esse: sed tempus terat opperiendo Phœnices à Tissapherne naues, nomine, non re periculum certaminis facturas. A Tissapherne autem, quòd has naues non accierit, quodq; neque solidum neque asiduum stipendium

soluendo,

soluendo, classem Peloponnensem destruat. Itaque negabant ulterius expectare oportere, sed pugna nauali decernere, ad quod præcipuè Syracusani instabãt. Hoc murmur gliscere sentiẽtes socij atq; Astyochus, cõcilio habito, censuêre decertandũ: quandoquidem seditionẽ apud Samum esse nunciabatur. Ergo cum omnibus nauibus numero centum ac duodecim Mycalen proficiscũtur, iussis eò Milesiis adesse pedestri itinere. In Glauca autem Mycales stationem Athenienses habebant, duæ & octoginta naues è Samo profectæ. Distat autem paululùm à còntinente Samus, qua parte Mycalen spectat. Qui quum prospexissent Peloponnesiacas naues ex aduerso uenientes, secesserunt in Samum, suas non satis esse rati ad subeundũ de summa rerum periculũ, & simul expectantes (præsciuerant enim hostem è Mileto uenire, cupidum pugnandi) Strombichidem ex Hellesponto succursurum cum ea classe, qua se è Chio Abydum contulerat: ad quem præmiserant nunciũ, cùm se in Samum Athenienses subduxissent. Peloponnenses ad Mycalen classe appulsa, illic castra posuêre, & cum eis Milesiorum peditatus atq; accolarum. Postero die cùm aduersus Samum nauigare statuissent, accepto nuncio Strombichidem ab Hellesponto redire, ilicò Miletum reuecti sunt: aduersus quam uicissim Atheniẽses post accessionem alterius classis contenderunt centum atq; octo nauibus, proposito decertandi. Sed nemine obuiam se dante, rursus in Samum reuertũtur. Statim secundum hæc eadem Peloponnenses tam numerosa classe, tamen non idoneos se arbitrantes ad prælium conserendum, inopes consilij unde tot nauibus pecunia suppeteret, præsertim Tissapherne malè soluente, mittũt ad Pharnabazum (quod iam inde ex Peloponneso præceptũ erat) Clearchum Rhamphij filiũ quadraginta nauium præfectũ. Euocauerat enim eos Pharnabazus, præbere stipendiũ paratus, pactusq; per legatũ se illis Byzantiũ ad defectionem impulsurũ. Ita naues Peloponnenses datis uelis altũ petentes, ut in cursu faciendo hostem laterẽt, coorta tempestate iactatæ sunt, & earũ aliæ quæ Delũ tenuerunt, plures erãt, quibus Clearchus uehebatur, posterius Miletũ reuersæ sunt. Sed rursus eas recepit Clearchus, in Hellespontũ pedibus itinere cõfecto. Verùm eæ quæ in Hellespontum euaserant cum Helixo Megarense decẽ naues, Byzantiũ traxêre ad defectionem: quod postea cùm resciissent Atheniẽses qui ad Samũ statiua habebãt, miserũt auxilio atq; præsidio loci classem in Hellespontũ: & breuis quædam pugna cõmissa est ante Byzantiũ inter octonas utrinque naues. In Samo uerò qui rebus præerant, & ante omnes Trasybulus, cùm semper alias, tum uerò postquã statum immutauerat, in eadẽ sentẽtia fuit ut Alcibiadẽ reuocaret, ac tandẽ frequẽti militum concione ad hoc persuasa, factoq; decreto reducendum

(donata uenia) Alcibiadem, ad Tissaphernem nauigauit, Alcibiademq; deduxit in Samum: unam salutem fore existimans, si ille Tissaphernem à Peloponnensibus ad ipsos trāsferret. Alcibiades coacta concione, iacturas exilij sui questus est & deplorauit: multaq; loquutus de Republica non in paruam spem futurorum audientes adduxit, supra modū amplificando suam apud Tissaphernem gratiam, ut ij qui paucorum principatum domi gerebant, ipsum extimescerent, tum uel magis coniurationes dissoluerentur, simulq; ut ab ijs qui Sami erant plus fiduciæ caperetur, ac pluris ipse fieret, atque hostes apud Tissaphernem quàm maximè accusarentur, & à spe in qua erant deciderent. Enimuero asseuerabat amplissimis uerbis, sibi recepisse Tissaphernem nunquam cessaturum dare stipendium Atheniensibus, si modò eis confideret, quoad ipsi quippiam reliquum foret, ne si oporteret quidem se ad extremum uenundare lectum suum, naues quoque Phœnicum quæ iam in Aspendo essent, ad Athenienses, non ad Pelopōnenses adducturum. Ita demum se Atheniēsibus habiturum fidem, si ipsum ad eos reuersum excepissent. Hæc illi aliaq; multa simulatq; audière, in collegium superiorum imperatorū cooptauère, iusq; rerum omnium permisère: tantam subitò spem singuli præsumentes, ut nihil minus quàm de sua salute, deq; supplicio quadringentorum dubitarent: parati etiam iam tum propter ea quæ ille dixerat, contemptis qui aderant hostibus, nauigare in Piræum. Ad quod faciendum cùm multi instarent, ille uehemēter abnuit, negans omnisso qui propius esset hoste, in Piræum esse nauigandum: & quandoquidem ipse delectus esset imperator, se rationes belli ante omnia curaturum adito Tissapherne: atq; extemplò è concione abijt, uideri uolens uniuersa cum illo communicare, & maioris apud illum precij esse, ostentādo se quòd imperator iam delectus esset, illiq; prodesse posset & obesse. Atq; hinc contingit ut per Tissaphernem terrefaceret Athenienses, inuicem per Athenienses Tissaphernem. Peloponnenses qui Mileti erant, audito Alcibiadis reditu, cùm iam antea Tissaphernem pro infido haberent, multò iam magis diffidebant. Delatum enim multis è locis ad eos fuerat, quia recusassent prodire obuiam classi Atheniensi ad Miletum usq; ultrò lacessenti, Tissaphernem multò languidiorem effectum esse ad mercedem soluēdam, & iam antea per Alcibiadem operam datam, ut idem ipsis inuisus esset. Itaque inter se milites alius alium conuenientes, quemadmodum prius fecerant, conspirauerunt, & alij quidam autoritatis homines, non solùm quòd neque solidum unquam stipendium acciperent, & id breuis temporis aut intermissum, nisi quis eos aut in præliū duceret, aut aliò abduceret unde aleretur, deserere naues, culpam omnem in Astyochum refundentes,

Alcibiadis querimonia.

Alcibiades ab exilio reuocatus, pristinæ dignitati restituitur.

dentes, qui priuati lucri gratia Tissapherni indulgeret.

Cùm autem in huiusmodi conspiratione isti essent, conflatus est quidam in Astyochum tumultus hunc in modum: Syracusanorum nautæ Thurinorumq;, quo liberior multitudo erat, licentius ingruentes, stipendium reposcere. Quibus proteruius quoddam responsum reddidit: interminatusq; in Hermocratem nautis suis astipulantem, leuauit fustem. Hoc cernentes commilitones utiq; nautæ, cum clamore Astyochum ut ferirent, impetum faciunt. Quod ille præuidens, ad aram quandam confugit, atque ita percussus non est. Sed illinc in diuersa discessum ceperunt: & Milesii furtim adorti castellũ Tissaphernis illic extructũ, præsidium quod ibi erat, eiecerunt. Quæ res probata est cùm alijs socijs, tum præcipuè Syracusanis. Lichæ tamen displicuit, affirmanti debere Milesios aliosq;, qui sub ditione regis essent, inseruire atque obsequi Tissapherni in ijs, quæ moderata essent, donec rationes belli rectè disponerentur. At Milesii ob hæc illi & alia huiusmodi succensentes, mox defunctum morbo humari prohibuerunt eo loco, quo qui aderant Lacedæmonij, uolebant. Propter hanc rerum discordiam inter ipsos Tissaphernemq; & Astyochum, superuenit ex Lacedæmone successor Astyochi Mindarus, nauarchiæq; suscepit imperiũ, & Astyochus abscesit. Cum quo Tissaphernes Gauletem quẽdam ex ijs quos secum habebat, nomine Cara, legatum misit, utriusque linguæ gnarum, tum ad insimulandum Milesiorum factum circa castellum, tum ad se purgandum: sciens sui accusandi gratia præcipuè illuc Milesios ire, & cum eis Hermocratem, qui asseueraret ipsum cum Alcibiade res Peloponnenses destruere, in partibus uacillãtem. Erat enim illius in hunc perpetua simultas propter stipendij solutionem. Quem Hermocratem ad extremum iam Syracusis extorrem, cùm alij duces Syracusanorum nauium Potamis, Myscon, & Demarchus Miletum uenissent, insectatus est Tissaphernes multò acrius: ac crimini dedit cùm alia, tum uerò quòd quia pecuniam postulatam aliquando non impetrasset, inimicitias secum gereret. Igitur Astyochus Milesii & Hermocrates, à Mileto Lacedæmonem petierunt, & Alcibiades rursus à Tissapherne Samum. Vbi dum adest, legati ex Delo adueniunt, quos quadringenti uiri mittebãt, ad demulcendos eos qui Sami erant, & coacto concilio, conantes eos loqui, nolebant initio auscultare milites, sed occlamantes iubebant interfici eos qui statum popularem sustulissent. Mox tamen uix reticescentes exaudierunt. Illi commemorare, non excidij publici, sed salutis causa, neque ut ciuitas hostibus proderetur, factam esse status immutationem: licuisse enim cùm hostis ad urbem subijsset, sibi id facere, qui ciuitati præessent, alijsq; quinque millibus, quoniam omnes aliquatenus

Astyochus mortem aufugit.

aliquatenus participes essent: neque domesticos eorum, aut iniuria quemadmodum Chærca inuidiose retulisset, aut ullo damno affici, sed in suis quenque locis passim manere. Et cùm alia multa commemorarent, noluerunt eos ulterius exaudire qui aderant, quoniam ægrè ferebant, & alij aliam sententiã dicebant, sed in primis de nauigando in Piræum. Ibi Alcibiades primùm uidetur de patria benè fuisse meritus, & ut nemo magis. Properantibus enim Atheniensibus è Samo aduersus Athenienses nauigare, ex quo planissimè fuissent hostes protinus Ionia & Hellesponto potituri, intercessit, quo tempore nemo alius compescendæ multitudini idoneus esset, ille & publicè cupidos à nauigando cohibuit, & priuatim irascentes legatis, ne coniurarent inhibuit, & legatos ipsos remisit per se reddito responso, se quinque millia quidem à gubernatione non prohibere, quadringentos autem ut amouerent iubere, consiliumq; restituerent, quemadmodum prius fuisset, quingentorum. Porrò quod ad leuandos inopes sepositum esset, quo magis stipendium militibus suppeteret, se magnopere probare: & alia ut tuerentur iussit, neue se hosti dederent. Nam ciuitate incolumi multam spem esse etiam inter se conueniendi: si uerò semel alterutri succumberent, aut isti qui Sami, aut illi qui Athenis essent, neminem iam fore per quem in mutuam gratiam redirent. Aderant autem & Argiuorum legati, pollicentes factioni populari, quæ erat illic, auxilio futuros. Quos Alcibiades collaudatos, & cùm quis eos uocaret ut adessent rogatos, ita dimisit. Venerant autem cum Paralis, quibus tunc iniunctum fuerat à quadringentis uiris, ut naui militari Eubœam lustrarent, & legatos à quadringentis missos Læspodiam & Aristophontem & Melesiam, deducerent Lacedæmonem. At isti ubi Argos appulerunt, comprehensos eos Argiuis tradiderunt, ueluti è numero illorum, qui in primis statum popularem antiquassent. Neque isti posthac Athenas rediêre, sed hos ex Argo legatos Samum quam habebant triremi adduxêre. Eadem ęstate atq; hoc tempore Tissaphernes quo pręcipuè inuisus Pelopõnensibus erat, cùm propter alia, tum uerò propter Alcibiadem restitutum, tanquam planè cum Atheniensibus sentiens, huius inuidiæ abolẽdæ gratia (ut uidebatur) apparabat profectionem ad classem Phœnicem, quæ ad Aspendum stabat, iubens secũ ire Licham substituto Tamo (ut dicebat) suo præfecto, qui quoad ipse abesset, exercitui stipendium præberet. Fertur non ea gratia abijsse, nec facilè cognitu est, quo consilio abierit in Aspendum, cùm illinc classem non apportarit. Quippe centum quadragintaseptem naues Phœnicum Aspẽdo tenus uenisse constat: cur autem non peruenerint, multifariàm homines interpretantur. Alij, ut res Peloponnensium quemadmodum cõstituerat, distineret

Alcibiadis in patriam meritum.

Nauiũ Phœnissarũ ad Aspendum appulsarum numerus.

distineret abscessu suo. Ideóque nihilo melius stipendium Tamus, cui imperatum fuerat, sed deterius præbuit: Alij, ut perductos ad Aspendum Phœnices exacta pecunia missos faceret, utpote quibus nihil admodum usurus esset. Alij, uitandæ inuidiæ causa, qua apud Lacedæmonem flagrabat, hoc esse factum, ut non iniurius esse uideretur, sed planè ad classem se cōtulisse uerè armatā. Mihi uerò euidentissimum uidetur, causa demorādi distinendiq; Græcorum negocia, classem non deportasse: ut quamdiu abesset illic, & cunctaretur, ad exitium illa deduceret, utq; dum neutro accedit neutros reddendo prævalidos, utrosq; exæquaret. Qui si uoluisset uti apertum geri bellum, non anceps, profectò (ut credibile est) Lacedæmonijs (nam ad eos se cōtulisset) uictoriam tradidisset: quippe cùm per se antea quoq; magis pari quàm inferiori classe contra hostes steterint. Etenim maximè euidentis tergiuersationis fuit, quòd causabatur cur naues non apportasset, quod uidelicet pauciores quàm iussisset Rex, naues essent contractæ. Sed ipse maiorem apud regem gratiā inijsset, quòd si non magno sumptu pecuniæ regiæ, sed paruo, tamen eadem confecisset. Quocunq; igitur proposito Tissaphernes Aspendum petierit, Pelopōnenses illo iubente, tanquā ad naues miserunt Philippum hominem Lacedæmoniū duabus cum triremibus, & ipse cum Phœnicibus congressus est. Quem Alcibiades ubi sensit in Aspendum nauigare, & ipse sumptis tredecim nauibus, eòdem contendit: pollicens ijs qui Sami essent, tutum atque amplum beneficium se collaturum, quoniam Phœnicem classem aut ad Athenienses afferret, aut ad Peloponnenses afferri prohiberet, gnarus (ut consentaneum est) ex longa consuetudine Tissaphernis propositi, qui illam non esset adducturus: animo etiam quàm maximè obnoxium criminibus eum faciendi apud Peloponnenses in suum & Atheniensium fauorem, ut eo magis ille cogeretur per hoc ipsum ad Athenienses accedere. Et hic quidem continuò profectus, superiora Phaselidis & Cauni tenebat. Legati autem à quadringentis uiris missi, ubi è Samo peruenêre Athenas, Alcibiadis mandata exposuerunt, iubere illum ut hosti resisterent, nec quicquam cōcederent. Habere enim plurimùm spei & reconciliandi eis exercitum, & Peloponnenses superandi. Hæc uerba multò uehementius corroborauêre multos, qui iampridem grauabantur consortium collegarum in statu paucorum, & qui libenter se illinc, dum tamen tutò, explicarent. Ii iam tunc uno quodam consensu negocia carpere, habentes in hoc duces longè principes illius status atque magnatū, Theramenem Agnonis, & Aristocratem Sicelij filium, & alios, qui inter primos quidem rerum participes erant, sed (ut aiebant) metuentes exercitum Samium atque Alcibiadem, legatos ma-

tos maturè sanè Lacedæmonem miserāt, ne quid ciuitatem Athenienses sine maiori parte offenderent: non ut ne res ad paucos admodum deueniret: sed quinque millia re non nomine declarare oportere, & Rempublicam æquabiliorem constituere. Prætendebant autem mentionem Reipublicæ, cùm tamen plerique eorum priuata ad hoc ambitione incumberent, qua ratione præcipuè aboleretur status paucorum è populari effectus. Cuncti nanque suo quisque die in orbem præerant, non ut pares essent, sed ut singuli cæteris longè præessent. In statu autem populari, in quo magistratus per electionem fiunt, facilius fert quisque ea quę eueniunt, tanquam non repulsus à paribus. Et proculdubio ualidæ res Alcibiadis apud Samum hos extulerunt, quodq; paucorum status ipsis haud stabilis futurus esse uidebatur. Certatim igitur annitebatur unusquisque, ut ipse potissimùm in populo princeps existeret. Huic rationi refragabantur maximè & quadringenti uiri, & qui primores erant, Phrynichus, qui aliquando dum apud Samum dux esset, ab Alcibiade discessit, & Aristarchus in primis, ac iam pridem statui populari aduersus, & Pisander, & Antiphon, & alij potentissimi. Hi & prius quum rem rapidissimè constituissent, & posteaquàm ea in Samo immutata est, legatos è corpore suo Lacedæmonem miserunt, & statui paucorum propensius uacabant: & murum in loco, quem uocant Eetioneam, multò etiam quàm antea magis excitabant. Et post reditum suorum è Samo legatorum, animaduertentes complures etiam è suis, qui prius pro fidis habiti fuissent, etiam esse immutatos, miserunt properè Antiphonem & Phrynichum, decemq; alios, cum mandatis, ut quoquo modo, dum tolerabili conditione, transigerent cum Lacedæmonijs, quòd scilicet timerent & quæ illic fierent, & quæ in Samo: & eo studiosius murum in Eetionea extruebant. Cuius extruendi hoc consilium fuit (ut aiebat Theramenes, & qui cum eo erant) non ut illi è Samo, si infesti uenirent, non reciperentur iam in Piræum, sed ut potius hostes quoties uellent, & classe & peditatu exciperentur. Fauces enim Piræi est Eetionea, & iuxta eam statim nauium ingressus. Hic igitur sic cum eo extruebatur qui antea erat terram uersus muro, ut illic pauci insidentes, introitus nauium arbitri essent: quoniam ad ipsam alteram portus, cuius os angustum est, turrim terminabat: & antiquus murus terram uersus, & interior nouus mare uersus. Proximè hunc statim intra Piræum ædificauerunt & porticum maximam, cuius ipsi potiebantur, in quam cogebant suum quenque frumentum seponere, quodq; intra urbem esset, quodq; mari adueheretur, & illinc promentes uenundare. Theramenes ista & iam pridem tumultuans denunciauit, & posteaquàm legati è Lacedæmone prorsus

infecta

infecta pactione cum uniuersis redière, aiebat fore ut ob hunc murum periclitaretur incolumitas ciuitatis. Nam sub hoc idem tempus adfuerunt pariter ex Peloponneso duæ & quadraginta naues eorum, qui Eubœi cognominantur, quarum nonnullæ erant è Tarento & Locris Italicæ & Sicilienses: & quædam ima statione habita ad oram Laconicam, & instructę ad transeundũ in Eubœam, præfecto Agisandrida Agisandri filio Spartiata (ut dicebat Theramenes) non tam in Eubœam euntes, quàm ad extructores Etioniæ muri: & nisi quis iam custodiam ageret, furtim exitum allaturæ. Erat autem eorum quæ reprehendebantur nonnihil ueri, nec omninò detrahendi studio dictum. Nam præoptabant illi maximè in statu paucorum, ciuitatis ac sociorum principes esse. Si minus, certè habentes classem & muros, suo arbitrio uiuere: hoc quoque excluso, ne à populo rursus restituto ipsi ante omnes euerterentur, uolebant: sed introducendo hostes absque muris & nauibus, pacisci cum eis qualemcunque ciuitatis statum, dummodo de corporibus suis securi essent. Ideóque hunc murum portulas introitus'que & receptacula hostium habentem studiosè ædificabant, ne prçuenirentur absoluere properantes. Et à principio quidem inter paucos hæc ac furtim potius dicebantur. At ubi reuersus Phrynichus è Lacedæmone legatus, à quodam excubatorum insidijs frequẽti in foro uulneratus est: nec ita post è curia abiens, continuò decessit: & percussore eius elapso, adiutor tamen eius homo Argiuus à quadringentis uiris comprehensus ac tortus, nullius nomen à quo iussus fecisset protulit, nihilq; aliud quàm scire se complures homines in Peripolarchi, atque alias ædes conuenire solitos: tum uerò nihil factum cùm esset ex hoc noui, Theramenes iam audentius Aristocratesq;, & alij quicunque uel ex ipsis quadringentis, uel extra hos eiusdem sententiæ erant, negocia capesserunt. Nam super hæc, classis à Lacedæmone iam circumuecta, ad Epidaurum stationem habens, Æginam excursionibus infestabat. Quo magis negare Theramenes, credibile esse, si in Eubœam tenderẽt naues, in sinum Æginæ fuisse deflexuras, & rursus in Epidaurum se recepturas, nisi uenirent euocatæ ad ea peragenda, quæ ipse semper accusasset, eóque non posse se ulterius quiescere. Ad postremum multis & seditiosis suspiciosis'que sermonibus habitis, iam opere aggrediẽdam rem esse censuerunt: siquidem homines grauis armaturę, qui in Piræo murum Etionię extruebant, in quibus & Aristocrates erat præfectus, certa ei delegata custodia, comprehendunt Alexiclem inter collegas status paucorum præcipua dignitate præditum, & domum adductum concluditur. Comprehendunt item cùm alios quosdam, tum uerò Hermonem præfectum uigilum, qui apud Munichium excu-

Ægina incursionibus infestatur.

babant, idq; ex uoluntate maximæ armatorum partis. Quód simulac renunciatum est quadringentis uiris (considebant autem in curia, præter eos quibus ista non placebāt) parato animo erant ire ad arma ac Therameni & ijs qui cum eo erant, minabantur; Theramenes purgans se, dicere paratum esse iam ire cum ipsis ad illos rapiendos. Et sumpto secum uno è ducibus sic uoluntarijs, pergit ad Piræum: adiuuabat eum Aristarchus & equitum iuuentus. Erat autem tumultus ingens atque horribilis. Nam & qui in urbe degebant, Piræa iam captum, eumq; qui comprehensus esset, morte affectum esse: & qui in Piræo, tantùm non adesse contra se urbicos statim suspicabantur, uix senioribus istos ne ad ferenda arma discurrerent prohibentibus, & Thucydide Pharsalio, qui tunc aderat hospes publicus, officiosè apud singulos intercedente, atque exclamante, ne patriam hoste ipsis insidiante proderent, resedit impetus, & in diuersa digresśi sunt. Theramenes ut uenit in Piræum (erat autem & ipse magistratus) iram in homines grauis armaturæ intra uociferationem ille quidem exercuit. Aristarchus autem, & qui aduersarij erant, re uera excanduerunt. Nihilo minus illi in opere faciendo pergere, nec facti pœnitere: interrogare tantùm Theramenem nunquid ei uideretur ex utilitate extrui murum, an satius foret dirui. Atque hoc respondente, si ipsis placeret dirui, sibi quoque placere: hinc è uestigio conscendunt murum armati, & alij multi eorum qui erant in Piræo, eumq; demoliuntur, uulgus exhortantes his uerbis: Quicunque mallet quinque millia quàm quadringentos præesse ciuitati, eum debere ad id opus accedere. Occultabant enim rem adhuc sub nomine quinque millium, ne quis eorum qui præesse uellent, propalàm statum popularem nuncuparet: metu ne quid aliquis cum alio loquens, per inscitiam lapsus pro tali utique haberetur: & idcirco quadringenti uiri neque esse uolebant illos quinquies mille, neque quòd non essent, manifestum esse, existimantes, si tot numero uiri participes gubernationis fierent, haud dubiè statum esse popularem. Hoc autem occultatum mutuò terrorem præbebat.

Pirei murus diruitur.

Postera die quadringenti uiri, etsi animo fluctuantes, in curia tamen congregantur. Item apud Piræum armati, cùm Alexiclem quem comprehenderant, missum fecissent, ac murum demoliti essent, cōcesśere ad theatrum Dionysiacum, quod ante Munichiam est intra Piræum, & positis armis concilium habuerunt: & ex placito omnium properè petentes urbem, arma in stationem deposuerunt: ad quos uenerunt quidam à quadringentis, & alloquentes uiritim, ut quenq; uidebant esse mitem rogabant, suadebantq; ut & ipsi quiescerent, & alios quietos efficerent: dicentes ut quinque millia hominum nuncuparent, & in eorum partem quatenus

illorum

illorum uolũtas ferret,ipſos quadringentos,ne quo modo ciuitatem perderent,neúe hoſtibus obiectarẽt. His uerbis,quæ & multa & multis inculcabãtur,multitudo armatorum placatior quàm fuerat effecta eſt:maximeq́ꝫ extimeſcens pro uniuerſa Republica, conſenſit ut ad certam diem cõcilium haberetur in æde Dionyſii, hoc eſt Bacchi,de concordia.Vbi uerò ad ædem Bacchi uentum eſt, tantumq́ꝫ non concio coacta erat,nunciatur duas & quadraginta naues & Hegeſandridam à Megaris Salaminem præteruehi:itaque nemo militũ non exiſtimauit hoc ipſum eſſe,quod olim à Theramene & ab ijs qui cum eo erant,dicebatur,claſſem ad murum iter habere,eoq́ꝫ utiliter eſſe dirutum:Hegeſandridas autem forſitan quidem ex compoſito iuxta Epidaurum,atque illa circa loca uerſabatur: tamen credibile eſt, etiam propter præſentem Athenienſium ſeditionem affluente ſpe,ſi offerretur occaſio,illic eum ſubſtitiſſe.Athenienſes ea re ipſis nunciata,citato curſu uniuerſi in Piræum contenderunt,tanquam bellum domeſticum maius quàm hoſtile,nec longinquum,ſed ante portum eſſet. Itaque eorum alij naues quæ aderant ingrediuntur, alij alias deducunt, alij in muros qui pro faucibus portus ſunt, ſuppetias ferunt.At claſsis Peloponnenſium aduentans, ſuperato Sunio, tenuit inter Thoricum & Praſti, mox appulſa eſt ad Oropum, Athenienſes raptim eis quæ ad manus erant copijs uti coacti,qualia cõtingunt in ciuitate ſeditionibus laborante,ac magno diſcrimini occurrere feſtinante (nam Eubœa eis omnia erat,intercluſa Attica) mittunt Thymocharem ducem cum claſſe in Eretriam: quæ claſsis ubi peruenit ſex & triginta nauiũ cum ijs quæ prius in Eubœa erant, coacta eſt protinus dimicare. Nam Hegeſandridas iam pranſus, ab Oropo claſſem ducebat. Abeſt autem Oropus ab urbe Eretrienſi ſtadijs ferè ſexaginta tractu maris.Dum itaque ille infeſta ueniret claſſe,Athenienſes properè ſuas naues conſcendunt,opinantes ſibi milites iuxtà futuros.At illi cibaria in prãdium mercabantur,non ex foro,ſed domeſticatim ex ultima urbis parte.Nam ne quid in foro uenderetur,Eretrienſes proſpexerant:ut dum tardè naues ingrediuntur,ab hoſte præuenirentur:& ita dum ille ingruit,iſti utcunq́ꝫ impletas naues educere cogerentur.Et ſignum ex Eretria hoſti ad Oropum ſublatum eſt,quando mouere contra Athenienſes deberet.Tali Athenienſes apparatu prouecti,pugna pro portu Eretrienſi commiſſa,tamen aliquantiſper reſtitêre. Deinde in fugam uerſos uſque ad littus inſecutus eſt hoſtis.Quorum quicunque ad urbem Eretrienſem,ut amicam,confugerunt, indigniſsimè ab Eretrienſibus interfecti ſunt: qui uerò in munitiones quas ipſi in Eretria tenebant,incolumes fuêre,itemq́ꝫ na-

Dionyſii ædes.

Athenienſium inteſtinum ad Piræum bellũ.

Pugna acris.

h 2

Peloponnenſiũ uictoria. uium quæcunque in Chalcidem peruenerunt. Earum duabus & uiginti cum remige militeq́ captis Peloponnenſes, & captiuorum alijs interfectis, alijs conſeruatis, trophæum ſtatuerunt. Neq́ multò pòſt omnem Eubœam ad defectionem compulerunt, præter Oreum, quod Athenienſes ipſi tenebant, & alia circa loca compoſuerunt. Poſtquàm hæc ad Eubœam geſta, Athenis nunciata ſunt, pauor eos ad illam diem maximus circunſtetit. Neque enim accepta in Sicilia calamitas, etſi tunc ingens uiſa, neque aliud unquam tanto terrori fuit, utpote cùm exercitus apud Samum abeſſet: neque alia adeſſet claſsis, neque qui illas conſcenderent, ipſis ſeditioſè diſsidentibus, & incertum quando inter ſe conuenturis, tantùm eis calamitatis inciderat. Quia cùm & claſsis & Eubœa eſſet amiſſa, unde plus quàm ex Attica emolumenti perciperetur, quónam modo non forent conſternati? & eo quidem uehementius propter ſummam loci uicinitatem, ne continuò uictoria feroces ad uacuum nauium Piræum appellerent, quos tantùm non adeſſe ſuſpicabantur: id quod illi ſi audaciores fuiſſent, facilè feciſſent. Itaque aut aggredientes urbem, magis in ſeditionem conciataſſent ciuitatem: aut manẽdo obſediſſent, cogentes ab Ionia claſſem, etſi aduerſariam ſtatui paucorum, tamen ſuis rebus domeſticis atque uniuerſæ ciuitati ſuccurrere. Atque interea & Helleſpontus & Ionia & inſulę & omnia Eubœa tenus, & ut ſic dicam, omne Athenienſium imperium ipſis ceſsiſſet. Verùm non in hoc tantùm bello Lacedæmonij, ſed in alijs etiã multis omnium hoſtiũ Athenienſibus utiliſsimi extitêre: qui quod plurimùm inter ſe moribus differentes eſſent, alij properi, alij cunctabundi, & alij manu prompti, alij formidoloſi, præcipuè in gubernanda claſſe plurimũ Athenienſibus profuêre: quod maximè declarauêre Syracuſani, qui concordes inter ſe præclariſsimè belligerauerunt. Ad hunc nuncium Athenienſes uiginti tamen naues armauêre, concionemq́ *Pycne locus.* coëgêre ſemel ſtatim tum primùm in locũ, quem uocant Pycnem, *Cõciones Athenienſium.* ubi etiam alias conſueuêre: in qua concione quadringentis uiris amotis, decreuerunt adminiſtrationem rerum quinque millibus tradendam eſſe: ex eo autem numero quicunque arma pręberent, neque ullo pro magiſtratu mercedem accipere: ſi ſecus feciſſent, execrabiles eſſe. Aliæ quoque deinceps crebræ ſunt habitæ conciones, in quibus & legum lationes, & alia ad Rempublicam per- *Athenienſium reſpublica.* tinentia conſtituerunt. Atq́ inter initia uidentur mihi Athenienſes non parum cõmodè Rempublicam adminiſtraſſe, inter utranque factionem paucorũ & multitudinis in unum redactam egregio temperamento. Quæ res ex improbis factis quæ fiebant, prima ſuſtinuit ciuitatem. Decreuerunt præterea Alcibiadem cæteroſq́

rosq́

rosq; qui cum eo essent, reuocandos in patriam, & ad eum & milites qui cum eo in Samo essent mittendum, iubentes ut ad administrandam Rempublicam accederet. Inter hanc statim rerum mutationem, Pisander Alexiclesq; cum suis, & qui præcipui fuerant è statu paucorum, se in Deceleam subduxerunt. Solus ex eis Aristarchus (erat enim dux) sumptis repentè aliquot sagittarijs, qui essent barbarissimi, ad Oenoën pergit, murum Atheniensium in Bœotiæ confinijs, quem Corinthij propter suorum à Decelea se recipientium cædes, quæ factæ fuerant ex Oenoë, obsidebant, uoluntarij quibusque Bœotianis accitis. Cum his habito colloquio Aristarchus, seduxit eos qui erant apud Oenoën, quod diceret quandoquidem populares sui intra urbem de cæteris rebus cum Lacedæmonijs transegissent, debere & ipsos eum locum tradere Bœotianis. De hoc enim transigi. Cui ut duci fidem habentes illi, quippe omnium rerum ignari, quòd obsessi essent, sub pactione abierunt. Hunc in modum & Bœotiani relictam Oenoën receperunt, & Athenis status paucorum seditioq; cessauit.

De Alcibiade reuocando.

Paucorū status sublatus.

Per eadem huius æstatis tempora, Peloponnenses apud Miletum, cùm nemo eis stipendium numeraret illorum, quibus à Tissapherne mandatum erat dum contulit se in Aspendum, neque classis Phœnicum, ac ne ipse quidem Tissaphernes ueniret, & qui cum eo missus erat Philippus, ad Mindarum nauarchum scripsisset classem non esse uenturam, idq; ipsum Hippocrates Spartiata (qui apud Pharselidem agebat) significasset, tunc intellexerunt se prorsus decipi à Tissapherne. Itaque solicitante eos Pharnabazo, qui optabat conducta ea classe, reliquas prouinciæ suæ urbes compellere ad deficiendum ab Atheniensibus, quemadmodum Tissaphernes, Mindarus spe aliquid plus ab isto obtinendi multa diligentia præsentiq; edicto, ut lateret hostem qui erat in Samo, soluens è Mileto tribus & septuaginta nauibus, petijt Hellespontum: quo prius per hanc eandem æstatem duodecim aliæ naues concesserant, & partem quandam incursionibus infestauerât. Sed Cherronesi tempestate usus, ad Icarum coactus est appellere. Vbi propter difficultatem nauigandi quinque sex'ue moratus dies, peruenit Chium: quem à Mileto soluisse certior factus Thrasyllus apud Samum, & ipse cum quinq; & quinquaginta nauibus proficiscitur, approperans ne ille præueniret in Hellespontùm. Cæterùm cognito apud Chium esse hostem, ratusq; illic subsessurum, speculatores quidem collocat in Lesbo, & in continente opposita, ne se lateret ille, si quid moueretur: ipse cum reliqua classe Methymna profectus, farinam hordeaceam atque alia opportuna apparari iubet, tanquam è Lesbo Chium petiturus, si diutius illic

moraretur hostis. Et simul uolebat in Eresum nauigare (defecerat enim Eresus à Lesbo) recepturus eam si posset. Nam Methymnæi exules non è postremis, sumptis è Cuma quinquaginta fermè armatis arctissima familiaritate cõiunctis, & è cõtinente alijs mercede cõductis ad trecẽtos, cuncti Anaxarcho Thebano ob cognationem duce delecto, primùm adorti fuerant Methymnam: quod irritum fuit incœptum, propter præsidium Atheniẽse, quod è Mitylena adueniens, commissa pugna, rursus eos extra urbem eiecerat. Verùm recepti per noctem, Eresum ad defectionem compulerant. Aduersus hanc igitur cum tota classe adueniens Thrasyllus, de aggredienda cogitabat. Sed eôdem anteuerterat Thrasybulus cum quinque nauibus è Samo, dum ei de hoc exulum traiectu allatũ esset. Post quem Thrasyllus cùm appulisset, ad Eresum stationem habebat. Accesserè præterea duæ naues ex Hellesponto domum remeantes. Itaque tam Methymnææ quàm cæterę naues aderant numero septem & septuaginta. Quarum nauales copiæ, & machinas & omnis generis oppugnationes pręparabãt ad Eresum expugnandam, si possent. Interea Mindarus cum classe Peloponnensi biduo re frumentaria comparata ex Chio, ac datis à populo Chio ternis & quadraginta nummis Chijs in singulos, tertio die illinc uela in altum dedêre, ne in naues quæ ad Eresum stabant inciderent: & à sinistra Lesbum habentes, per pelagus in cõtinentem peruenêre, ac subiêre portum qui est in Crarerijs terræ Phocaidis. Vbi postquàm pransi sunt, præteruecti oram Cumanam, cœnauêre in Arginusis, quæ sunt in continente aduersus Mitylenem. Vnde multa nocte proficiscentes, cùm uenissent in Harmatuntem, quæ est è regione Methymnæ in continente, sumpto raptim prãdio prætereuntes Lectum & Larissam & Amaxitum & alia circa loca, perueniunt in Rhœtium, quod iam est Hellesponti, media nocte in diluculũ declinante: quarum nonnullæ tenuerunt ad Sigeum, atque ad alia circa littora. Athenienses qui apud Sestum erant duodeuiginti naues, ubi conspexêre & ex speculis ignes, qui ipsis pro signo fiebant, & frequentes in hostico pyras repentè collucere, intellexerunt ingressos esse Peloponnenses: & hac ipsa nocte quantum maturare potuerunt, subeuntes Cherronesum nauigarunt in Elæuntem, uolentes hostilẽ classem in apertum mare uitare. Et sexdecim quidem naues quę ad Abydum erant, latuêre, quamuis præmonitas à socia quæ adueniebat classe, ut exitum Atheniensium nauium obseruarent. Cæterùm sub ipsum statim diluculum in conspectum uenerunt classes Mindari, & è uestigio fugæ se mandarunt: neque tamen omnes fugam occuparunt, sed quæ plures erant, in continentem & in Lemnum effugerunt: quatuor in

tuor in cursu postremæ, prope Elæuntem circumuentæ sunt, unà cum ipsis propugnatoribus impacta iuxta delubrũ Protesilai, duę sine propugnatoribus, una uacua ante Imbrum combusta. Post hæc coniunctis ex Abydo alijsq; nauibus sex & octoginta, uniuersæ hoc ipso die oppugnauêre Elæuntem: quæ cùm ad deditionem compelli non posset, petierũt Abydum. Athenienses clàm se non discessuram hostium classem opinantes, per ocium Eresi mœnia oppugnabant: sed ubi cognouêre speculatores fuisse frustratos, relicta protinus oppugnatione, in Hellespontum suppetias iere: duasq; Peloponnensiũ naues quæ in persequendis ferocius hostibus in pelagus euectæ inciderant in eos, excceperũt. Postero die in Elæuntem peruenêre, ubi stationem habentes, quæcunque ex Imbro diffugerant naues receperunt, & quinque dies in apparatu pugnæ naualis consumpserunt. Post quos dies in hunc modum pugnatum est: Atheniensis classis instructa in cornua, Sestum uersus terram legebat. Eius aduentu percepto, Peloponnensis classis & ipsa obuiam ex Abydo procedit. Atque animaduertunt ad pugnandum iri, utrique cornua exporrexêre: Lacedæmonij quidem ab Abydo usque ad Dardanum nauibus octo & sexaginta, quarum dextrum cornu tenebant Syracusani, alterum, ubi erant uelocissimæ quæque naues, ipse Mindarus: Athenienses autem Cherronesum uersus ab Idaco usque ad Arrhiana nauibus sex & octoginta, quorũ sinistrum cornu Thrasyllus regebat, dextrum Thrasybulus, cæteri duces assignato quisque loco. Et maturauêre Peloponnenses priores confligere, ut sinistro suo dextrum Atheniensium cornu includerent facultate extrinsecus prodeũdi si possent, medium uerò ad terram repellerent non procul distantem. Quo animaduerso, Athenienses qua in parte statuerant ipsos intercludere aduersarij, eadẽ parte perrumpere, euectiq; nauigatione præstabant. Sinistrum autem cornu iam promontorium excesserat, quod uocant Canis sepulchrum. Quo facto medium classis inualidis ac dissipatis nauibus constabat, & præterea minus plenis: locusq; circa Sepulchrum canis habebat acutum & angularem ambitum, ita ut ea quæ suprà illum fiebant, extra conspectum horum essent. Huc igitur Peloponnenses inuecti, propellũt usq; in Sicum Athenienses: & cùm forent prælio longè superiores, in terram desiliunt. Neque uerò huic mediæ classi succurrere poterant, aut à dextro qui cum Thrasybulo erãt, propter multitudinem nauium in ipsos ingruentiũ, aut à sinistro qui cum Thrasyllo, propter promontorium Canis sepulchrũ: quo interiecto, hæc res, illorum oculis subiecta non erat, qui præsertim ab acie Syracusanorum aliorumq; non paucorum urgebãtur, donec Peloponnenses uictoria

Naualis pugna inter Athenienses & Pelopõnenses.

Canis sepulchrum.

freti, securè alij aliam insequendo nauem, cœperunt quadã sui parte ordines soluere. Quod animaduertẽtes Thrasybulus cum suis, omissa iam cõtentione circumagendi cornu, conuersi protinus in eas à quibus cohibebantur, repellunt atque in fugam uertunt: nactiq; partem classis hostilis quæ uicerat, palatam feriunt, & earum plerisque etiam sine pugna terrorẽ inferunt. Syracusani quoq; qui & ipsi iam cedebant ijs qui cum Thrasyllo erant, eo magis dedêre se in fugam, ubi alios etiam fugere uiderũt. Postquàm terga data sunt, & Peloponnenses fugerunt, præcipuè ad flumen Pydium, deinde Abydum, paucas quidem cepêre naues Athenienses, quoniam angustiæ Hellesponti breui hostibus effugia præbebãt: sed opportunissimam hanc naualis prælij obtinuêre uictoriam. Quippe extimescentes tunc Peloponnensium classem, propter calamitates cùm proximam, tum illam in Sicilia acceptam, desierunt & seipsos accusare, & hostes iam in re nautica magni facere. De quibus has naues cepêre, Chiorum octo, Corinthiorum quinque, Ambraciotarum & Bœotianorum binas, Leucadiorum & Lacedæmoniorum & Syracusanorum & Pellenensium singulas. Ex suis autem quindecim amiserũt. Ac posito super promontorium, ubi Canis sepulchrum est, trophæo, attractisq; naufragijs, & mortuis ex fœdere hostibus redditis, nuncium Athenas uictoriæ triremi miserunt. Quæ nauis ubi peruenit, audita illi felicitate sibi insperata, propter clades quæ & circa Eubœam & per seditionẽ iam contigerant, uehementer animo confirmati sunt, arbitrantes posse res suas, si impigrè anniterentur, euadere superiores. Quarto autem quàm pugnatum est die, refectis properãter apud Sestum nauibus, Athenienses in Cyzicum nauigabant, quæ ab ipsis defecerat, conspicatiq; ad Harpagium & Priapum octo profectas è Byzantio aggressi sunt: ac superatis prælio qui in terra erant, illas intercepêre: & perlati Cyzicum muris carentem iterum receperunt, illincq; pecunias exegerunt. Peloponnenses interea profecti ex Abydo in Elæuntem, ex suis nauibus captiuis, quæcunque integræ erant, acceperunt. Nam cæteras Elæuntij concremarant, & in Eubœam Hippocratem & Epiclem ad afferendas illinc alias miserunt. Per hæc eadem tempora, Alcibiades tredecim cum nauibus è Cauno & Phaselide Samum remeauit, nunciatum se naues Phœnicum auertisse, ne ad Peloponnenses irent, & fecisse Tissaphernem in Atheniensium beneuolẽtiam propensiorem quàm fuisset, & instructis præter eas quas habebat nouem nauibus, ab Halicarnasseis ingentem pecuniam exegit, & Con muro conclusit. Quo perfecto, magistratibusq; illic cõstitutis, Samum iam sub autumnũ redijt. Et Tissaphernes cognito classem Pelopõnensem è Mileto

Syracusanorũ & Peloponnensium fuga.

è Mileto in Helleſpontum profectam, ſoluens ex Aſpendo, properauit in Ioniam. Dumq; Peloponnenſes apud Helleſpontum agitant, Antandrij (ſunt autem Æoles) aſſumptos ex Abido armatos, terreſtri per Idam montem itinere introduxerũt in urbem, quòd ſcilicet iniuria afficerentur ab Arſaco Perſa Tiſſaphernis pręfecto, qui Delios quoque (qui ab Athenienſibus Delum per cauſam luſtrationis illinc eiecti, in Atramyttum commigrarant) diſſimulato occulto odio, cum optimatibus eorum amicitiæ ac ſocietatis ſpecie expeditionem indixiſſet, eduxerat: & obſeruato dum illi pranderent, circundata ſuorum manu, iaculis eos confixerat. Qua de re Antandrij illum formidãtes, ne quid in ſe aliquando ſæuiret, & alioqui quod alia quæ ab eodem imponebãtur ferre non poſſent, præſidium eius eiecêre ex arce. Quo etiam Peloponnenſium facto, Tiſſaphernes (præter illa in Mileto & in Cnido, unde etiam fuerant deiecta pręſidia eius) exiſtimans inſigni ſe affectũ eſſe contumelia: ac ueritus ne quid amplius læderetur, ad hæc, ægrè ferens ſi Pharnabazus minore & ſumptu & tempore magis proficeret aduerſus Athenienſes conductis Peloponnenſibus, ſtatuit ad eos ire in Helleſpontum, daturus crimini quæ geſsiſſent apud Antandrum: & crimina ſua quum alia, tum uerò de nauibus Phœnicum, quàm accommodatiſsimè pugnaturus. Et cùm Epheſum primùm ueniſſet, Dianæ ſacrificium fecit. Dum hyems æſtatem hanc inſecuta finiet, primus quoque ac uiceſimus annus finiet.

FINIS.

BASILEÆ, IMPENSIS HENRICI
PETRI ET MATERNI COLLINI. ANNO
DOMINI M. D. LXIIII. MENSE
MARTIO.

